INSTITUTIONES
THEOLOGICAE.

TOMUS III.

THEOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN PRIMUM.

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ST. JOSEPH'S COLLEGE
MAYNOOTH
SAN JOSE, CALIF.

INSTITUTIONES

THEOLOGICAE.

AUCTORE

F. L. B. Liebermann,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, DIOECESIS ARGENTORATENSIS VICARIO GENERALI.

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

TOMUS III.

COMPLECTENS THEOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN PRIMUM.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
L621
Alma California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

EDITIO SEXTA EMENDATISSIMA.

MOGUNTIAE,

SUMPTIBUS KIRCHHEMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1844.

PARISIIS,
apud MEQUIGNON juniorem,
Facult. theol. Bibliopolam.

LONDINI,
apud D. NUTT, foreign Bookseller
158, Fleet Street.

Property of
Graduate Theological
Union Library
Please return to

MOGUNTIAE,
Typis FLORIANI KUPFERBERG.

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

APPROBATIO.

Legimus librum, cui titulus: *Institutiones Theologicae, autore* Fr. Leop. Brun. Liebermann etc., *Tom.* III. *complectens Theologiae specialis volumen primum.* — Cum hoc quoque volumen nihil a mente S. Ecclesiae Catholicae alienum contineat, sed econtra ubique sanctissimum Religionis zelum spiret, et cum rerum gravissimarum copia, accuratam materiarum distributionem, et perspicuam dictionis elegantiam conjungat; illud non approbamus tantum, sed et commendamus quam maxime, simulque iis, qui in hac Dioecesi ad examen approbandorum vocandi sunt, notum facimus, hunc librum in examine tanquam normam et fontem quaestionum in parte dogmatica a nobis esse selectum.

Datum Moguntiae die 28. Maji 1822.

J. J. HUMANN,
Dioeces. Mogunt., sede vacante,
VICARIUS GENERALIS.

LECTORI BENEVOLO.

Ultra, quam propositum erat, praesens volumen excrevit: quod utique nemo mirabitur, qui ad rerum tractandarum copiam, et summam argumenti dignitatem, gravitatemque attenderit. Scimus equidem brevitati studendum esse iis imprimis, qui opus conscribere volunt publicis praelectionibus accommodatum, neque unquam in tam longo et difficili labore haec cogitatio nos destituit. Sed noluimus ita brevitatem sectari, ut multa, quae ad complexum veritatum Christianarum pertinent, vel peranguste et obiter tantum attingerentur, vel omnino omitterentur. Si muneris nostri non est, paucorum annorum spatio viros fingere omnibus numeris absolutos, Theologos tamen fingendos suscipimus, quibus non vulgaris, sed erudita et solida totius Religionis institutio debetur. Ergo satius duximus limites paululum excedere, neque breviare et decurtare opus abscissis membris; sed systema doctrinae integrum ita in compendium redigere, ut tota habeatur Theologia dogmatica, tantum breviore dimensione, et servata apta compositione et proportione membrorum.

THEOLOGIA
DOGMATICA SPECIALIS.

VOLUMEN PRIMUM

COMPLECTENS

LIBROS QUATUOR.

I. De Deo et divinis attributis.
II. De SS. Trinitate.
III. De creatione hominisque et Angelorum lapsu.
IV. De redemptione generis humani.

THEOLOGIA
DOGMATICA SPECIALIS.

PROOEMIUM.

Antequam ad eam Theologiae partem accedamus, quae Doctrinae Catholicae systema per omnes suas partes explanat, in memoriam reducendum existimamus illud, quod in ipso operis hujus principio diximus; scilicet Religionis revelatae dogmata non esse philosophico more excutienda, neque veritates divinas humanis argumentis metiendas. Nos *Theologiam revelatam* tradimus, quae ea, quae ad Deum et Religionem pertinent, per principia investigat divinitus revelata. Haec supernaturalis Theologia propria est fidelium et Christianorum, tanto disciplinis caeteris melior, quanto divina auctoritas, in qua illa sustentatur, humana omni ratione potior et antiquior. *Argumentari ex auctoritate,* ait S. Thomas *a*), *est maxime proprium huic doctrinae; neque hoc derogat dignitati hujus doctrinae; nam licet locus ab auctoritate, qui fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, qui fundatur super Revelatione divina, est efficacissimus. Veritas,* inquit Lactantius *b*), *id est, arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi; alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius majestatis aeternae cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, Deus notionem veritatis munus suum fecit, ut et sapientiam humanam*

a) Part. I. Quaest. 1. Art. 8. ad 2. *b*) Lact. lib. I. cap. I.

nullam esse monstraret, et erranti ac vago viam consequendae immortalitatis ostenderet.

Ergo cum de Deo, de Religione, de vita et salute agitur, non vanum tantum, sed et valde periculosum esset, terrenae philosophiae auctoribus se committere, et ex incertis ac contrariis humanae rationis commentis divinam sapientiam quaerere. Ad ipsum doctrinae fontem uberrimum ac plenissimum accedamus, Deum sequamur doctorem sapientiae ducemque veritatis. Habemus sacramentum verae Religionis, habemus veritatem revelatam divinitus. Utamur hoc coelesti beneficio et munere, et quid in hac Revelatione divina contineatur, eo diligentius inquiramus, quo magis proderit invenisse. Nostra probandi ratio in hac dogmatum Catholicorum expositione clara est et obvia omnibus. Nam cum probatum jam fuerit, Religionem, quae a Christo nomen et originem habet, non humanae rationis adinventionem esse, sed institutionem disciplinamque divinam; cum Ecclesiam illam noscamus, quae a Christo constituta est hujus Religionis custos et magistra ac legitima verbi divini, quod in ea depositum est, interpretatrix; nunc in singula dogmata inquirentibus id unum agendum est, ut videamus, an ad Christi Religionem pertineant; contineri autem in ea necessario dignoscuntur, si ex genuinis fidei principiis eruta ab Ecclesia fidelibus proponuntur tanquam fidei Christianae dogmata. Igitur radicem et truncum tenentes vivae illius et vastissimae arboris, quae Dei ipsius manu in tutelam et salutem humani generis plantata est, nunc ramos ejus utut multiplices et diffusos examinemus, atque, quae ex nativo succo progenita sunt, ab aliena quacunque et nociva propagine secernamus.

Quo major autem se offert rerum dicendarum copia, eo magis operam dabit Theologus, ut omnia eo ordine pertractentur, quem ipsa diversarum partium naturalis connexio exigere videtur. Primum itaque de clara et accurata materiae distributione curandum; illa enim, quae a Scholasticis olim adhibita fuit in tractatus divisio, multis jam ideo displicet, quia olim Scholae doctoribus placuit; tum etiam, si quod sentio fatendum, et mihi probari non pot-

est, quia est in multis partibus confusa et perturbata. Hinc recentiores Theologi nova divisionum capita quaesierunt, et quamvis non omnes eadem assignent, in re ipsa tamen parum differunt. Primum quidem omnes in illud conspirare videntur, quod Theologiam dicant in Deo tanquam in communi centro totam versari moverique, ut ita tota illud vere sit, quod nomine suo indicat, sermo de Deo. Tunc in duas partes sacram hanc disciplinam distribuunt. Prima de Deo, ut in se est, disserit, de ejus scilicet natura et attributis tum absolutis, tum relativis. Hanc partem veteres quidam speciali modo Theologiam vocarunt. Altera Deum considerat extra se agentem et omnia admirabili providentia ad supernaturalem hominum vitam salutemque ordinantem. Haec pars a veteribus *oeconomia* vocata est, et in magnam rerum ac materiarum copiam diffunditur; unde iterum necessaria est justa partium distributio juxta eam, quam res ipsae inter se habent, naturalem connexionem. Scilicet examinandum est, quis hucusque fuerit, qui in perpetuum futurus sit humani generis nexus cum Deo auctore suo omnisque felicitatis datore. Id autem a primis pueritiae annis didicimus; homines primum a Deo conditos ad beatam perennemque vitam, multisque eximiis donis in ortu suo instructos fuisse; at mox per peccatum in immensam ruinam prolapsos denuo divini Mediatoris ope ex tanta miseria fuisse eductos, iisque instructos auxiliis, quibus amissam salutem recuperare et ad eam, a qua exciderant, felicitatem pervenire valeant. Nihil est hoc rerum contextu naturalius, nihil ad cujuslibet intelligentiam accommodatius.

Jam difficile non erit Candidatis nostris videre, quem in partitione totius operis secuti simus ordinem. Deum primum exhibemus in se perfectissimum, unum et trinum; tum naturae totius auctorem, imprimis Angelorum hominumque parentem ac aeterna pacis et omoris in genus humanum consilia ad finem usque prosequentem; ut, qui hominis conditor fuit, idem quoque reparator ejusdem sit et judex; qui salutis nostrae auctor, idem quoque restitutor et largitor. Si quis nunc velit his ideam regni coelestis

aut regni moralis Christi substruere, minime repugnamus; tanti enim non est vocabuli alicujus accessio, re ipsa in integro manente. Nobis haec breviter praemisisse sufficiat. Sequitur nunc totius Theologiae specialis in suas partes distributio septem libris comprehensa.

Primus.	De Deo agit ejusque Attributis.
Secundus.	De Sanctissima Trinitate.
Tertius.	De creatione hominisque et Angelorum lapsu.
Quartus.	De Verbi Incarnatione et redemptione generis humani.
Quintus.	De Gratia et Justificatione.
Sextus.	De Sacramentis in genere et in specie.
Septimus.	De statu hominis post mortem.

LIBER PRIMUS.

DE DEO ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Religionis Christianae sacra dogmata evolventes ante omnia de Deo ejusque proprietatibus sermonem instituimus; et merito quidem; hoc enim fundamentum est omnis Theologiae, hoc omnis verae Religionis principium. Quomodo enim veritatem cognoscet, qui fontem non noscit veritatis? Quomodo de rebus divinis bene et recte judicabit, qui de Deo male sentit? Aut quae alia spes vitae homini esse potest, nisi ut abjectis vanitatibus Deum cognoscat, et Deo serviat? Unde per Jeremiam ait Dominus *a*): *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra; haec enim placent mihi.* Et Sapiens ad Deum *b*): *Nosse te consummata justitia est, et scire justitiam et veritatem tuam radix est immortalitatis.* Scilicet nihil ad regendum moderandumque animum aptius cogitari potest, nihil, quod ad virtutis studium vehementius exstimulet, quam frequens de Deo cogitatio et attenta consideratio divinarum perfectionum; ita enim timere discimus tantam majestatem et amare tantam bonitatem et ad beneplacitum sanctissimae perfectissimaeque voluntatis omnem agendi vivendique rationem componere.

Cum autem de Deo tractatio instituitur; primum, quod menti occurrat, utique id est: *An sit Deus.* Unde merito quaeritur, an ab hac materia sumendum sit exordium?

---

a) *Jerem.* IX, 23. *b*) *Sap.* XV, 3.

Video quidem multos magnosque Theologos ab hoc argumento Theologiae tractationem orditos, in eoque copiose et cum magno ingenii acumine versatos fuisse. Verum quae dixerunt, praeclara certe et ad convincenda etiam subtilissima ingenia accommodatissima, ea tamen philosophorum more disseruerunt, atque ita partem naturalis Theologiae in dogmaticam transtulerunt. — Philosophiae hoc munus est, existentiam Dei omnibus generis argumentis comprobare; neque defuerunt prisci scriptores et novi, qui magnam sibi in hac parte laudem meruerunt; imo et inter gentilium philosophos viri reperiuntur, qui multo laudabilique conatu enixi sunt ad veritatem; et, quamvis revelatae Religionis luce destituti, propius tamen ad Dei cognitionem accesserunt, quam multi, quos proxima nobis tempora viderunt, non tam rationis, quam impietatis praecones; qui cum in luce versarentur Christianae Religionis, eo tamen dementiae pervenerunt, ut coelum ipsum appeterent stultitiae, a priscis illis sapientiae cultoribus mirum, quantum distantes! Nam quanto illi studio veritatem ignotam quaesierunt; tanto hi cognitam repulerunt; et quantum illi egerunt, ut intelligerent, tantum isti laborarunt, ut desiperent. Utinam ab hac modernae philosophiae labe eximere possemus novissimorum systematum fabricatores! Verum et hi, quamvis sermone Deum relinquant, hanc tamen materiam, sicut et alias multas, in magnam confusionem adduxerunt; et si non potuerunt Titanum more montes congerere saxorumque moles, ut Deum de coelo deturbarent, nihil tamen omiserunt, ut nubes congererent et nebulas, sicque manifestissimae veritati tenebras saltem affunderunt, et obscurarent insipientium corda.

Porro libenter illis assentimur, qui nolunt praeter modum augeri Atheorum numerum; neque omnes illos quamvis perversos homines, qui de Deo male sentiunt, aut ita vivunt, ut omnem Dei sensum abjecisse videantur, illico inter Atheos collocandos esse credimus; tanta enim est haec stultitia, ut non possit esse multorum. Unde Athei, qui proprie tales sint, id est, qui positive, theoretice et directe supremi entis existentiam negent, si qui dantur,

certe paucissimi sunt. Qui autem hoc nomine vulgo censentur, ad *Atheos* pertinent improprie dictos, qui ad distinctionem priorum *negativi* dicuntur aut *practici* aut *indirecti*. Dicuntur autem *negativi* ii, qui supponuntur omni Dei cognitione destituti; *practici*, qui ita vivunt, ac si Deum non haberent; *indirecti*, qui ea de Deo asserunt, quae cum ejus natura stare non possunt, uti qui Deo providentiam aut justitiam detrahunt, aut imbecilles sibi et facinorosos Deos fingunt. Jam vero observandum est, 1.° a multis in dubium vocari, an unquam extiterint *Athei negativi*, seu an unquam gens aliqua reperta fuerit tam fera, tam extra leges moresque projecta, ut Deum esse penitus ignoraverit. At si essent alicubi tantae feritatis homines, utique numerum in hac materia facere non possent, cum vix aliquid ex humanitate retinuerint, et brutorum more vivant, in functiones animales unice intenti. 2.° *Atheos practicos* non persuasione fieri, sed morum perversitate. Miseri, qui Deum libenter paterentur, si possent criminosum fingere aut res humanas minime curantem. 3.° In Atheorum numero comprehendi non posse eos, quos *indirectos* vocamus; utpote qui Dei existentiam non negant, sed circa naturam Dei errant ejusque attributa. Unde quando Scriptura aut veteres de hominibus loquuntur, *in quibus non subest scientia Dei a*), *qui non noverunt Deum b*), *qui sine Deo fuerunt in hoc mundo c*), et alia ejusmodi; apertum est, de gentilibus sermonem esse, qui Deum ignorarunt verum et unicum, et *iis serviebant, qui natura non sunt Dii d*). *Opinio de Deo,* ait S. Gregor. Nyss. *e*), *naturaliter quidem insita est omnibus hominibus; sed ignorantia veri Dei peccatur circa id, quod colitur.*

Addi potest et illud, quod apud Ethnicos Atheismi accusati fuerint, quicunque a populari Deorum cultu recedebant. Hac de causa damnatus ab Atheniensibus Socrates, Anaxagoras impietatis postulatus, quod sublatis vulgaribus Diis et Religionibus popularibus unum supremum Deum

---

a) *Sapient.* XIII, 1. *b*) II *Thess.* I, 8. *c*) *Ephes.* II, 22. *d*) *Galat.* IV, 8. *e*) Orat. V. de Beatitudinibus.

praedicarent rerum omnium opificem et moderatorem. Quin et ipsi Christiani a Gentilibus Athei vocati sunt, ut observat *Justin.* Apol. II., eo quod falsos eorum Deos colere recusarent. Manet ergo, exiguum semper fuisse Atheorum numerum, si tamen numerus fuit.

Nunc paululum ad illud redeundum est, quod ab initio diximus, non posse proprie ex revelatae Religionis principiis dirimi illud, quod omnem etiam naturalem Religionem praecedit. Quid etiam de Religione curabit insipiens, qui dicit in corde suo: non est Deus? Vel an ex Verbo Dei convinci, aut Ecclesiae auctoritate subigi possunt homines, qui in prima rationis principia impingunt, et a communi omnium populorum consensu atque a se ipsis desciscunt? An non in circulum incurret, qui ex Verbo Dei Deum esse probaret? Sed opponitur: ad fidem quoque pertinere, ut Deum esse credamus. Hinc illud Apostoli *a*): *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* In scripturis Deum praedicari multis et magnificis eloquiis, et illis firmari factis et eventibus extraordinariis, quibus divinae veritates stabiliri solent. Facilis est ad haec responsio. Nihil obstat, quominus idem objectum et fidei et scientiae subesse possit, seu quominus intellectus assentiri possit uni et eidem objecto per motiva diversa, quorum unum est evidens, alterum divina auctoritate subnixum. Potest ergo homo de supremi numinis existentia semel convictus idem objectum fide quoque apprehendere. Ita enim, ut S. Thomas ait *b*), fides rationi accedit, ut naturae gratia et naturalis cognitio immisso supernaturali lumine perficitur. Quod Scripturam attinet, utique neminem latere potest, quod nulla ejus pagina sit, vix non dixerim, nulla linea, quae Deum non contineat; multa quoque in ea de Deo haberi tam splendida et magnifica, ut nihil ejusmodi in omnium philosophorum libris reperiatur. Verum non quaeritur, an Deum in scripturis reperiamus, sed an Dei existentia ex Scriptura tanquam verbo Dei probari possit, eo modo, quo in Theologia speciali probari debent revelata dogmata.

---

a) *Hebr.* XI, 6. *b*) Part. I. Quaest. II. Art. II.

Quod additur, pro existentia Dei certum argumentum desumi posse ex miraculis et vaticiniis ac Theophaniis, quae in scripturis leguntur: illud libenter concedimus, imo et vehementer affirmamus. Nam si homo non potest certius existentiam suam probare, quam cum se ipsum praesentem exhibet, aut ea agit, quae praeter ipsum agere nemo potest: quidni et de Deo id valebit? Et si Deus variis modis cum hominibus communicavit, si opera fecit, quae nemo alius facere potest: quis poterit de ejus existentia dubitare? Verum quod facta illa revera contigerint, prout in scripturis narrantur, id certe Atheo non potest ex Scripturae divina auctoritate probari, sed eadem prorsus ratione, eadem via, quam in Religionis revelatae demonstratione secuti sumus: nempe fidem factorum adstruendo ex humanis criteriis, ex librorum, in quibus facta referuntur, authentia et veracitate. Patet ergo, ex eventibus illis supernaturalibus verissime probari Dei existentiam, sed eo prorsus modo, quo ex iisdem eventibus probavimus factam fuisse divinitus Revelationem. Ergo sicut contra ordinem systematicum peccaret, qui primum Ecclesiae Catholicae divinam originem demonstrare vellet, et regulam fidei accurate stabilire; et ex his deinde veluti praemissis Christianae Revelationis ortum divinosque natales deducere; sic et omnem ratiocinandi et concludendi ordinem inverteret, qui hominibus non tantum a fide Christiana, sed a Deo ipso alienis Dei existentiam ex revelatis criteriis demonstraret.

Merito igitur ab ulteriori circa Dei existentiam disquisitione abstinemus; idque eo magis, quod (si ex Revelatione argumenta desideramus) tota hujus operis tractatio sit Dei probatio. Unde quid sit Deus, potius investigemus, quae ad Dei naturam et attributa pertinent, quantum in nobis est, diligentissime evolventes, non philosophorum more, sed ex Religionis revelatae criteriis et eo modo, quo Theologum Christianum convenit in divinis dogmatibus versari. Verum equidem est, in his quoque partes suas habere naturalem philosophiam; verum et illud notum esse debet ex Demonstratione Christiana, homines in iis, quae ad Deum spectant misere caecutiisse, quandocunque Revelationis lumen aut

non habuerunt, aut oblatum respuerunt. Unde non potest non omnibus manifestum esse, quantum inter quaestionem de Dei existentia et eam, quae de ejus natura et attributis movetur, discrimen intercedat; nam sicut nulla natio unquam fuit tam inculta et barbara, ut Deum esse non sciverit, sic econtra nulla fuit ita ratione exculta, ut seclusa Revelatione qualem habere Deum debeat, intellexerit. Unde ratio ipsa humana id divinae Revelationi debet, quod multas Religionis naturalis veritates nunc clarius certiusque cognoscat, quas neque assequi sibi relicta, neque certo stabilire potuisset.

In materiae hujus tractatione non eundem omnes ordinem secuti sunt. Eam imprimis quaestionem, quae de unitate Dei agit, et speciali ratione ad revelatam doctrinam pertinet tum Mosaicae, tum Christianae legis, video a quibusdam permixtim cum divinis attributis tractari, ab aliis in finem rejici, tanquam consectarium eorum, quae ad divinam naturam pertinent. Alii iterum putant, ab hac quaestione sumendum esse disputationis exordium, ut cum probatum fuerit, unum tantum Deum esse, quaeri deinde possit, quaenam sit unius hujus Dei natura, quae perfectiones. Hanc viam nobis sequendam duximus. Primum igitur de unitate Dei sermonem instituemus, tum de ejus natura et perfectione generatim agemus ac demum de divinis attributis in specie.

CAPUT PRIMUM.

DE UNITATE DEI.

OBSERVANDA.

I. Unum Deum dicimus in ea strictissima significatione, quae cujuslibet aequalis consortium excludit, ita ut Deus non tantum unus sit, sed et unicus. Huic doctrinae, quam certe *Monotheismum* vocamus, opponitur *Polytheismus*. *Polythei* autem appellantur, quotquot veram divinae naturae unitatem negant, et vel

plures agnoscunt Deos, vel plures colunt tanquam Deos. Qui imagines venerantur inanium Deorum, iisque vim coelestem et numen divinum inesse existimant, *Idololatrae* vocantur; idolum enim simulacrum est ficti et commentitii Dei. Hoc genus Polytheismi crassum et praeter quam dici potest, turpe et superstitiosum ante Christi Domini adventum totum fere genus humanum pervaserat, et in errrores conjecerat inextricabiles. Omnes quippe *evanuerant in cogitationibus suis, et coluerunt et servierunt creaturae potius, quam Creatori, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium* a). Aestimantes *auro aut argento aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile* b). Ii, qui miserrima hac ignorantia detinebantur, vulgo *Ethnici* dicuntur seu *gentiles*, quia communem gentium morem sequebantur, ad idola, prout ducebantur, euntes. *Paganorum* autem nomen ideo, uti creditur, obtinuerunt; quia eo tempore, quo ubique jam diffusa fuerat Christiana Religio, et in civitatibus et oppidis passim Deorum templa desererentur, populus rudis et per *pagos* dispersus diutius antiquis superstitionibus adhaesit.

II. Praeter hanc vanissimam superstitionem, cujus *varios et difficiles cultus*, ut Lactanius ait c), *per universam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit*, aliud adhuc est genus *Polytheorum*, qui cum multa de origine rerum et mundi hujus aspectabilis compositione et gubernatione dissererent, tam ridicula protulerunt et plena ineptiarum, ut nullibi magis humanae rationis imbecillitas appareat. Nam viri illi, qui philosophiae operam dederant, et ingenio praediti erant perspicacissimo, in tantis tamen et tam miserandis tenebris volutabantur, ut confusum Chaos, quod ab aeterno extitisse fingebant, in mentem suam transtulisse viderentur. Deridebant quidem vulgi insulsas opiniones, at illi, quid certi dicerent, non inveniebant, et si quandoque veritatem attigisse videbantur, et quaedam de Deo locuti sunt Hebraeis et Christianis similia, mox eos retrorsum iterum rapuit infatuata pravis opinionibus consuetudo. Omnes duo saltem diversa rerum principia admittebant sibi coaeterna;

---

a) *Rom.* I, 25 et 23. b) *Act. Apost.* XVIII, 29. c) Institut. lib. II. cap. I.

materiam scilicet, ex qua factus est mundus, et Deum opificem et fabricatorem mundi. Porro hanc causam rerum efficientem alii iterum aquam statuerunt, alii aërem, alii ignem aliquem subtilissimum; alii demum mentem spiritalem, ab omni materia segregatum. Ita *Pythagoras* docuisse dicitur, ita *Anaxagoras* aliique plures, imprimis Plato, qui plurima de Deo et mundi opificio habet tam praeclara, ut multis non sine ratione videatur in Mosis libros involasse. Verumtamen idem ille divinus Plato non solum materiam admittit aeternam, quam *ἀγέννητον* appellat et *οὖσαν πρὶν καὶ τὸ πᾶν γενέσθαι*, *existentem priusquam omnia fierent;* sed et mundum universum anima instructum credidit, neque undé haec anima esset, an ex subtiliori materia composita, an ex Dei natura detracta, an Deus ipse, pronuntiat; sed eam ait in omnes mundi partes esse distributam, omnibusque vitam et motum communicare; ita ut terra, et quae in coelis volvuntur, corpora totidem divina animalia vocari possint aut visibiles Dii. Si porro a tanto magistro discimus multos ab his Diis visibilibus procreatos fuisse invisibiles Deos, quos genios vel Daemones appellat, ab his demum hominem conditum, procreata animalia etc.: quis non videt nos post magnam sapientiae pollicitationem quasi per circuitus quosdam ad purum iterum putidumque Polytheismum delapsos? Quid ergo egregium aut proficuum generi humano praestiterunt etiam sapientissimi inter philosophos, qui nec suam nec aliorum sanare potuerunt exitialem, qua praeter supremum aliquem mundi opificem Deos alios esse opinabantur, et ea, quae in usum hominum Deus fecit, tanquam sensu praedita essent, pro Diis habenda et colenda credebant?

III. Non parum etiam hominum ingenia quovis tempore exercuit quaestio illa omnium intricatissima: unde sumenda esset causa malorum, quibus continuo afflictatur, et in omnem perversitatem detruditur mortalium vita. Exinde pessimi iterum errores profluxerunt et inconditae phantasiae figmenta, quibus Veteres *Cosmogonias* suas et *Theogonias* exornarunt. Quidam cum neque Deum summe bonum auctorem facere vellent malorum neque materiam vi omni et voluntate carentem; tertium aliquod principium excogitarunt, quod naturam maleficam vocabant seu animam contrariam, turbulentam, mente vacuam,

quam dicunt emendari quidem aut coërceri aliquo modo potuisse a mundi opifice, at corrigi omnino non potuisse. Multis tamen videbatur facilius dissolvi difficultatem, si malorum origo malis geniis aut cacodaimoniis adscriberetur, quos una cum bonis a Deo summe bono, nescio, qua ratione emanasse somniabant.

IV. Omnia haec systemata male opinantium philosophorum in Ecclesiam Christianam intulerunt primorum temporum Haeretici; inter alios *Simon Magus*, *Carpocrates*, *Basilides*, *Valentinus*, *Marcion* etc., qui omnes communi nomine *Gnostici* appellati sunt ἀπὸ τῆς γνώσεως, quia prae caeteris *illuminatos* se dicebant et rerum divinarum scientia praeditos. Revera autem homines erant *seipsos amantes*, *cupidi*, *elati*, *superbi* *a*), qui divina dogmata Christianae Religionis cum iis opinionum portentis commiscebant, quae ex veteri et gentili philosophia imbiberant. Difficile esset, omnes eorum errores accurate exponere, quid ab antiquis hauserint, quid illi addiderint, aut quibus ipsi inter se novis et diversis figmentis dissenserint; fecerunt enim, quod et nostri fecerunt, et omnium temporum Philosophi fecerant, ut, quamvis antiquos errores recuderint, et multa ab aliis mutuati fuerint, voluerint tamen et ipsi suo quisque modo insanire. Commis omnium Gnosticorum error fuit, quod plures Deos induxerint, quos *Aeones* vocabant, fingentes genealogias et conjugia Deorum. *Valentinus* triginta ejusmodi Aeones numerat, et ex illis πλήρωμα suum constituit seu plenitudinem Divinitatis, ab his demum Aeonibus aut ab uno eorum, quem inter malos numerat, asserit mundum hunc aspectabilem et fabricatum fuisse, et gubernari. Quod exitialis hic error jam Apostolorum tempore extiterit, non obscure colligitur ex his Apostoli ad Timotheum verbis *b*): *Depositum custodi*, *devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae* (ψευδωνύμου γνώσεως, die Afterauffläärung), *quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.*

Inter omnes tamen Haereticos, qui orientalis philosophiae inventa, recocta, amplificata novisque figmentis exornata in lucem protulerunt, praecipui fuerunt *Manichaei*, ita dicti a *Manete* principe suo, qui cum esset ex Perside oriundus, veterum Magorum doctrinam cum Christiana Religione ita miscuit,

---

a) II *Timoth.* III, 2. *b*) I *Timoth.* VI, 20.

ut dogmata omnia aut corruperit, aut penitus everterit. Vixit autem *Manes* tertio Ecclesiae saeculo; multosque reliquit discipulos impietatis suae haeredes, homines mente corruptos, fallaces, decipientes animas omnisque pravitatis seminatores. Nimis longum esset, perversa eorum dogmata explicatius recensere (vid. Demonst. Cathol.). Illud primum et totius systematis fundamentum erat, quod duos Deos admitterent seu duplex rerum omnium principium utrumque ingenitum, aeternum; at unum alteri oppositum, unum boni omnis, alterum mali omnis parentem, unum invisibilium auctorem, alium rerum sensibilium et materialium causam; unum veteris legis, aliud novae conditorem. Inde duo regna, unum lucis, aliud tenebrarum; inde continuae in hominum vita bonorum malorumque vicissitudines.

V. Multum quaestum est inter eruditos, unde *Polytheismus*, et quae eum ubique comitata est, *Idololatria* initium habuerint. Primum quidem vehementer errant illi omnes, qui Deorum cultus ab exordio rerum fuisse dicunt. Probavimus in Demonstrat. Christ. *a*), hominem ab ortu suo Deum habuisse institutorem; priorem fuisse veritatem, tum successisse errorem ex veritatis oblivione. Ante diluvium nullum reperiri potest Polytheismi vestigium; neque alium praeter unum verumque Deum genus humanum a secundo suo parente didicit. Verum cum Noëmi posteri increscente multitudine exire ex sedibus suis cogerentur, huc atque illuc dispersi, et avulsi a stirpe sua novos sibi mores pro arbitrio condiderunt; inde veteris traditionis corruptio, Deorum multitudo et Religionum diversitas. Alterum est, quod in quaestionem adducitur; unde sumendum sit Polytheismi initium, seu qui primi fuerint in orbe Dii. Omnium quidem sententia est, non unam, sed multiplicem fuisse causam tanti et tam pestiferi mali; at in assignanda prima ejus origine valde discrepant auctores. Protestantium plurimi contendunt, Deos primum ex hominibus factos, per hominum vita defunctorum *Apotheosin*. Qua ratione in hanc sententiam inciderint, difficile non est intelligere. Nobis videtur hoc Polytheismi genus serum admodum fuisse et omnium fere novissimum; nunquam enim in mentem venisset hominibus, mortuorum animis divinum cultum deferre,

a) Part. II. Cap. II. Sect. I. Art. I.

nisi numerum jam habuissent et genera Deorum. Veteres tum sacri tum profani auctores docent nos, homines rerum naturalium consideratione in admirationem raptos primum opera Dei, oblito opifice, adorasse; atque ita Polytheismum initium sumsisse a solis et siderum cultu; hunc autem ad omnes subin naturae partes fuisse traductum. Scilicet, cum a vera Dei cognitione semel abessent populi, et omnia viderent certo ordine moveri et consilio gubernari, ex aliis bona redundare in homines, ex aliis mala innumera imminere; commenti sunt omnem visibilem naturam plenam esse Daemoniis seu Geniis, quorum alii bonae, alii maleficae essent naturae. Hinc nihil non egerunt, ut eos propitios sibi et benevolos redderent. Unde primo corpora illa colere tum coelestia, tum terrena, in quibus genios sibi repraesentabant tanquam animam in corpore habitantes; tum ea signis repraesentare aut symbolis: tum et haec iterum in Deos convertere, ex quo forsan et animalium cultus partim explicari posset. Tum demum traducere omnia ad similitudinem imbecillitatis humanae; invisibilibus Diis humanas formas inducere, sexus distinguere, conjugia nectere, texere genealogias, omnes demum humanas affectiones in Deos transferre. Ita factum est, ut primum ex Diis homines fecerint, antequam homines in Deorum numero collocarent.

Quod Philosophorum systemata attinet, nemini ignotum est, illa recentioris aetatis esse. Idololatria ubique gentium diffusa erat, ac publicis solemnibusque ritibus consecrata, quando Philosophi de primo rerum principio, de mundi opificio et mali origine disserere coeperunt. Indaganti nunc mihi, quid inter haec nova, et illa communia et popularia intersit, nihil aliud occurrit, quam quod ibi ignorantia, hic ratio probaverit, quid possit utraque suadere errorum. Praeclare et erudite de his disputant D. *Bergier*, *traité historique* Tom. II. pag. 433. — et *Diction. Théolog. Art. Idolâtrie. Paganisme.* — *Hoocke*, Relig. natur. et revelatae princip. — *Zimmer Theol. special.* P. I. pag. 49 et seq. — *Dobmayer*, Tom. V. §. 53 etc.

PROPOSITIO.

Deus unicus est.

Prob. I. Innumera sunt tum veteris tum novi Testamenti loca, quae Deum praedicant unum et unicum, solum

verum, solum vivum et immortalem. Nec mirum; hoc enim primum et fundamentale dogma esse debuit utriusque, tum Mosaicae, tum Christianae Revelationis. *Mosaicae* quidem, quia servanda erat veri Dei cognitio in medio mundi idololatrici: *Christianae* autem, quia per eam in omnes gentes diffundi debuit veri Dei cognitio, ut a vanis superstitionibus et mutis simulacris converterentur ad Deum vivum.

Hinc Moses ab initio et deinceps Deum exhibet ut creatorem coeli et terrae, solum cuncta pro libitu suo regentem et moderantem. Primum legis praeceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra a).* In Deuteronomio imprimis gravius haec et crebrius inculcat Moses, ne ipso vita defuncto Judaei communi populorum depravatione corrumperentur. *Deuteron.* IV. primum caute prohibet, ne hominum imagines haberent, aut animalium: tum ab Astrorum cultu deterret v. 19.: *Ne forte elevatis oculis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli, et errore deceptus adores ea et colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt.* Ac demum paucis interpositis ita concludit v. 39.: *Scito ergo et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum et in terra deorsum et non sit alius.* Sic et Deuter. cap. XXXII, 39.: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Eadem in Psalmis, Prophetis, aliisque V. T. libris centies repetuntur, ita ut nihil sit apertius. Psalm. XVII, 32. dicitur: *Quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum?* Isaiae XLIV, 6.: *Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus.*

Idem doctrinae suae fundamentum posuit Christus, idem gentibus praedicarunt Apostoli. Cum Marci XII, 28. quidam scriba quaereret, quodnam esset primum omnium mandatum, respondit ei Jesus: *Primum omnium mandatum:*

---

a) *Exod.* XX.

Audi Israël: Dominus Deus tuus, Deus unus est.... statimque addit v. 30.: *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ut ostendat non posse divisum cum alio cor nostrum habere, qui divisam cum nullo divinitatem habet. *Joan.* XVII, 3. divinus Servator ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum.* Notum est Apostolos ubique locorum vanas gentilium Religiones aperta fronte impugnasse. *Scimus,* ait Apost. I. ad Cor. VIII., *quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus: nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in coelo, sive in terra, nobis tamen unus Deus.*

Prob. II. Hanc veritatem omnium Christianorum animis nullo non tempore impressam fuisse, res est tam certa, ut probatione non indigeat. Nunquam autem fundamentale hoc dogma apertius professi sunt Patres et Concilia, quam cum asserenda fuit distinctio Personarum contra Haereticos, ne scilicet Trinitatem adstruendo unitatem tollere viderentur. Hinc expresse in Symbolo Nicaeno Constantinop. dicitur: *Credo in unum Deum;* et in Athanasiano: *Fides Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.* S. *Gregor. Nazianz.* de tribus Personis sic ait *a*): *Tria haec unum, si divinitatem spectes. Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas.* S. *August. b*): *Fide rectissime ac robustissime retineamus, Patrem et Filium et Spiritum S. inseparabilem esse Trinitatem, unum Deum, non tres Deos.*

Caeterum Patres, quando illis cum gentilibus congrediendum erat, nullum genus argumentorum omiserunt, ut quos ex fidei principiis convincere non poterant, hos ratione ad Deum adducerent. Sunt autem haec argumenta pene eadem, quae ad probandam Dei existentiam adhibentur. Primum quidem metaphysicum illud, quod ex ipsa Dei idea et ratione desumitur, subtiliter et acute tractarunt. Ita Tertull. adversus Marcionem disputans, ait lib. I. cap. III.: *Deus si unus non est, non est; quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. De*

a) Orat. XXXVII. Tom. I. *b*) Serm. LII. de verbis Evang.

isto convenit apud omnes, quod Deus sit summum magnum, et forma, et ratione, et vi, et potestate. Quae erit jam conditio summi magni? Nempe ut nihil illi adaequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum. Quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, jam non erit summum magnum. Hoc argumentum ita explicat Doctiss. *Thomassinus a*). « Quod summum est, nec juxta se, nec supra se quidquam esse patitur. Nec enim summum est, cui aliquid adaequatur. Ergo summum illud non potest nisi unum esse; melius enim est non habere, quam habere parem; melius est in alium dominari, quam cum alio. Deinde si unitatis limes semel perrumpatur, jam non duo, sed innumerabiles Dii sunt constituendi. » Quam utique rationem non praetermisit *Tertullianus. Primo enim exigam,* ait, *cur non plura, si duo? Quo locupletiorem credi oporteret substantiam Divinitatis, si numerus ei competeret.* Idem argumentum tractat *Lactant.* lib. I. div. Instit.; et S. Athanasius contra gentes, ubi inter alia ait, *multitudinem numinum esse nullitatem Deorum.* Τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι.

Aliud argumentum sumserunt Patres ex admirabili hujus mundi dispositione. Omnes enim partes tam apte connexae sunt, ut appareat unicum fuisse rerum opificem, unum quoque esse, qui cuncta imperio suo moderetur. De his egregie disserit *Lactant.* lib. I. Instit. cap. III. et lib. de ira Dei. Nam si inter plures dividitur rerum administratio, imbecilles erunt, qui totum sustinere non possunt. Si in quolibet supponitur ea infinita magnitudo et virtus, quae omnibus regendis tuendisque par esset, superflui sunt, qui praeter unum assumuntur. *Non possunt in hoc mundo multi esse rectores,* ait *b*), *nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges, sed ne in coelo quidem multi soles, sicut nec animae plures in uno corpore. Adeo in unitate natura universa consentit.* Demum magnam in eo vim ponunt Veteres pene omnes, qui contra gentiles pro

---

a) Lib. I. cap. II. *b*) De ira Dei cap. XI.

Christiana Religione scripserunt, quod unius Dei cognitio servata fuerit apud omnes gentes in media Deorum adulterinorum colluvie. Illud Patres naturae oraculum vocant, aut insitum animae testimonium. Ita *Tertull.*, ait *Minutius Felix*, ita *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactant.* aliique. Unum *Tertullianum* audiamus, qui lib. de testimonio animae rudem et impolitum hominem in testimonium advocat his verbis: *Consiste in medio, anima... sed non eam te advoco, quae Scholis formata, Bibliothecis exercitata, Academiis et Porticibus pasta sapientiam ructas: te simplicem, rudem, impolitam et idioticam compello, qualem habent, qui te solam habent. Te palam et tota libertate domi ac foris audimus ita pronuntiare: Quod Deus dederit et si Deus voluerit! Deus videt omnia, et Deo commendo, et Deus reddet, et Deus inter nos judicabit .... Haec testimonia animae quanto communia, tanto naturalia; quanto naturalia, tanto divina.*

COROLLARIUM.

Doctrina de duobus principiis, aut Diis contrariis, quae vulgo Manichaeis attribuitur, admitti non potest.

Prob. I. Ex Propositione. Argumenta, quae in probationem allata sunt, absolutam unitatem probant, adeoque omne genus Polytheismi excludunt. Duos Deos admittere aeternos, independentes, contrarios, idem est ac Deum ipsum tollere; quomodo enim Deus dicendus esset, qui alterius consilia non cognosceret, neque contraria molienti resistere posset?

Prob. II. In Philosophia probatum est hypothesin duorum principiorum non tantum in se absurdam esse, sed etiam ad explicandam mali originem inepte excogitatam; cum illam non tantum non explicet, sed novis magnisque involvat difficultatibus. Porro nihil implicat sub Deo unico et summe bono mala esse in hoc mundo: malum morale, quod solum cum Dei natura pugnat, non Dei, sed hominis opus est. A Deo data est libertas, qua homo in mala ideo tantum dilabitur, quia optima re pessime utitur. Alia quae mala dicuntur, proprie mala non sunt, ut alio loco

fusius ostendetur. Porro ultro fatemur, naturalem rationem in hac quaestione magis valere ad confutationem erroris, quam ad demonstrationem veritatis. Clarissime illa probat duorum principiorum repugnantiam; verum in explicanda mali origine saepe ipsa haeret suspensa, neque ex tenebris emergere potest sibi relicta. Quae autem obscura sunt rationi, efficiuntur accedente luce Christianae Revelationis clariora; haec fontem nobis detegit illius miseriae, qua nunc opprimitur hominum genus, simulque ex hac ruina emergendi remedia subministrat. Hac duce discimus, omnia quae fecerat Deus, valde bona fuisse, *Gen.* I, 31.; hominem creatum fuisse rectum et inexterminabilem, *Ecclesiast.* VII, 30. *Sapient.* IV, 12. II, 23. 24. Per unum hominem peccatum in mundum intrasse, peccatum autem causam fuisse mortis, *Rom.* V, 12. Hac discimus, eundem Deum esse omnium creatorem, qui pro libitu bona et mala dispensat, I *Reg.* II, 6. 7. 8., hunc punire malos, remunerare justos, exercere bonos; imo ne Daemonum quidem pessimam indolem et nocendi voluntatem quidquam posse contra Dei voluntatem moliri. *Job.* I. et II. Hinc *Amos* III, 6. dicitur: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Et Deus ipse apud Isaiam ait (Cap. XLV.): *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus, faciens omnia haec.* Quocirca recte S. *Hieronymus* ex hac Isaiae sententia ait: *Confundatur Marcion duos inducens Deos, unum bonum, alterum malum; unum visibilium, alterum invisibilium conditorem; unum pacis, alterum mali auctorem; cum utrumque pro diversitate meritorum unus idemque Deus condiderit.*

OBJICIUNT.

1.° Moses *Jehova* suum Judaeis tanquam Deum nationalem colendum proponit; neque unicum esse docet, sed aliis tantum majorem et potentiorem. 2.° Non obscura Polytheismi indicia in Genesi reperiuntur; ut cum dicitur cap. I, 26.: *Faciamus hominem ad similitudinem et imaginem nostram.* Et cap. XI.: *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum.* 3.° Si uti

in probatione dictum est, unius summi Dei notio per omnes gentes diffusa fuit, ergo perperam Polytheismi incusantur.

Resp. ad I. Hanc objectionem diluimus in Demonst. Christiana *a*). Deus, qui in libris Mosis seipsum Deum Abraham, Isaac et Jacob vocat, idem ille est, qui in principio coelum et terram creavit, idem ille, qui Deuteron. XXXII. ait: *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius praeter me.*

Ad II. Moses ubique Monotheismum praedicat; nullus illi Deus praeter *Jehovam*, quem solum verum Deum appellat et vivum. Haec tam manifesta sunt, ut nemo possit in iis locis, quae citantur, Polytheismum suspicari. Unde alii nihil ibi vident praeter modum loquendi satis communem, quo multitudinis numerus pro singulari usurpatur: alii Mysterium latere contendunt, et Personarum distinctionem in naturae unitate designari.

Ad III. Philosophi gentiles, qui Deum unum et summum agnoverunt, eo magis culpandi sunt, quod, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverint, aut gratias egerint; sed mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis.* Quotus enim Philosophus reperitur, qui cultum exhibuerit illi, cui soli cultus debebatur? Aut qui non materiae aeternitatem aut mali aliquod principium docuerit, aut certe praeter unum summum Deum plures alios admiserit inferiores Deos, quibus solis omnem cultum deferebat? *Aurea est lingua Sapientium litteratorum,* ait S. *Ambros. b*), *sed aurum si diligentius tractes, foris pretium, intus metallum est; Deum loquuntur, simulacrum adorant.*

Jam quid de populo dicamus inculto, et in sensus penitus effuso? Ejus caecitatem et perversam sentiendi rationem ita arguit *Lactantius c*): *Huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia divini nominis veniret hic error: cum vero ipsos Deorum cultores saepe videamus Deum summum et confiteri, et praedicare, quam sibi veniam sperare possint impietatis suae, qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ab homine ignorari fas non est? Nam cum jurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed Deum nominant; adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus*

---

a) Part. II. cap. II. art. II. *b*) Epist. 82. *c*) Lib. II. cap. I.

erumpit! Quod quidem non faciunt in prosperis rebus: nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinae indulgentiae deberent. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt: postquam metus deseruit, et pericula recesserunt, tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant; Deo autem, quem in ipsa necessitate imploraverunt, ne verbo quidem gratias agunt. In hoc ergo maxime positum erat Idololatriae crimen; quod praeter Deum maximum multos adoraverint Deos fictitios et adulterinos; imo, quod vero Deo contempto vel praeterhabito, cultum, qui illi soli debebatur, creaturis exhibuerint, et rerum creatarum simulacris.

Cum haec scribimus, non possumus non dolere incredibilem multorum Christianorum caecitatem, qui quamvis verae Religionis lumine illustrati unum Deum credant et profiteantur; ipsi tamen nec amorem, nec cultum impendunt Deo debitum. Toti enim in bonis creatis haerent, pecuniae aut honori aut libidini addicti. His tanquam Diis suis serviunt, prout Apostolus ad Philipp. ait cap. III.: Multi sunt . . . *quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Haec idola sunt, ex corruptione nata, quae in omnem perversitatem cultores suos deducunt.

O curvae in terras animae et coelestium inanes! Ergo deposita pravitate cultum suscipiamus unius veri Dei et parentis nostri, ne mortiferas vitiorum suavitates appetendo in laqueos mortis incurramus. Viventem adoremus, ut vivere et ipsi possimus! Non possumus pluribus Dominis servire, plures diligere; nam *Dominus Deus noster unus est.*

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA DEI EJUSQUE PERFECTIONE GENERATIM.

Quemadmodum facillimum est homini, Deum invenire; ita dicere, quid ille sit, difficillimum. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram a). Ejus,* ait *Lactant. b), nec*

a) Job. XXXVII, 26. *b)* Instit. lib. I. cap. VII.

virtus aestimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi. Cum ad illum mentis humanae intentio et acumen et memoria pervenerit, quasi subductis et consummatis omnibus viis, subsistit, haeret, deficit: nec est aliquid ulterius, quo progredi possit. Et S. *Aug. a*): *Quaeris, quid sit Deus? Quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit. Quid quaeris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Verum quamvis investigare non valeamus Dei naturam, neque vim ejus majestatemque comprehendere, multa tamen sunt, quae fide edocti definire possumus; intelligimus enim saltem in aenigmate, cognoscimus saltem ex parte, et ipsa ratio naturalis, dummodo non velit a divina Revelatione discidium facere et vias sibi quaerere novas et insolitas, multa potest praeclare de Deo ejusque attributis disserere, multa ratiocinando deducere, multa per analogiam concludere. Unde sicut non excelsi ingenii, sed magnae stultitiae argumentum esset, ea scrutari velle curiosius, quae omnem mentis nostrae aciem effugiunt; ita ingrati quoque et hebetis animi vitium foret, ne illud quidem intelligere velle, quod nosse datum est nobis. Nam si sparsos in Scripturis et in rerum natura radios diligentius colligimus, eam assequi possumus divini numinis cognitionem, quae peregrinantibus in hac terra sufficit. Huic ergo bene facimus attendentes . . . *tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco b*). Siquidem male de Deo sentire, de ejus natura et attributis falsa sibi fingere, fons est omnis pravitatis et vanissimarum superstitionum.

Nomina, quae Deo in Scripturis attribuuntur, humana magis sunt, quam divina; Deus enim nomen proprium non habet, tum quia solus est, tum quia ineffabilis. Hinc et gentilium sapientes eum *ἀνώνυμον* esse dixerunt, eo quod nominis proprietate non egeat; et *Attalus* Martyr., cum per contemptum Tyrannus quaereret, quod nomen haberet Deus? respondit: *Qui plures sunt, nominibus decernuntur; qui autem unus est, non indiget nomine.* Sed neque potest nomine proprio designari, quod longissime distat ab omni

---

a) In Epist. LXXXV. *b*) II *Petr.* I, 19.

humano intellectu. «Deo nullum inditum est nomen, ait Plato in Parmenide, Deus non potest definiri. Quocirca neque nominari, neque dici.» Igitur cum Deo nomen tribuitur, ipse non nominatur nomine proprio, sed ejus existendi modus, aut perfectio aliqua exprimitur et quidem imperfecte et secundum nostrum concipiendi modum. Deum nominamus eo modo, quo cognoscimus. Nomina autem Dei, quae in Scripturis reperiuntur, praecipua haec sunt: אֵל *El,* quod est idem ac *fortis.* אֱלֹהַּ *Eloah,* id est: *fortis existens,* vel *fortis gubernator etc.* אֱלֹהִים *Elohim,* quod plurale est nominis *Eloah.* שַׁדַּי *Schaddhai,* idem ac *omnipotens.* אֲדֹנָי *Adonaj* seu *Dominator, Dominus.* עֶלְיוֹן *Haeljon,* quod idem significat ac *Excelsus, Altissimus.* Praecipuum autem Dei nomen, quod Mosi cum emphasi revelatum est Exodi VI., est nomen יְהוָה *Jehova,* a הָוָה *fuit,* et littera *Jod,* quae est characteristica futuri. Hoc nomen idem videtur esse cum eo, quod Deus sibi imposuit Cap. III, 14., et de quo mox dicendi occasio erit. Vocatur etiam nomen Dei *tetragrammaton,* eo quod quatuor litteris constet: et *ineffabile,* quia Judaei illud Religionis et reverentiae causa effari non audebant; quo factum est, ut genuina quoque ejus pronuntiatio in oblivionem venerit. Vox יָהּ *Ja,* quam Scriptura non raro adhibet, est ipsum nomen *Jehova* abbreviatum, idemque ac illud significat, id est: *Qui est, et qui erat, et qui futurus est.* Vid. *Petavium* Theolog. Dogm. Lib. VI. *Cornel. a Lap.* in Cap. III. et VI. Exodi *Cl. D. Oehmbs,* de Deo Uno et Trino, p. 75. His nunc breviter praemissis hanc tractationem in quatuor Articulos partimur. *Primus* examinabit, in quo consistat essentia Dei metaphysica, seu quodnam sit illud primum, ex quo perfectiones Dei omnes quasi ex sua radice prodeunt: *secundus* de infinita Dei perfectione generatim aget; *tertius* de perfectionum divinarum distinctione pauca disseret; *quartus* demum consectaria quaedam ex antea probatis deducet.

ARTICULUS I.

De Essentia Dei metaphysica, seu de gradu Dei constitutivo.

OBSERVANDA.

I. Haec quaestio multis otiosa videbitur, et ad veterum Scholasticorum subtiles ineptias releganda. Verum missis iis, quae vana disputandi libido excogitavit, non abs re erit ea examinare, iisque immorari paulisper, quae primum in Deo nosse oportet, ut in tam difficili inquisitione certa ratione, certo ordine progredi valeamus: cum enim Dei naturam intueri non possimus, nec omnia simul cogitatione complecti; necesse est ut unum ex alio, quantum id fieri potest, legitima connexione deducamus.

II. Essentia Dei distingui potest in physicam et metaphysicam. Essentia physica est ipsa Dei perfectissima natura, seu quidquid in Deo est: nam quidquid Deus habet, essentialiter habet, nec est aliquid in eo prius aut posterius. Essentia *metaphysica*, quam etiam differentiam Dei essentialem vocant aut gradum constitutivum, est illud, quod primum a nobis in Deo concipitur, et ex quo, tanquam ex fonte, caeterae omnes perfectiones dimanant; quodque Deo ita est proprium, ut eum a quolibet alio distinguat. Jam vero, quid illud sit, magna animorum contentione olim in Scholis certatum est, ita ut difficile esset et molestum, omnes hac de re enumerare et expendere sententias.

III. Pauca tantum de praecipuis Scholarum opinionibus dicemus. Quidam hanc Dei essentiam ponunt non in una quadam perfectione, sed in omnium velut congerie; alii in *infinitate*, alii in *intellectione;* verum inter hos iterum lis est; alii enim pro intellectione *actuali* pugnant, alii pro intellectione *radicali*, quae est vis ipsa seu potentia intelligendi. Communior autem et magis recepta sententia est eorum, qui differentiam Dei velut specificam in eo positam dicunt, quod sit *ens a se*, seu quod rationem suae existentiae habeat in se ipso. Hanc divinae naturae proprietatem Theologi *Aseitatem* vocant. Ut in hac quaestione ea, quae certa sunt et a nemine in dubium vocari possunt, ab iis dividamus, quae ad liberas Scholarum sententias pertinent, examinabimus: 1.° An Deus sit ens a se. 2.° An hoc attributum recte essentia Dei metaphysica dici possit.

PROPOSITIO I.

Deus est ens a se, seu ens, quod in natura sua continet necessitatem existendi.

Prob. I. Primum argumentum ex celebri loco desumimus Exodi III, 14.: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* In hebraeo legitur vox אֶהְיֶה *Ehje, ero,* quod latinus interpres reddit per *sum,* quia Hebraei futurum pro praesenti usurpant, ubi aliqua perduratio et constantia rei significatur. Sensus ergo est: Ego sum ille, qui esse habet a se ipso, qui est ipsum esse: caetera omnia ita sunt, quasi non essent; non enim habent in se, ut existant. Unde et LXX. verterunt: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *Ego sum ille existens.* Notandum autem, nomen hoc Dei probabilius idem esse ac nomen *Jehova:* statim enim postquam revelatum fuerat Mosi v. 14., additur v. 18. Haec dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorum (יְהוָה אֱלֹהֵי) misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in aeternum.

Multa alia in Scripturis occurrunt huc pertinentia, ut cum dicitur, Deum esse ens primum. *Primus et novissimus ego sum,* Isai. XLI, 5. *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* Apocal. I, 8., aut quae Deum vitam esse dicunt et fontem vitae, aut vitam habere in semetipso, Joan. V, 26. Nam, qui omnium primus est, qui vitam in semetipso habet, non potest existentiae suae rationem habere in alio. Ergo etc.

Prob. II. Eandem Patrum mentem fuisse, innumeris fere testimoniis probari posset. Sufficiant haec pauca. S. Hieronymus in Cap. III. Epist. ad Ephes. ait: *Loquitur in Exodo Dominus: Ego sum, qui sum; et haec dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Numquid solus Deus erat et caetera non erant? Et quomodo nomen commune substantiae sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa: quia caetera ut sint, Dei sumpsere beneficio; Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium et ipse sui origo est, suaeque causa substantiae; non*

potest intelligi aliunde habere, quod subsistit. Et S. Ambros. in Psalm. XLIII. citata verba Exodi exponens ait: *Cognoscens mentem ejus Deus, non respondet nomen, sed negotium: hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum, qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse.* Plura etiam sunt Philosophorum dicta, qui hoc Deo tanquam proprium attribuunt, *quod sit.* Caetera, quae oriuntur, dicunt verius non esse, quam esse. Ita *Plato* in *Timaeo, Numenius* Pythagoricus in lib. de bono. *Plutarchus* in lib. de *ει* — aliique. Vid. Euseb. praep. Evang. lib. XI. etc. Plato inter alios tot de Deo habet Mosi similia, ut Numenius ipse secundi saeculi Philosophus dixerit: *Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μώσης ἀττικίζων. Quid enim est Plato, nisi Moses atticizans?* Praeterea non est adeo difficile sana ratione utentibus a rerum naturalium contemplatione ad ens aliquod assurgere, quod esse suum habeat a se ipso. Nam nisi primum ens aliquod ponatur, quod in se ipso habeat rationem existentiae; unde originem trahere poterunt ea omnia, quae contingentia dicuntur et ad existendum non sunt a natura sua determinata? (1)

Ergo Deus est ens necessarium.

Habet enim in sua natura rationem existentiae; neque aliter concipi potest, quam existens.

PROPOSITIO II.

Essentia Dei metaphysica in eo posita videtur, quod sit ens a se et independens.

Prob. I. In Scriptura et Patribus haec existendi necessitas, vel *Aseitas* Deo tribuitur, non eo modo, quo aliae quaecunque perfectiones, sed velut expressus Dei character et differentia illius constitutiva. Hinc Deus a Mose interrogatus, quis esset, respondit: *Ego sum, qui sum. Qui est, misit me ad vos.* Et Patres, cum hunc locum explicant, passim docent, hoc nomine Dei naturam imprimis significari. Unum audiamus S. *Hilarium,* qui lib. I. de Trinit. in citata verba Exodi ait: *Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae*

incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud magis proprium Deo, quam esse, intelligitur. Alia plura legi possunt apud *Tournel.* Tom. I. de Deo, pag. 280 etc.

Prob. II. Illud recte gradus Dei constitutivus dicitur, quod Deum maxime ab omni alio ente distinguit, quod primum in Deo concipitur, et a quo reliqua omnia, quae ei sunt propria, proficiscuntur. Sed necessitas existendi, seu Aseitas est ejusmodi. Ergo etc.

Prob. min. 1.º Non potest major cogitari oppositio inter Deum et caetera entia, quam haec, quod Deus a se ipso existat, réliqua omnia ab ipso id habeant, quod sint. 2.º Necessitas existendi primum est, quod nobis de Deo cogitantibus occurrit; neque ea potest per aliquam perfectionem se priorem demonstrari. 3.º Necessitas haec adeo est fons et radix omnium perfectionum, ut ea posita reliquae omnes facile intelligantur, ut lustranti singulas Dei perfectiones manifestùm erit.

Prob. III. Illud quoque ad sententiae nostrae confirmationem non parum confert, quod aliorum sententiae defendi nulla ratione possint. Non enim essentiam Dei perfectionum omnium cumulus constituit: nam quaerimus, quaenam ex iis sit omnium prima et velut radix caeterarum. Neque de infinitate id dici potest, quia haec non tam perfectio est, quam modus afficiens omnes divinas perfectiones. Sed neque intellectio tanquam proprius Dei character haberi potest, sive radicalis illa sit, sive actualis; prius enim Deus intelligitur esse, quam cognoscere. Hinc sapientia et intelligentia aliorum attributorum adinstar habentur in Scriptura. Job. XII, 13.: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam.* Sed satis est subtilitatum. Quamvis enim haec non sint penitus rejicienda, non debent tamen nos diutius, quam par est, morari.

ARTICULUS II.

De infinita Dei perfectione generatim.

OBSERVANDA.

I. Perfectum in genere illud dicitur, quod integrum est, et omnia habet, quae illius natura exigit. Hoc sensu rebus etiam contingentibus et creatis perfectio aliqua attribui potest, quando scilicet nihil illis deest, ad propriam naturam complendam. Verum haec omnia perfecta tantum dicuntur, vel comparate ad alia, aut in se sub ratione hujus aut illius generis: ut in genere lapidis aut hominis. Cum autem Deus ad nullum genus pertineat, et ens absolutum sit, a quo omnia alia originem habent, quae in suo quaeque genere perfecta sunt; sequitur, in eo, ut perfectus dici possit, requiri perfectionem absolutam entis: seu omnes realitates, quibus ens aliquod possit fieri melius. Haec summa et absoluta naturae divinae perfectio una est et indivisa; quamvis nos, cum imperfecta admodum sit nostra cogitandi ratio, id, quod unum quiddam est in se, separatim consideremus, et attributa varia perfectionesque in Deo distinguamus.

Porro perfectiones, quae dicuntur enti alicui inesse, solent a Theologis in tria genera distingui. Quaedam dicuntur *simpliciter simplices*, quae nullam habent sibi adjunctam imperfectionem; aut quae, ut S. Anselmus loquitur *a*), sunt meliores ipsae, quam non ipsae: hoc est, quas enti cuilibet, quatenus est ens, melius est habere, quam non habere: hujusmodi sunt: *Sapientia*, *Justitia* etc. Aliae *simplices* vocantur, et sunt eae, quae nullam quidem adjunctam habent imperfectionem, sed tamen cum aequali perfectione simul esse non possunt; tales sunt relationes divinae. Aliae dicuntur *secundum quid simplices*, quia aliquid habent imperfectionis et majori perfectioni opponuntur, ut *visus*, *auditus* aut *vis ratiocinandi*. Hujus generis perfectiones interdum sunt ejusmodi, ut melius sit alicui enti eas habere, quam non habere. Sic melius est homini ratiocinari, quam non ratiocinari: sed non item cuilibet enti, ut est ens; nam praestat uno aspectu res intueri, quam unam ex alia colligere.

II. Infinitum dicimus, quod fine et termino caret. Omnis res creata necessario finita est, quia necessario habet certam

a) Monologii lib. XV.

perfectionis mensuram; quamvis proprietates omnes naturae creatae, si abstracte considerentur, infinitatem negativam habeant; quia nova semper incrementa capere possunt. Sola ergo divina natura absolute infinita est; haec enim infinitas in Deo nihil aliud est, quam summa et absoluta perfectio.

PROPOSITIO I.

Deus habet omnes perfectiones.

Prob. I. Scripturae ubique Deum nobis repraesentant tanquam boni omnis datorem, in quo velut in fonte continetur, quidquid magni, aut boni cogitari potest. *Ipse dat omnibus vitam, inspirationem et omnia.* Act. XVII. Dei magnitudinem mire extollunt, Psalm. 144.: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Baruch. III, 23.: *Magnus est et non habet finem.* Eccl. XLIII, 33.: *Benedicentes Dominum, exaltate eum, quantum potestis: major enim est omni laude.* Matth. V, 48.: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Quae verba ita exponit Lateranense IV. Cap. *Damnamus*, de SS. Trinitate: *Estote perfecti perfectione gratiae, sicut pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae.*

Huc referri possunt testimonia fere innumera, quae Deo perfectiones quascunque speciatim attribuunt; et ita quidem, ut ille solus ex perfectione naturae habeat, quidquid perfecti cogitari potest. Dicitur enim solus sanctus, solus potens, solus bonus etc. Sed haec explicatius exponentur, cum de perfectionibus divinis singillatim agetur.

Veteres Patres et Ecclesiam universam in hac sententia semper fuisse, a nemine in dubium vocatur: unde eorum testimonia recensere superfluum ducimus.

Prob. II. Deus est ens a se existens, vel necessarium, prout Art. I. hujus Cap. probatum est: atqui ens necessarium habet omnes perfectiones possibiles. Ergo etc.

Prob. min. Nulla est perfectio possibilis, nisi quatenus alicui subjecto inhaerere potest. Duo autem perfectionum subjecta sunt, ens necessarium et ens contingens; neque plura cogitari possunt. Jam vero ens necessarium et unicum habet manifesto omnes perfectiones proprias enti ne-

cessario; habet etiam omnes perfectiones entium contingentium, quae nihil habent, quod non ab ente necessario acceperunt. Ergo habet omnes perfectiones possibiles.

PROPOSITIO II.

Deus est in omni genere perfectionum infinitus.

Prob. I. *Ex Propos. I.* Deus habet, quidquid perfectionis cogitari potest: atqui si Deus in omni perfectionum genere infinitus non esset, deesset illi aliquid ad absolutam naturae suae perfectionem. Ergo etc.

Prob. II. *Ex iis, quae Art. I. probata sunt.* Deus a se ipso est, essentialiter existens; ergo finitus non est. Quid enim illius perfectiones definiet, qui a nullo pendet? Nihil autem sibi ipsi terminos praescribit. Adde, quod absoluta existendi necessitas omnem removeat limitem, omnem aequaliter exigat realitatem, omnes gradus perfectionis: nulla enim ratio sufficiens cogitari potest, cur in aliquo gradu arbitrario haereret. Hinc ratio ad ens primum et absolutum ascendens non potest nisi in summe perfecto acquiescere.

Prob. III. Textus Scripturae iidem afferri possunt, qui in priori prop. citantur; dicitur enim: *Magnitudinis ejus non est finis,* hoc est: Non est mensura, non est terminus. Quam sublimia sunt et ad exprimendam infinitam Dei majestatem magnifica, quae Isaiae XL. leguntur! v. 12.: *Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes et colles in statera?* v. 15 et 17.: *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt. Ecce insulae quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.* Ex Patribus unum audiamus S. Hilarium in Psalm. 144.: *Haec,* inquit, *Dei prima et praecipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suae habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur.*

Inde patet quantam debeamus reverentiam tanto numini; quam exigui nos simus et viles, cum infinitam illius majestatem consideramus. Seraphim Isai. VI. alis faciem suam velant coram eo, nec cessant unquam laudare nomen ejus. Quanto magis nos oportet cum magno tremore ad eum accedere et magno studio in ejus laude versari! *Illius magnitudo sine fine est et tua laudatio sine fine sit.* Aug. in Psalm. 144.

OBJICIUNT.

1.° Relationes divinae sunt verae perfectiones; atqui illae perfectiones non possunt omnes simul esse in Deo, cum sese mutuo excludunt. 2.° Si Deus rerum omnium, quarum ipse causa effectrix est, perfectiones complectitur; multa continebit pugnantia et perfectioni naturae divinae contraria. Ergo etc.

Resp. ad I. Relationes divinae vocantur quidem perfectiones; sed non pertinent ad illud genus perfectionum, quas simpliciter simplices nominamus. Has autem solas dicimus Deum habere *formaliter* et *absolute*, ut Deus est. Relationes ad Personas pertinent; neque una potest dici altera perfectior: sic de paternitate non potest dici, quod melius sit Patri illam habere, quam filio esse filium. Verum haec ad mysterium pertinent SS. Trinitatis; unde sufficiat ea transeundo attigisse.

Resp. ad II. *Dist. Ant.* Si omnes illas perfectiones complectitur *formaliter*, *conc.* Si eas virtualiter habet, et *eminenter*, *neg.* Deus rerum creatarum proprietates *formaliter* non continet cum naevis et imperfectionibus; sed eminenti quadam ratione, tanquam rerum omnium effectrix et exemplaris causa. Hoc sensu ait Scriptura, Psalm. 93.: *Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat?* Et S. *August. a)*: *Intelligimus Deum, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum etc.*

ARTICULUS III.

Quomodo attributa divina tum ab essentia, tum a se invicem distinguantur.

OBSERVANDA.

I. Distinctio alia realis est, alia rationis. Realis ea est, quae in ipsa re existit, nemine cogitante. Distinctio rationis inter ea

a) Lib. V. de Trinit. cap. I.

intercedit, quae licet unum sint reipsa seu in sensu reali, tamen cogitatione distinguuntur, ita ut notio unius in alterius notione non includatur. Duplicem quidem distinctionem rationis admittunt Theologi; unam vocant *rationis ratiocinantis*, alteram *rationis ratiocinatae*; primam dicunt fieri per mentem sine ullo in re fundamento; alteram cum fundamento in re. Verum videtur mihi, ejusmodi distinctionem, quae fundamentum non haberet, potius distinctionem fore *rationis non ratiocinantis*.

II. Quaestio haec: An et quomodo attributa divina ab essentia et inter se distinguantur, multis disputationibus et diversissimis sententiis ansam dedit; quarum aliae libere in Scholis ventilatae sunt, aliae autem tanquam sanae fidei contrariae proscriptae sunt ab Ecclesia. Errores, qui cum Ecclesiae doctrina pugnant, duo sunt sibi ex adverso oppositi. Primus in *Aëtio* et *Eunomio*, et qui ab illis orti sunt, *Anomaeis* notatus est; volebant enim nihil in Deo, ne cogitatione quidem distingui, nomina omnia, quibus divina utcunque declarantur, ipsam significare naturam. Alter huic omnino contrarius error *Gilberto Porretano* Pictaviensi Episcopo attribuitur, qui Saec. XII. docuit, proprietates divinas cum a se invicem, tum a natura et essentia Dei reipsa, non sola ratione sejungi. Inde ejus haec dicta: *Divinitatem non esse Deum; Divinam essentiam esse substantiam, qua Deus est, non quae Deus sit.* Huic doctrinae vehementer restitit S. *Bernardus*, eoque rem adduxit, ut anno 1148 ab Eugenio III. in Concilio Rhemensi fuerit condemnata. *Gilbertus* vero sententiae summi Pontificis reverenter obsecutus, cum ordinis integritate et honoris plenitudine, ut ait *Otto Frisingensis a*), ad propriam Dioecesin remeavit. Saeculo XIII. *Joachimus Abbas*, cujus libellus in Conc. Later. IV. proscriptus fuit, inter essentiam divinam et Personas realiter quoque distinxisse videtur.

III. Pauca nunc de Scholarum opinionibus dicenda, non utique disputandi causa, sed ut Candidati notitiam aliquam hujus rei habeant, in quantum illa ad studii theologici historiam pertinet. Triplex distingui solet Scholarum opinio, *Scotistarum* scilicet, *Thomistarum* et *Nominalium*. Auctor *Scotistarum* est *Duns Scotus*, ex S. Francisci familia, qui Saeculo XIII. Parisiis primum,

---

a) Lib. I. de Gestis Frider. I. cap. XLVI.

tum Coloniae cum magna ingenii fama Theologiam docuit. Hic novam distinctionem invenit, quam *realem formalem* vocat; ideoque ait, divina attributa cum inter se, tum ab essentia differre, non sola ratione aut mentis conceptu, neque reipsa ut rem a re, sed *formaliter*, ut formam ab alia forma ejusdem rei. Quemadmodum ille ad hanc distinctionem admittendam eadem ratione ductus fuit, qua *Gilbertus*; nempe ut exponeret, qua ratione divina essentia Personis Filii et Spiritus S. communicetur, non communicata personalitate: ita iisdem quoque argumentis refellitur a Theologis, quibus olim S. *Bernardus* distinctionem a Gilberto invectam expugnavit, nempe quod simplicitati Dei repugnet, et quod attributa de Deo in abstracto praedicentur. *Dicimus Deum magnum, bonum, justum et innumera talia*, ait S. *Bernardus a*), *sed nisi omnia unum in Deo, et cum Deo considéres, habebis multiplicem Deum. Mihi vero non deest, quod cogitem melius hujusmodi Deo tuo. Quaeris, quid? Mera simplicitas. Vero judicio natura simplex multiplici antefertur.* Thomistae concedunt plures de Deo ideas in Deo nihil vere distinctum arguere; sed addunt eam rem, eo quod pluribus aequivaleat, mentis consideratione in plures dividi veluti partes, quas *virtualitates* appellant. Alii virtualitates *intrinsecas* admittunt, quas Deo inesse dicunt ante omnem mentis operationem; alii *extrinsecas* defendunt, seu distinctionem, uti dicunt, *virtualem minorem.* Haec sententia ab illa non differt, quam Theologi vocant *rationis ratiocinatae.*

Nominales tandem illi vocantur, qui inter attributa absoluta, et essentiam nullam omnino distinctionem admittunt, quae fundamentum in ipsa re haberet; sed omnem distinctionem in nominibus tantum ponere videntur, quibus eadem res significatur.

IV. Manifestum est, ejusmodi quaestiones nihil habere utilitatis; sed foetus esse ingeniorum male subtilium, qui vanam scientiam sectantes, omnia inutilibus et vanis disputationibus implebant, languentes circa quaestiones et pugnas verborum. Unde ad illos pertinent, quae S. *August.* habet Lib. II. de Genesi ad litteram: *Multum disputant de illis rebus, quas Majores*

---

a) Lib. V. de Considerat.

nostri majore prudentia omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus et occupantes, quod pejus est, multum pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia. Ne ergo et nos rebus minime profuturis pretiosa temporum spatia impleamus, missis Scholarum sententiis id unum probandum suscipimus, quod nulla in Deo detur distinctio realis.

PROPOSITIO.

Attributa divina realiter unum sunt cum essentia; seu in Deo nulla admitti potest realis distinctio.

PROB. 1.° In Scripturis essentia divina et attributa de se invicem praedicantur in abstracto; ergo nulla admitti potest inter illa distinctio realis ante mentis operationem.

PROB. ANT. Proverb. VIII, 12.: *Ego sapientia habito in consilio.* Christus de se ipso ait Joan. XIV.: *Ego sum via, veritas et vita.* Et Apost. I. ad Cor. I, 24.: *Praedicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

2.° Concilium Rhemense in symbolo fidei contra errores Gilberti ita loquitur Art. I.: *Credimus et confitemur, simplicem naturam Divinitatis esse Deum; nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus et Deus Divinitas.* Idem docent SS. Patres, quorum testimonia videri possunt apud *Petavium.* Sic S. *August.* lib. VI. de Trinit. cap. IV.: *De hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse et siquid de illa simplici multiplicitate et multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur.* Optime S. *August.* substantiam divinam simplicem multiplicitatem vocat, quod sit re ipsa simplex, ratione vero et nostro intelligendi modo multiplex.

3.° Deus est ens simplicissimum, ut sequenti capite ostendetur: atqui ens simplex excludit omnem complexum partium a se invicem distinctarum. Ergo etc.

ARTICULUS IV.

Consectaria.

OBSERVANDA.

I. Antequam Attributa Dei speciatim consideremus, quaedam adhuc praemittenda censemus, quae Deo ut enti absoluto

et necessario conveniunt, et tanquam consectaria fluunt ex iis, quae de summa ejus et perfectissima natura diximus. Nam ex eo, quod Deus absoluta substantia sit, et solus a se ipso, neque ab aliquo alio habeat, ut existat, sequitur eum esse rerum omnium causam, vitam ipsam, omnisque vitae principium, ens primum, ens supremum, ens entium. Ex eo, quod omnes perfectiones sine fine et mensura complectatur, sive quod perfectionem naturae habeat tum extensive, ut Philosophi dicunt, tum intensive summam; necessaria consecutione deducitur, eum summum bonum seu bonum ipsum optimo jure appellari; summam quoque illius esse majestatem et gloriam; item, Deum nullius indigere, sed plenissime sufficere ipsum sibi; ac demum, tantam esse naturae illius excellentiam, ut a nullo creato intellectu perfecte cognosci, id est, comprehendi possit. Haec omnia ita clara sunt, ut negari non possint, nisi Deum ipsum aufferas seu naturae divinae omnimodam perfectionem, qua sublata, jam Deus ipse cogitari non potest. Multa in hanc rem praeclare dicta sunt ab ipsis gentilium Philosophis; ut videri potest apud Huetium *a*). Sic *Plato* et *Platonici* Deum boni nomine designant; eum bonum ipsum vocant, et bonitatem bonitatum; et *Epictetus* ait, ibi boni essentiam esse, ubi esset Dei essentia. Porro notandum est non de illa Dei bonitate hic agi, quae unum est ex attributis divinis, et propensionem dicit aliis impertiendi bona; sed de bonitate ipsa naturae divinae, quae etiam transcendens dicitur. Deus quippe bonus est per essentiam, et illius participatione reliqua, quae sunt, omnia bona sunt.

II. De incomprehensibilitate Dei adhuc quaedam sunt praemittenda. Comprehensio solet usurpari pro cognitione clara, distincta et plena, quae rei magnitudinem exaequat; cum scilicet res omni modo cognoscitur, quo cognosci potest. Saeculo IV. *Aëtius*, *Eunomius* et *Anomaei* praeter alios errores id quoque docuerunt, Deum in hac vita non videri modo, sed etiam comprehendi posse. De *Aëtio* sic loquitur *Epiphanius b*): *Ita audacissimus iste dicebat: Tam Deum novi, quam meipsum; imo non tam novi meipsum, quam Deum.* Idipsum *Eunomius* et *Anomaei*

---

a) Quaest. Alnetanae, lib. II. cap. II.

b) Haeres. 76.

passim asserebant. Constantem Ecclesiae doctrinam adversus tam stolidam et execrandam Haeresin strenue vindicarunt SS. Patres, *Gregorius* uterque, *Basilius*, *Chrysostomus*, *Theodoretus etc.* (2)

CONSECTARIUM I.

Deus est ens primum et aliorum origo.

Prob. Cum Deus sit ens necessarium, vel a se ipso existens (ex Prop. I. Art. I.) et simul unus (ex Cap. I.); sequitur, nihil praeter ipsum existere, quod originem habeat a se ipso. Ergo quidquid extra Deum est, contingens est et rationem suae existentiae nonnisi in ente necessario habere potest. Hinc ait Apostolus Actor. XVII, 24. 25.: *Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia.*

CONSECTARIUM II.

Deus est vita et auctor vitae.

Prob. Deus est ens a se ipso existens, ens primum et aliorum origo (ex Consect. I.); ergo habet vitam a seipso, seu in *semetipso*, ut Scriptura ait (Joan. V, 26.); ergo est ipsa vita, sicut est ipsum esse: ergo omnia ab ipso vitam habent et ejus vitae participatione vivunt. *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Actor. XVII, 28.

CONSECTARIUM III.

Deus est ens supremum et independens.

Prob. Cum ens a se sit ens primum, ratio sufficiens sui ipsius, atque simul causa et origo aliorum: patet, quod omnium supremum esse debeat, idque in Scripturis saepe exprimitur, ut Deuter. X, 17.: *Dominus Deus vester, ipse est Deus Deorum et Dominus Dominantium, Deus magnus et potens.*

CONSECTARIUM IV.

Deus est summum bonum.

Prob. Bonum idem est ac perfectum; ergo ibi est summa naturae bonitas, ubi est summa perfectio. Ergo sicut in Deo absoluta perfectio est, ita etiam absoluta bonitas est; et sicut creaturae quidquid perfectionis habent, Dei participatione habent, ita et bonum, quodcunque in creaturis reperitur, ab illo tantum dimanare potest, qui est bonitas ipsa et fons omnium bonorum. Hoc sensu Patres illa Christi verba interpretantur Marc. X, 18.: *Nemo bonus, nisi unus Deus.*

Cum ergo omnis homo necessario id amet, id ambiat, quod bonum est, qui fit ut per bona creata vagantes divelli nos patiamur ab eo, qui et summum bonum est et bonum omnis boni? *Universa Deus praecellit,* ait S. *August. a*). *Si quaeras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior* . . . et alibi *b*): *Pudeat autem, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, non amare ipsum bonum, unde bona sunt.*

CONSECTARIUM V.

Deus est summe beatus et sufficientissimus.

Prob. I. Utrumque ex summa Dei perfectione et naturae divinae bonitate necessario sequitur. Ibi enim non potest non esse summa beatitas, ubi omnis abest imperfectio, et omnia bona tanquam in suo fonte reperiuntur; ubi autem bona omnia sunt, ubi boni omnis principium est et fons, ibi est et sufficientia. Nemine indiget, qui omnia habet et qui omnibus dat, quod habent.

Prob. II. Ex Script. I. ad Timoth. I, 11. Apostolus Evangelium vocat *Evangelium gloriae beati Dei,* et ibid. cap. VI, 15. Deus dicitur *beatus et solus potens; graece ὁ μακάριος, ille beatus,* ille scilicet, qui est ipsa beatitudo, omnisque beatitatis largitor. Hinc et soli Deo attri-

a) Serm. I. de verbis Apostoli. *b*) Lib. VIII. de Trinit. cap. III.

buitur omnis sufficientia. Hic coeli et terrae cum sit Dominus, *non indiget* aliquo, ut Actor. XVII. dicitur, *cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.* Est ergo in Deo sufficientia tanta, ut non tantum bonorum nostrorum non egeat (Psalm. XV.), sed ipse det omnibus affluenter; quia creaturae universae ex ejus inexhausta plenitudine tanquam ex fonte perenni omnia bona accipiunt.

CONSECTARIUM VI.

Deus a nullo intellectu humano comprehendi potest.

Prob. I. *Ex infinita Dei perfectione.* Comprehendere est rem omnibus, quibus cognosci potest, modis cognoscere; atqui Deus ita cognosci a mente creata non potest, quia Deus est objectum infinitum, mensura autem cognitionis intellectus cujuscunque creati semper finita est et limitata. Potest et hoc modo verti argumentum: *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur,* ut optime observat *August. a*). Ergo si mens creata Deum comprehenderet, Deus esset creatae mentis finitus et mens illa foret infinita.

Prob. II. *Ex principiis relativis.* 1.° Ex variis Scripturae locis. Job. XI, 7. 8.: *Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior coelo est et quid facies? Profundior inferno et unde cognosces?* Ibid. cap. XXXVI, 29.: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Ecclesiastici XLIII, 33. 34.: *Exaltate eum quantum potestis; major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis; non enim comprehendetis.* Prov. XV, 27.: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* I. ad Timoth. VI, 16.: *Lucem habitat inaccessibilem.* Huc quoque pertinent ea, quae toties in Scripturis dicuntur de incomprehensibilitate consiliorum et operum Dei: Psalm. XLV, 7.: *Judicia tua abyssus multa.* Rom. XI, 33.: *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et ininvestigabiles viae ejus!... etc.* Si Deus incomprehensibilis est cogitatione et opere, ergo et

---

a) Lib. XII. de civit. Dei cap. XVIII.

substantia; haec enim fons est consiliorum et operum. Hinc pulchre ait S. *Chrysost. a)*: *Quid ais? Judicia ejus inscrutabilia sunt et viae ininvestigabiles: et pax omnem excedit intellectum; donum inenarrabile; quae praeparavit diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis; magnitudo finem non habet; scientia caret numero; omnia ejus incomprehensibilia sunt et ipse solus est comprehensibilis?*

2.⁰ Ecclesiae et Patrum auctoritate. Conc. Later. IV. cap. *firmiter* ait: *Credimus, quod unus solus sit Deus, aeternus, immensus, incomprehensibilis.* Quod haec Patrum omnium sententia fuerit, nemini dubium esse potest. Quaedam eorum testimonia jam vidimus *b)*. Sufficiat hic illud S. *August.* Serm. 117. de verbis Domini, Cap. III. n. 5.: *Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem, omnino impossibile.*

ARGUMENTA QUAEDAM ADVERSANTIA.

Argum. I. *Contra Consect.* V. In Scripturis Deo attribuuntur affectus, qui animum non parum perturbant, et cum summa beatitudine conciliari non possunt. Sic Deus dicitur irasci, ulcisci, poenitere, sperare, exspectare, desiderare. Ergo etc.

Resp. *D. Ant.* Ista de Deo dicuntur per accommodationem ad humanam intelligentiam et ratione effectuum diversorum, quos Deus extra se producit, *conc.* Ista de Deo dicuntur proprie ac ratione affectuum, ac si eos hominum more pateretur, *neg.* Omnes homines hanc quasi anticipatam de Deo cognitionem habent, ut Cicero observat *c)*, quod eum credant summe beatum; unde omnes ab eo affectiones removent, quae conjunctam habent animi perturbationem. Nec aliam unquam de hac felicissima natura cognitionem habuerunt tum Judaei, tum Christiani. Optime illi intelligebant Deum, cum de se ipso loquitur, humanae intelligentiae sese accommodare; ipsum autem aeterna et incommutabili frui tranquillitate. Haec omnium Patrum sententia est; et siqui dicunt, ut *Tertullianus d)* et *Lactantius e)*, Deum vere

a) Hom. II. de incomp. *b)* V. supra introd. in cap. II. et huj. Art. observ. II. *c)* De Nat. Deor. Lib. I. n. 25. *d)* Lib. I. contra Marc. *e)* Lib. de ira.

irasci, non ratione effectus nempe ultionis, sed etiam motus et affectus; id tamen ita dicunt, ut nihil derogari velint ejus felicitati. *Lactantius* quosdam tantum affectus Deo tribuit, qui nihil habeant indecori; alios removet, quia vitiorum effectus sunt, ut libido, timor, avaritia, invidia etc. *Tertullianus* lib. II. ait: *Nos illas species, irae dico et exasperationis, non tam feliciter patimur; quia solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Irascetur enim, sed non exacerbabitur, sed non periclitabitur; movebitur, sed non evertetur.*

Hoc pene ipsum est, quod S. Augustinus tam diserte tradit *a*): *Amas, nec aestuas; zelas, et securus es; poenitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis, quod invenis, et nunquam amisisti; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis.*

Argum. II. *Contra Consect.* VI. I. Deus potest a mente creata videri, ergo potest et comprehendi.

Prob. conseq. Cum Deus sit omnino simplex, ergo qui eum videt, videt totum; ergo et comprehendit. Et vero, si aliquid est, quod non videtur in Deo, id vel est Deus ipse, vel aliquid Deo adventitium. Secundum in Deo admitti non potest; si autem primum dicitur, id concipi vix potest, quin partibus Deus constet, quarum una cognoscitur, latet altera. Ergo etc.

II. I. ad Corinth. XIII, 12. *Apostolus* ait: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Nempe a Deo; atqui ipse a Deo cognitus est cognitione perfecta, quae comprehensio dicitur. Ergo etc.

Resp. ad I. Qui Deum videt, eum quidem totum videt, sed non totaliter; id est, non omni quo percipi potest modo. Si haec non satis clara videntur, conclude, quam vere dixerimus, Deum esse incomprehensibilem.

Ad II. dist. ant. Apostolus ait: Cognoscam, sicut et cognitus sum, id est, intuebor ipsam Dei essentiam, videbo eum facie ad faciem, non in speculo, quemadmodum in hoc mundo, *conc.* Cognoscam tam perfecte, ac ipse cognoscor a Deo, *neg.* Hunc sensum scopus Apostoli et contextus, hunc ratio ipsa

---

a) Lib. I. Confess. cap. IV.

postulat et reverentia, quam Scripturae debemus; ne videamur verbo Dei ineptum sensum affingere.

CAPUT TERTIUM.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS SINGILLATIM.

Ex iis, quae hucusque disputata sunt, liquet, nos attributi nomine perfectiones Dei necessarias intelligere; quae iterum vel *absolutae* sunt et Deo, ut unus est, conveniunt; vel *relativae*, quae scilicet Personas divinas constituunt: de illis duntaxat, non de relativis, hoc loco agendum est. Jam superiore capite a nobis confectum et probatum fuit, in Deo nullam esse distinctionem attributorum, sed omnia unum idemque esse cum divina natura; verum cum intellectus noster sit angustior, quam ut uno aspectu naturam Dei integram intueri possit; inde fit ut eam veluti in partes dividat, quas seorsum contemplatur. Neque existimandum est, iis, quae nunc a nobis explicanda sunt, attributis totam divinae naturae perfectionem circumscribi; quis enim potest mensuram aut numerum in infinito invenire! Intellectus quidem noster, cum de Deo in genere agitur, eum sibi cogitat optimum et perfectissimum; verum cum evolvenda sunt explicatius, quae in hac praeclarissima natura continentur, vix quaedam potest infantum more balbutire. Scilicet deprehendens diversas perfectiones in rebus a Deo creatis, colligit illas debere in Deo existere; aut alia intelligens ex naturae imperfectione derivare, concludit a Deo esse removenda.

Ita prima exoritur attributorum divisio: cum alia *positiva* dicuntur, alia *negativa*. *Positiva* sunt, quae perfectiones aliquas affirmate Deo tribuunt, ut cum Deus bonus dicitur, justus, omnipotens etc. *Negativa* dicuntur, quae removent a Deo imperfectiones; revera in Deo summam perfectionem enuntiant, quae terminis positivis vix exprimi posset; ut esse infinitum, immensum. Cum de Deo sermo instituitur, via negationis, ut jam dictum est, tutior est et facilior; facilius enim dicitur, quid non sit, quam quid sit.

Aliae adhuc attributorum divisiones occurrunt apud Theologos; in *quiescentia* et *operativa*, in *incommunicabilia* et *communicabilia*, in *metaphysica* et *physica*, plerique tertiam classem addunt, quae attributa *moralia* complectitur. Omnia haec partitionum genera vix aliter quam nomine differunt et fundamentum in ipsa Dei notione habent. Deus enim triplici modo considerari potest, 1.° ut ens existens, 2.° ut ens vivum, seu operans more spirituum, 3.° ut ens morale. Inde tria enascuntur attributorum genera. I.m Eorum, quae quasi modi sunt existentiae, Deumque exhibent sine relatione ad operationes divinas, ideo *immanentia* vocantur, aut *quiescentia*, aut *metaphysica*. II.m Ea habet, quae concipiuntur Deo inesse in quantum est Spiritus vi et virtute infinita praeditus. III.m Demum genus illas Dei perfectiones complectitur, quae relationem dicunt cum lege aeterna, Deumque exhibent tanquam omnis moralitatis fundamentum et exemplar. Haec nunc triplici Articulo explicanda sunt, agendumque I. de attributis Dei quiescentibus, II. de operativis, III. de moralibus.

ARTICULUS I.

De attributis Dei quiescentibus.

OBSERVANDA.

In hac classe attributorum omnia illa numerantur, quae Dei naturam indicant certo modo affectam, vel quae Deum exhibent eo modo existentem, quo eum existere necesse est, quia est ens a se, seu necessarium. Plura, quae huc spectare videntur, jam a nobis explicata sunt; nam quod *unus* sit Deus, quod *infinitus*, quod *felicissimus*, quod *incomprehensibilis* primo et secundo capite probavimus: reliquum est, ut de ejus *simplicitate*, *aeternitate*, *immensitate* et *immutabilitate* pauca dicamus.

§. I.

De simplicitate Dei.

OBSERVANDA.

I. Ante Evangelii promulgationem communis omnium gentilium error erat, longissima consuetudine roboratus, Deum

corporalium membrorum lineamentis circumscribi: quod quidem non adeo mirum videbitur, si cogitemus, hominem per peccatum ita fuisse in res corporeas delapsum, ut ne Deum quidem sibi exhibere possit, quin turba phantasmatum mentis aciem obnubilet: atque ita, ut *August.* ait *a*), quandam idololatriam in corde nostro ex consuetudine sensibilium constituere conetur humanae cogitationis infirmitas. Ita autem omnium animos vetustissimus hic error occupaverat, ut vix aliqui ex antiquis Philosophis summa animi contentione Deum incorporeum intellexeriint. Multi enim a populari opinione recedebant, magis ut alia dicerent, quam ut meliora. Nam et ipsi corpus Deo tribuerunt, aut Deum universalem mundi animam dixerunt ubique diffusam. Paucissimi admodum fuerunt, qui ea de Deo sentiebant, quae Tullius *b*): « Nec vero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. »

II. Simplicitatem Dei constanter docuerunt tum Judaei, tum Christiani. Praeclarum est hoc Taciti de Judaeis testimonium *c*): « Judaei mente sola, unumque numen intelligunt, profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt. » Christianorum fidem luculentissima omnium saeculorum testimonia demonstrant. Fuerunt tamen saeculo quarto monachi quidam Aegyptii, qui humanam figuram Deo affinxerunt, et ideo *Anthropomorphitae* dicti sunt. Communis opinio est, *Audaeum* quemdam vel *Audium* sectae auctorem fuisse. Hic ab Ecclesiae communione se separavit culpando Episcopos divites, et Pascha cum Judaeis celebrando; simulque docuit, imaginem Dei, ad quam homo factus est, in corpore sitam esse. An ipse et primi ejus discipuli in illo jam errore versati fuerint, qui Deo figuram humanam tribuit, non est, cur anxie inquiramus. Id saltem negari non potest, multos ex ejus discipulis in hoc Anthropomorphitarum deliramentum lapsos fuisse; nec mirum; nam si imago Dei in

---

a) Epist. 222. *b*) Tuscul. quaest. Lib. I. Cap. XXVII. *c*) Histor. lib. V. §. V.

hominis corpore expressa est, consequens est Deum esse corporeum. *Epiphanius a*) et *Augustinus b*) Audianos ab haeresi excusant, quia, ut Cassianus ait, imperitia sola et simplicitate rusticitatis errasse videbantur. Huc quoque referri potest insulsus error, qui Saecul. XIV. inter orientales Monachos propagatus fuit, et auctorem habuit *Gregorium Palamám*, primum Monachum, tum Episcopum Thessalonicensem. Affirmabant illi, sibi, cum inter orandum clausis oculis caput ad umbilicum compressissent, splendidissimam lucem affulgere, hanc autem lucem eandem esse, qua Christus in Transfiguratione refulsit; nec creatam esse, sed quiddam increatum, ac velut Dei indumentum atque *ἐνέργειαν*, seu operationem Dei, ab ipso tamen Deo distinctam.

III. Ex Philosophia notum esse debet impium et portentosum systema *Spinozae*: quod *Pantheismus* vocatur, quia omnia Deum esse asserit; juxta illud *Lucani* Lib. IX., *Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.* Haec sententia nomine tantum ab Atheismo differt; nullus enim Atheorum est, quem non statim consentientem tibi haberes, si, quod ille naturam vocat, tu malles Deum appellare. Spinoza primus non est hujus systematis auctor, sed veterum Philosophorum figmenta de novo excitavit, et certa ratione ac methodo digessit. Id diffiteri non possumus, eum in adornando et stabiliendo systemate suo omnem ingenii subtilitatem, omnes fallacis Philosophiae artes exhausisse. Adversarium nactus est inter ipsos modernae Philosophiae Coryphaeos *Baylium*, virum ingenii subtilitate nemini inferiorem, atque hac saltem vice pugnatorem ex causae bonitate validissimum. Defensores *Spinozae* jam *Baylii* tempore opposuerunt illud, toties hucusque decantatum: adversarios auctoris mentem non esse assecutos. En quo nunc quoque confugiunt, qui systemata tuentur novissimae Philosophiae, eaque volunt ab omni Pantheismi labe haberi immunia; verum quaenam est haec Philosophia, quae cum se ducem esse dicit et magistram humani generis, ita tamen loquitur, ut ne a doctis quidem intelligatur, aut potius dicam, quae impietatis et insipientiae suae latibulum in obscuritate quaerit? *Qui facit veritatem,*

---

a) Haeresi LXX. *b*) Lib. de Haeresib. cap. L.

venit ad lucem, Joan. III, 21. Voyez *Fénélon de l'existence de Dieu.* Part. II. Chap. III. et *Extrait d'une Lettre sur la réfutation de Spinoze. Bergier traité de la vraie Religion.* Tom. II. p. 392. *Hoocke* Tom. I. p. 184.

PROPOSITIO.

Deus est omnino simplex.

PROB. In Deo 1.° nulla admitti potest compositio materialis aut corporea, 2.° nulla compositio actualis ex essentia et attributis, vel ex subjecto et accidente. Ergo est omnino simplex.

PROB. I. PARS. 1.° Spiritus purus et proprie dictus ex communi vocis acceptione est substantia corpore et materia carens; atqui Deus in Scripturis vocatur spiritus et quidem in sensu maxime proprio. Joan. IV, 24. Christus ad mulierem Samaritanam ait: *Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Vocem *Spiritus* hoc loco proprie et ad litteram intelligendam esse ex contextu et scopo Christi apertum est. Idem est et Apostoli sensus, cum II. ad Cor. III. ait: *Dominus spiritus est.*

2.° Scriptura a Deo removet quidquid corporeum est, ea contra ipsi adscribit, quae in purum tantum spiritum cadere possunt. Isaiae XL, 18. dicitur: *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Quis autem ea, quae ibid. de Deo rerum omnium creatore tam magnifice dicuntur, aliaque multa, quae Dei aeternitatem, immensitatem, ejusque perfectissimam et immutabilem naturam praedicant, expendens, materialem sibi Deum fingere potest? Optime ergo S. *August.* ait *a*): *Cogitatio turpiter vana est, quae opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi et finiri.*

PROB. II. PARS. 1.° In Deo non est compositio ex essentia et attributis, quia, ut jam probatum est, attributa nec ab essentia nec inter se realiter distinguuntur. Deus necessario essentialiter est, quidquid est; compositum autem

a) Lib. XII. de Trin. Cap. VII. Nro. 12.

omne per accidens quodammodo tale est et participatione, non essentialiter. *Non participatione magnitudinis Deus magnus est,* ait S. *August. a), sed seipso magno magnus est, quia ipse est sua magnitudo.*

2.° Hinc etiam colligitur, in Deo non esse compositum ex subjecto et accidente, cum sit ens a se, ens absolutissimum et realissimum; vel ut Patres saepe effati sunt: *Deus est quidquid habet.* Nihil ergo in Deo esse potest per accessionem. *Quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiae: sed quidquid ibi intelligitur, substantia est b).* Stat ergo Concilii Lateran. IV. decretum, cap. *Firmiter: Una est Dei essentia, substantia, seu natura simplex omnino.*

Porro haec perfectissima Dei simplicitas ex iis, quae hucusque demonstrata sunt, necessaria consecutione deducitur. Id ex parte jam vidimus, atque evidentius videbimus uno aliove ratiocinio. 1.° Deus est ens primum; quod autem primum est, non potest esse compositum, quia omne compositum partibus suis posterius est. 2.° *In omni genere,* ait S. *Thomas c), tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius. Quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem quod dicimus in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum; nulla igitur compositio ei accidere potest.*

COROLLARIA.

I. *Deus est incorruptibilis.*

Prob. Illud dicitur corruptibile, quod dissolvi potest; dissolvi autem non potest, quod non habet partes. Ergo etc.

II. *Deus non potest videri oculis corporeis.*

Prob. I. ex propos. Nihil videtur oculo corporeo, nisi quod corporeum est: atqui Deus corporeus non est. Ergo etc.

Prob. II. ex script. I. ad Timoth. I.: *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria . . .*

---

a) De Trin. Lib. V. Cap. X. *b) August.* Lib. de fide et symbolo Cap. VII. *c)* Lib. I. cont. gent. I.

et Cap. VII.: *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Optime ergo S. *Hieron. a*): *Deus nequaquam sermonibus explicatur, nec oculo contemplabilis est; sed ab his videtur, de quibus scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

III. *Pantheismus est absurdissimus error.*

Prob. I. Ex Propos. patet, Deum esse ens simplicissimum, segregatum ab omni concretione mortali: Pantheismus autem docet, entia omnia particularia, corpora et mentes partes esse illius unicae substantiae, quae Deus vocatur. Ergo ita repugnat simplicitati Dei, ut nihil magis.

Prob. II. Pantheismus, atque imprimis Spinozae systema, omnes quas ex Revelatione et sana Philosophia hausimus Dei et divinarum perfectionum notiones evertit, Deumque ita monstrosum fingit, ut optime dici possit, eum, quamvis oratione relinquat, re tamen tollere Deum. Ratio philosophica, quocunque se vertat, Deum reperit. Nihil enim primis rationis principiis ita repugnat, quam effectus admittere sine motore, contingentia sine ente necessario, accidentia sine absoluto, veritatem sine ratione, leges aeternas sine legislatore. At hi stultissimi homines Deum quaerenti acclamant: Quid Deum quaeris, cum illud, quod quaeris, jam teneas? Habes in natura ipsa auctorem, in effectu causam, in motu motorem, in contingente necessarium, in accidente absolutum, habes in ignorantia rationem, in subditis legislatorem; habes ubique Deum; in stulto et facinoroso homine, in bruto et planta, in lapide et luto; quidquid habes, Deus est. *Vide supra citatos auctores.*

OBJECTA DILUUNTUR.

Objicitur I. In Scripturis legimus Deo humana membra tribui, aliaque multa, quae corporum propria sunt. Dicitur enim sedere, surgere, stare, ambulare, et alia hujusmodi. Ergo etc.

Resp. dist. ant. In Scripturis illa Deo tribuuntur sensu improprio et metaphorico, *conc.*, sensu proprio, *neg.* Mos

a) In Cap. LXIV. Isai.

Scripturae est, ut de Deo humano modo loquatur, et se nostro cogitandi et loquendi modo accommodet. Nemo, cum aliquid corporeum et materiale de Deo legit, in errorem induci potest, cum nemo nesciat, ea non esse sensu carnali intelligenda; idque Scripturae ipsae monent. *Numquid oculi carnei tibi sunt? Aut sicut videt homo, et tu videbis?* ait Job cap. X. Superfluum esset in re tam aperta Patrum sententias congerere. En pauca: *Quoniam oculis non videmus*, ait *Theodoretus a*), *virtutem ejus, per quam videt, Scriptura vocat oculos, et rursum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus; et mandatum Dei, os.* Et S. *August. b*): *Scriptura et alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus, sic et cum audimus manus, operationem intelligere debemus; et cum audimus pedes, praesentationem; et cum audimus oculos, visionem, qua cognoscit; et cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit; et siquid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritualiter intelligendum.*

Objicitur II. Homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei: atqui homo constat corpore et anima. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Homo ad similitudinem Dei factus est ratione animae, *conc.*, ratione corporis, *neg.* Communis Patrum sententia est, imaginem Dei in anima hominis sitam esse, quae in triplici sua facultate intelligendi, volendi et operandi aliquo modo, quamvis imperfecto, Deum repraesentat. Quodsi nonnulli ex veteribus censuerunt, etiam in corpore hominis Dei imaginem expressam fuisse; ii non de natura divina aeterna et simplicissima locuti sunt, sed de corpore, quod Christus in Incarnatione assumsit. Ad hoc dicunt Deum respexisse, cum hominem creavit. Ita *Tertullianus c*): *Quodcunque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus.*

Nota. Quaeritur hoc loco, an veteres quidam Ecclesiae Patres Anthropomorphitarum errore fuerint infecti? Accusantur enim a nonnullis Theologis *Melito Sardensis*, *Tertullianus* et

---

a) Quaest. XX. in Genes. *b*) Epist. 148. alias III. cap. IV. Nro. 13. *c*) Lib. de resurrect. carnis cap. VI.

Epiphanius; verum ab aliis egregie ab omnis erroris suspicione liberantur.

Melito, qui secundo saeculo Sardensis in Asia Episcopus fuit, vir pietate et scientia nobilis, non tantum hujus erroris accusatus nunquam fuit ab antiquis Patribus, sed multis etiam laudibus celebratus. Unicum accusationis fundamentum in eo est, quod Origenes apud Theodoretum *a*) referat, Melitonem *Deum corporeum* dixisse. Verum *Origenes*, si id dixit, deceptus fuit titulo libri, quem Melito ediderat, non de Deo corporeo, sed, ut vertit Rufinus, de Deo corpore induto, vel de Deo incarnato: περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ.

Tertullianum graviter accusant S. *Thomas*, *Petavius*, *Huetius* etc. Alii post S. *Augustinum* illum ab hoc errore vindicant, et, quae pro more suo certis in locis durius expressit, ea benigne et sensu Catholico explicari posse contendunt. Multa quippe de Deo docet, quae cum Anthropomorphitarum errore conciliari nequeunt. Deum quidem corpus vocat, sed *corpus sui generis;* et corporis nomine essentiam rei aut substantiam intelligit. *Omne, quod est*, ait lib. de carne Christi cap. II., *corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est.* Hinc S. *Augustinus*, qui diu in ea opinione fuerat, quod *Tertullianus* Deum corpus esse arbitraretur, senex factus, et re maturius perpensa sententiam mutavit. Vide lib. de Haeresib. haeres. 86.

S. *Epiphanius* tam longe aberat ab errore Anthropomorphitarum, ut eum ipse ex professo refutaverit haeres. 70.; et cum a Joanne Hierosolymitano in suspicionem hujus erroris vocatus fuisset, ipse in concione publica Hierosolymis habita fidem suam aperte declaravit.

§. II.

De aeternitate Dei.

OBSERVANDA.

I. Deum aeternum esse, ait *Boëtius b*), cunctorum ratione degentium commune judicium est. Verum sicut aeternitatem nemo unquam negavit, ita quid illa sit, nemo intelligere unquam

---

a) Quaest. XX. in Genes. *b*) Lib. V. consolat. philos. prosa 6.

aut eloqui potuit. Ne tamen ex hac obscuritate triumphos agant Athei, cum et ipsi aeterni aliquid admittere cogantur. Nam rerum naturalium aut materiae creatorem negare non possunt, quin materiae aeternitatem illam attribuant, quam nos Deo, seu enti summe intelligenti, potiori utique jure attribuimus.

II. Quo abstrusior autem haec quaestio est, eo magis in ejus indagatione desudarunt Theologorum et Philosophorum ingenia: quid Philosophi tum veteres, tum recentiores hac de re senserint, nostrum non est inquirere. Theologorum duae sunt sibi oppositae sententiae. Prima rotunde statuit aeternitatem esse durationem successivam, sive tempus infinitum: altera aeternitatem stabile aliquid esse contendit, et immobile, quod nullam durationem proprie dictam, nullam temporis continuationem sibi adjunctam habeat. Prima faciliora quidem dicere videtur, et humanae rationi propria; verum attentius considerata plura pugnantia et contradictoria continere deprehenditur. Igitur quamplurimis verisimilior videtur ea sententia, quam Thomistae suam fecerunt, et quae nullam successivam durationem in aeternitate admittit. Hi omnes libentissime subscribunt huic *Boëtii* de aeternitate definitioni: *Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Non diffitemur in hac quoque sententia reperiri obscuritates; sed illae ex mentis nostrae imbecillitate oriuntur, quia nos in exiguo temporis puncto constituti, durationis notionem ex mutabilibus fluxisque rebus habemus, quam utique in Deum transferre non possumus. Alia omnino est temporis, et aeternitatis Dei, et creaturarum ratio. « Quidquid vivit in tempore, ait idem *Boëtius*, id praesens a praeteritis in futura procedit: nihil est in tempore constitutum, quod totum vitae suae spatium pariter posset amplecti. Hesternum jam perdidit, in hodierna quoque vita non amplius vivit, quam in illo mobili, transitorioque momento. » Dei ergo duratio, quemadmodum ejus natura, stabilis est, et immota, neque temporum fluxu augetur. Nos autem, cum in aeternitate partes succedentes fingimus, similes sumus iis, qui cum secundo flumine feruntur, littora et arbores moveri sibi fingunt.

III. Haec utique quamvis imperfecta aeternitatis divinae cognitio plus quam sufficiens est Sapienti, ut sciat, quo figere debeat cor suum; ubi vera sint bona, ubi vera sint gaudia:

Quoniam spes impii tanquam fumus, qui a vento diffusus est. Justi autem in perpetuum vivent, et apud dominum est merces eorum, Sap. V. Qui adhaeret mundo, cadet cum labili, qui Deo jungitur, firmabitur in aevum. Hoc ergo magni animi ac vere sapientis indicium est, spernere peritura et fallacia bona, ne amittantur aeterna; pati quoque et patienter ferre praetereuntia mala, quia, . . . *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae . . . aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

PROPOSITIO.

Deus est aeternus.

Prob. I. Omnibus iis argumentis, quibus supra probatum est, Deum esse ens necessarium, a se ipso existens: nam ens absolutum, quod est ipsum esse et rerum omnium principium et causa; quod fecit, ut essent tempora; quod ex naturae necessitate existit, non potest habere initium aut finem. Ergo est aeternum.

Prob. II. Scripturae aeternitatem Dei optimo ad intelligentiam nostram modo loquuntur, cum eum dicunt ante omnia tempora fuisse et post tempora futurum esse; nulla in eo tempora cogitari posse, sed absorberi quasi ab ejus aeternitate; non immortalem eum tantum esse, sed habere immortalitatem etc. Pauca tantum seligamus ex utroque foedere testimonia. Psalm. LXXXIX, 2.: *Priusque montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.* Isaiae XLI, 4.: *Quis haec operatus est et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.* Et iterum Psalmista ait Psalm. CI, 26. 28. et ex Psalmista Apostolus ad Hebr. I.: *Initio tu Domine terram fundasti . . . . Tu idem ipse es, et anni tui non deficient.* II Petri III, 8.: *Unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut unus Dies.* I ad Timoth. VI, 16.: *Qui solus habet immortalitatem.*

Prob. III. ex conc. et pp. Concil. Nicaenum generale I. Filii aeternitatem speciali decreto asserendam putavit contra Arianos, ne a divinitate alienus crederetur, si

esset ab aeternitate exclusus. Hinc in fine Symboli additum est: *Eos autem, qui dicunt: erat aliquando* (tempus), *quando non erat . . . aut mobilem aut mutabilem filium Dei, anathematizat S. Dei Catholica et Apostolica Ecclesia.* Idem docet Lateran. IV. Cap. *Firmiter.* Ex Patrib. unicum adducimus *Tertullianum*, qui Lib. III. contra *Marcionem* ait: *Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscit, Deum summum esse magnum, in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.*

§. III.

De immensitate Dei.

OBSERVANDA.

I. Hoc attributum magnam habet cum aeternitate affinitatem. Quemadmodum Deus nullis temporum spatiis continetur, ita nullis locorum legibus illigatur. Ipse in tempore non est, sed tempus in ipso; ita etiam in rebus non est, sed res in ipso: et sicut aeternitas omni successione caret, neque per partes evolvitur, ita immensitas omni extensione caret, et per spatia non dividitur. Unde potius cum loco et tempore est, quam in loco et tempore; ut optime ait S. *Anselmus a*). De hac Dei immensitate paria non senserunt antiqui gentilium Philosophi, ut observat *Huetius b*); meliora tamen recentiores plerique, utpote Hebraeorum et Christianorum dogmatibus jam imbuti. Si *Justino* Martyri fides est, Plato et Aristotelès in hac re aberrarunt: sed aliter sentit *Tertullianus* in Apologetico, ubi expresse ait, quod Stoici Deum posuerint: *extra mundum, qui figuli modo extrinsecus torqueat hanc molem*; *intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat.* Melius sane Platonici quam multi ex Socinianis, Remonstrantibus, aliisque Novatorum sectis, qui Deum summo insidere coelo, et terris potentia non substantia adesse finxerunt. Ejusdem erroris suspectus habetur ex Catholicis *Augustinus Steuchius* Eugubinus, saecul. XVI. bibliothecae Vaticanae praefectus. *Erasmum Rotterodamum* ita

---

a) Monolog. cap. XXII. *b*) Quaest. Alnet. Lib. II. cap. II. Nro. VII.

ab hac suspicione liberare nititur *Joan. Laurentius Berti a)*: « Erasmus, ait, videtur potius ridere aliquorum logomachias, qui disputant, num Deus sit in spatiis imaginariis, quidve agat in antro scarabaei. »

II. Igitur Deus ubique est, non tantum ratione scientiae, quatenus omnia cognoscit; aut ratione potentiae, quatenus omnia producit; sed ratione substantiae, quatenus modo quodam ineffabili omnibus rebus substantialiter praesens est; non eo modo, ut spatio aliquo circumscriptus sit, aut per varias sui partes variis corporum partibus respondeat; neque *definitive*, ut ajunt, sicut Angelus; qui licet totus in qualibet parte loci sit, in loco tamen continetur: sed ita, ut totus sit ubique, totus in omni loco et totus sine loco. Hinc scite S. *August. b)*: *In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto.* De his nulla est inter Catholicos sententiarum discrepantia. Disputant autem Theologi circa modum hujus substantialis praesentiae, seu circa causam ejus formalem. Nos libentius subscribimus huic S. *Joannis Chrysost.* sententiae *c)*: *Quod Deus ubique sit, scimus; quomodo autem, non intelligimus.* Id potius diligentissime curemus, ut exhibeamus nos *sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso d)*, scientes Deum nobis testem ubique adesse. Nunquam nos deserat haec cogitatio; vehementer enim excitat ad virtutis studium, neque cum peccavimus, sinit esse securos.

PROPOSITIO.

Deus est immensus, rebusque omnibus per substantiam praesens.

Prob. I. Scripturae et Patrum auctoritate. Jerem. XXIII, 24.: *Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Non igitur sola potentia, aut cognitione, aut efficientia, sed et substantia Deus est in

---

a) Discipl. Theolog. lib. II. cap. V. *b)* Epist. 187. alias 57. ad Dardanum. *c)* Hom. XXII. in Epist. ad Hebr. *d)* Ad Colos. I, 22.

omnibus. Job. XI, 8. Deus dicitur *excelsior coelo, profundior inferno, longior terra, latior mari.* Quo clare ostenditur, non tantum spatia omnia implere, sed nullis posse spatiis finiri Dei immensitatem. Actor. XVII, 27.: *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Vide etiam *Deuter.* IV, 39. *Baruch.* III, 25. III *Reg.* VIII, 27. Psalm. CXXXVIII; etc.

Patrum testimonia apud *Petavium* aliosque Theologos reperiuntur. Sufficiat nobis in re tam certa unum, aliumve laudasse. S. *Ambros.* lib. I. de fide cap. XVI. de Deo inquit: *Complens omnia, nusquam ipse confusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in coelo, vel in terris, vel in novissimo maris praesens.* S. *Chrysost.* in Psalm. 112.: *Deus non tanquam coelo inclusus respicit eminus, quae fiunt in terra, sed ubique praesens et omnibus assistens.* Et S. *August.* in Epist. ad *Dardanum: Est ergo Deus per cuncta diffusus . . . in solo coelo totus et in sola terra totus; et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus. Unde fatendum est, ubique esse Deum, per divinitatis praesentiam.*

Prob. II. Idipsum ex infinita Dei perfectione necessario deducitur; nam rebus omnibus intime adesse, non tantum nihil continet imperfecti; sed a nobis concipitur ut proprietas summae et excellentissimae naturae. Quomodo loco contineri potest infinitus? Quomodo in uno spatio existere et in alio non esse, qui omnia spatia creavit? Et si est alicubi et non ubique: an necessario illi loco addictus? Quis tantam insipientiam ferat? At libere sibi sedem elegit? Ergo posset eo loco discedere et migrare in alium.

Caeterum non negant adversarii, Deum primam rerum omnium causam esse; omnia igitur ab ejus voluntate pendere, ejus nutu gubernari, ejus virtute vivere, moveri et esse. Ergo rebus omnibus intime adsit, necesse est; quia virtus Dei aut operatio ab illius substantia non sejungitur.

CONTRA OBJICITUR.

Objectio I. Argumentum ex infinita perfectione divinae naturae deductum, si quid probaret, nimium probaret; seque-

retur enim, Deum nullis omnino spatiis finiri posse, ergo nec mundo, quamvis universum impleret. Atqui absurdum est ejusmodi quid asserere, cum extra mundum nihil sit, et Deus non possit esse in spatiis imaginariis.

Resp. neg. min. Deus necessario est ubique praesens, quia non potest esse locus, ubi Deus non sit. Verum immensum nulla spatia definire possunt. *Ne quaeratis*, ait S. *Athanas. a)*, *loci magnitudinem tantam, ut quae possit Dei magnitudinem capere; non enim immensus in menso est.* Deus immensus fuit, antequam conditus esset hic mundus; neque creando domicilium sibi condidit, quo includeretur. Ergo est extra mundum, non quidem in spatiis imaginariis, sed in se ipso. Hinc optime *Tertullianus b)*: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia.* Et *August. c)*: *Quomodo ubique, si in seipso? Ubique scilicet, quia nusquam absens, in seipso, quia nusquam continetur ab eis, quibus est praesens, tanquam sine eis esse non possit.* Inde conspicuum est, non idem omnino esse *Immensitatem* et *Omnipraesentiam.* Haec quidem ex immensitate fluit necessario, sed plus est immensitas, quam omnipraesentia. Atque non inepte veteres Theologi *Immensitatem* definierunt «aptitudinem et exigentiam, per quam Deus ex sua natura determinatur, ut omnibus rebus per suam essentiam intime praesens sit, absque ulla limitatione et termino.»

Objectio II. Deus in Scripturis dicitur, 1.° in coelo residere tanquam in sede propria. *Coelum sedes mea*, Isai. LXVI. *Dominus in coelo sede ejus*, Ps. X. 2.° Descendere, ambulare etc. *Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim*, Genes. XI. 3.° In illis esse et manere, qui eum diligunt. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*, Joan. XIV. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Nemo est tam rudis, qui non sciat, quo sensu haec aliaque ejusmodi intelligi debeant. Hinc ad I. Deus speciali quadam ratione in coelo residet, quia ibi potentiae ac munificentiae suae divitias magnificentius explicat. *Dei locus is dicitur*, ait S. *Joan. Damasc. d)*, *qui uberioris ipsius operationis et gratiae particeps est. Idcirco coelum sedes ejus est.* Ad II.:

---

a) Lib. contra Sabellii gregales. Nro. 10. *b)* Contra Praxeam. cap. V.
c) Epist. jam citata. *d)* Lib. I. de fide orthod. cap. XIII.

Vide, ait S. *August. a)*, *ne ascensionem et descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea et ubique tota sentire substantia, sed descendere dicitur Deus, quando curam humanae fragilitatis habere dignatur.* Ad III. respondet iterum S. *August. b)*: *Fatendum est, ubique esse Deum, per divinitatis praesentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.*

Objectio III. Nonnulli Veteres docuerunt, Deum rerum effectorem tantum esse, essentias autem non pervadere. Ita *Tatianus* oratione contra Graecos, et *Clemens Alexand.* lib. V. Stromatum. *Lactantius* autem lib. de Opificio Dei cap. XVI, Deum ait ita in coelo esse, sicut anima humana putatur in cerebro residere. Ergo etc.

Resp. Apertum est, *Tatianum* et *Clementem* Stoicos impugnare, qui putabant Deum rebus omnibus immisceri tanquam partem et animam mundi. *Lactantium* plurimi ex aliis ejusdem capitis locis benigne interpretantur, alii concedunt, eum in quibusdam hallucinatum, aut non satis accurate locutum. Hinc illud S. *Hieronymi* ad *Paulinum: Lactantius quidam quasi fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.*

§. IV.

De immutabilitate Dei.

OBSERVANDA.

Deum esse immutabilem una pene omnium hominum consensio, et ratio ipsa persuadet. Veterum Philosophorum communem hanc sententiam fuisse ostendit *Huetius c)*. Quamquam Stoicos accuset *Origenes d)*, quod Deum mutationi obnoxium statuerint. Eundem errrorem *Augustinus e)* antiquis quibusdam Haereticis tribuit. Petrum *Jurieu*, qui nonnullos sanctos Patres de hoc errore postulat, invicte refutat celeberrimus *Bossuetius*, Avertiss. VI. aux Protestans, art. II.

---

a) Serm. LXX. de tempore Nro. 6. *b)* Epist. 287. jam citata. *c)* Quaest. alnet. lib. II. cap. II. *d)* Lib. III. cont. Celsum. *e)* Lib. XII. de civit. Dei. cap. XVII.

PROPOSITIO.

Deus est sub omni respectu immutabilis.

Prob. I. *ex Scripturis.* Scripturae 1.° Deum simpliciter et absolute immutabilem dicunt. Numer. XXIII.: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur.* Malachiae III, 6.: *Ego Dominus et non mutor.* Sapient. VII, 27.: *Cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat.* Jacob. I, 17.: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

2.° Omne genus mutationis a Deo excludunt. Ideo immutabilem dicunt quoad existentiam et naturam. *Ego sum qui sum,* Exod. III. *Sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Psalm. 101. Quoad locum et tempus, quia aeternum dicunt et immensum. Ratione cognitionis et decretorum: *Multae cognitiones in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Proverb. XIX, 21. *Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet.* Jes. XLVI, 10.

Prob. II. *Ecclesiae et Patrum auctoritate.* Cum Arius, ut Christum creaturam esse ostenderet, mutabilem docuisset, Nicaena synodus ita definivit: *Eos, qui dicunt: Erat, quando non erat . . . aut mutabilem et convertibilem filium Dei; anathematizat sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia.* Patrum testimonia enumerare in re tam aperta superfluum esset. Pauca tantum ex S. *Augustino* citamus, quae simul responsionem continent ad ea scripturae loca, quae videntur divinae immutabilitati repugnare.

Lib. I. Confess. cap. IV. Deum alloquens ait: *Opera mutas, nec mutas consilium.* Lib. XII. de civit. Dei cap. XIV.: *Fecit hominem in tempore, non novo, sed immutabili aeternoque consilio.* Ibid. lib. XXII. cap. I.: *Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, v. g. reddatur illis iratus; illi potius quam ipse mutantur et eum quodammodo mutatum in his, quae patiuntur, inveniunt: sicut mutatur sol in oculis sauciatis et asper quodammodo ex miti et ex delectabili molestus efficitur; quum ipse apud seipsum maneat idem, qui fuit.*

Prob. III. Deum esse immutabilem ex iis quoque apertum est, quae de naturae perfectione dicta sunt. Quomodo enim mutatio in eo cogitari potest, qui est ipsum esse necessarium, independens, nulli causae obnoxium, veritas ipsa et sapientia? Non potest mutari ratione substantiae, quia necessario totum illud est, quod est; nec ratione temporis, quia aeternus; nec ratione spatii, quia immensus; nec ratione actionum, aut decretorum, quia illud cum summa Dei perfectione stare non potest. Omnis enim mutatio consiliorum imperfectionem involvit; quia levitatis et inconstantiae signum est, decreta semel posita revocare sine novo motivo: novum autem motivum advenire non potest ei, qui ab aeterno omnia novit.

ARTICULUS II.

De attributis Dei operativis.

Attributa, quae priore articulo exposuimus, ideo quiescentia vocantur, quia intra Deum manent et nihil aliud sunt, quam ipsa *simplicissima* Dei essentia, *semper* et *ubique immutabiliter* existens. Nunc ad illa accedimus, quae entis viventis propria sunt, quaeque mentes finitae aliquo modo participant. Cum Deus spiritus sit simplicissimus et infinitus, cum vita ipsa sit et omnis vitae origo; necesse est, ut totam vitae plenitudinem contineat; quamquam nulla oratio explicare, nulla cogitatio assequi possit, quantae sint vires, quanta vis et virtus illius excellentissimae naturae. Aliquam tantum notionem informare possumus ex iis, quae in creaturis experimur, imprimis in natura nostra precaria et imperfecta: cum scilicet vires illas, quas in spiritu creato deprehendimus, Deo tribuimus in summo gradu et sine adjuncta aliqua imperfectione. Habet ergo Deus quidquid spiritui infinito convenire intelligimus: id est, intellectum infinitum et infinite perfectam voluntatem, cui nova Philosophia addit potentiam agendi infinitam, nam haec tria ait essentiam seu naturam spiritus infinite perfecti constituere.

Hanc divisionem ultro arripimus; atque ita, quae ad hanc attributorum classem pertinent, tribus paragraphis

complectimur. *Primus* erit de intellectu divino, *secundus* de voluntate, *tertius* de potentia agendi ad extra.

§. I.

De intellectu Dei.

OBSERVANDA.

I. Intellectus in Deo est ipsa Dei cognitio, ipsa contemplatio, una, aeterna, vivax, cuncta collustrans, atque hoc ipso penitus diversa a nostra cognoscendi ratione, quae mutabilis est, angusta et ideo multiplex et composita, quia imperfecta. Hinc Deo nec imaginatio tribui potest, nec memoria; quia imagine non indiget, qui res ipsas intime pervadit, nec recordatione, qui omnia semper praesentia habet. Neque quidquam in perfectissimo intellectu esse potest, quod ipse sibi acquireret, quod actionum successionem et distinctionem exigeret; ergo nec reflexio, nec abstractio, nec ratiocinatio; non enim unum ex alio cognoscit Deus, sed uno intuitu videt omnia. Hoc ipsum diserte explicat S. *Augustinus* Lib. I. ad Simplicium Quaest. II.: *Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem recordationibus transilimus.... cum haec cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certae atque inconcussae veritatis, una atque aeterna contemplatione cuncta collustrantis: imo non reliquero, non enim hoc habet humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuatur mihi utcunque scientia Dei.* Vid. S. *Thom.* Part. I. Quaest. XIV.

II. Intellectus divinus, cum perfectissimus sit et infinitus, nec mensuram, nec modum habet; id est, omnia cognoscit, quae cognosci possunt, et eo omni modo cognoscit, quo possunt cognosci. Optime ergo Deus *scientiarum Dominus* dicitur, quia ipse necessario et a se ipso habet omnem scientiam; et ipse dat omnibus quidquid habent. Quamvis unica sit haec Dei scientia, et simplicissima, utpote quae a natura Dei non distinguitur; pro ratione tamen objectorum, quae considerat, in quasdam veluti partes dividitur a Theologis. Primum a *Thomistis* in duas secata est; unam vocarunt scientiam *simplicis intelligentiae*, quia res

mere possibiles complectitur, aut certe res futuras quidem, sed ab existentia praecisas et tanquam possibiles tantum contemplatur, unde a nonnullis scientia *praevisionis* vocata est. Altera *scientia visionis* dicitur, qua Deus res quocunque tempore et quacunque ratione futuras cognoscit.

Diu stetit bipartitum utriusque hujus scientiae imperium; cum ecce! ex Jesuitarum Schola subito alia exorta est scientiae species, quae sibi partem non exiguam arrogavit eorum, quae divinae cognitioni ab aeterno objecta sunt. Cumque ambae Thomistarum scientiae hanc tanquam novam et adventitiam repellerent, et ordines densarent, ne spatium superesse videretur; ipsa mediam se inter utramque collocavit, et nomen assumsit *scientiae mediae*. Ait autem, se in alterius jura minime involare, nec quidquam sibi attribuere eorum, quae ad simplicem intelligentiam sive ad scientiam visionis pertinent; manere huic omnia revera futura; illi omnia mere possibilia; se autem iis tantum occupari, quae nunquam futura sunt quidem, quae tamen, si certa conditio poneretur, essent aliquando futura.

Systema scientiae mediae auctorem habet *Ludovicum Molina*, e Societate Jesu, qui illud evolvit in libro de Concordia liberi arbitrii cum gratia, quem An. 1588 in lucem edidit. Non est hic locus plura hac de re disserendi, et gravissimas pugnas ac pertinacia bella enarrandi, quae haec controversia peperit; recurret enim de his dicendi occasio. Nunc unum hoc nobis examinandum est, an Deus scientiam conditionatorum habeat, seu scientiam illam, quam *Molina* ejusque discipuli mediam vocant. Non puto id ab aliquo in dubium vocari posse, sed, si rem admittimus, nihil est, cur de nomine litigemus.

III. Solent praeterea Theologi scholastici multa disputare de medio, in quo Deus res omnes videt. Illud pene apud omnes in confesso est, Deum se ipsum cognoscere sine medio; rerum autem naturas, et cuncta possibilia non alibi, quam in sua essentia contueri. Porro, cum omnia existentia rationem suae existentiae in ipsa Dei voluntate habeant; non immerito concluditur, Deum existentia omnia, tum praeterita, tum praesentia et futura in suis decretis videre. Verum circa futura libera Theologi in magna iterum dissensione sunt, hoc ipsum enim controvertitur, quomodo Deus futura libera in suis decretis videat. Thomistae praemo-

tionis physicae defensores contendunt, Deum futura omnia, sive necessaria, sive libera videre in decretis suis absolutis et physice praedeterminantibus. Verum quamplurimis non arrident decreta haec praedeterminantia, imprimis cum de futuris liberis agitur: hinc alii in alias abierunt sententias. Molinistae docent, actiones hominum liberas et supernaturales a Deo videri in decreto concedendi gratiam, quam ope scientiae mediae infallibiliter scit effectum habituram. Sed haec breviter dixisse sufficiat. Praestat S. *August.* praeceptum sequi et exemplum, qui in Psalmum 49. ait: *Non audeam dicere, quomodo Deus novit. Hoc solum dico; non sic cognoscit, ut Angeli: et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum.* Ne ergo molestius inquiramus, quae nimium abscondita sunt, et quae ignorare citra periculum possumus. Ea autem eo diligentius consideremus, quae magis proficua sunt intelligentibus; scilicet: *quod oculi Domini multo plus lucidiores sint super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes a).* Unde optime ait *Boëtius* homines alloquens *b)*: *Magna vobis indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.*

PROPOSITIO.

Deus perfectissimam habet rerum omnium scientiam.

Prob. I. Manifestis Scripturae sacrae testimoniis. I Reg. II. Deus dicitur *scientiarum Dominus.* Esther. IV, 14.: *Domine, qui habes omnem scientiam.* Psalm. CXLVII, 5.: *Sapientiae ejus non est numerus.* Eccl. XVII, 19.: *Cognovit Dominus omnem scientiam.* Ad Rom. XI, 33.: *O altitudo divitiarum Sapientiae et Scientiae Dei!* Ad Hebr. IV, 13.: *Omnia nuda et aperta oculis ejus.* Patrum testimonia adducere, superfluum ducimus.

Prob. II. Deus omnium consensu est ens perfectissimum; atqui ipsa naturali ratione intelligimus perfectius esse rerum omnium omnimodam scientiam habere, quam ignorare aliquid, aut rei cujuscunque imperfectam tantum habere cognitionem.

---

a) Ecclesiast. XXIII, 28. *b)* Lib. V. de consol. philos.

PROBATUR PROPOSITIO PARTICULARIUM.

I. *Deus seipsum perfectissime cognoscit.... Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* I ad Cor. II, 10.

II. *Novit omnia possibilia. Vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt...,* ad Rom. IV, 17.

III. *Cognoscit creaturas omnes et singulas, etiam quae minimae videntur et vilissimae.* Job. XXVIII, 24.: *Ipse fines mundi intuetur et omnia, quae sub coelo sunt, respicit.* Psalm. CXXXVIII, 5.: *Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua.* Hebr. IV, 13.: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.*

Eccl. I, 2.: *Arenam maris et pluviae guttas et dies saeculi quis dinumeravit? Altitudinem coeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est? Unus est Altissimus, Creator omnipotens.* Matth. X, 29. 30.: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

IV. *Cognoscit omnes actiones creaturarum et ipsas hominum cogitationes.* Psalm. I, 6.: *Novit Dominus viam justorum.* Psalm. CXVIII, 186.: *Omnes viae meae in conspectu tuo.* I Paralip. XXVIII, 8.: *Omnia corda scrutatur Dominus et universas mentium cogitationes intelligit.* Job. XLII, 2.: *Scio, quia omnia potes: et nulla te latet cogitatio.* Et Psalm. VII, 10.: *Scrutans renes et corda Deus.*

V. *Cognoscit futura omnia seu necessaria, seu libera. Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia.* Eccl. XXIII, 28. Sapient. VIII, 8.: *Scit praeterita et de futuris aestimat. Signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et saeculorum.* Psalm. CXXXVIII.: *Intellexisti cogitationes meas de longe ... et omnes vias meas praevidisti.* Joan. VI, 65. de Jesu dicitur: *Sciebat ab initio Jesus, qui essent credituri in eum.*

Haec futurorum cognitio, quae et *Praescientia* dicitur, veluti proprius Dei character semper habitus fuit. *Confiteri Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est:* ait S. *August. a*). Hac ipsa nota divinitatis falsos Deos refellit Isaias Cap. XLI, 23.: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* Et *Tertullianus* contra *Marcionem* scribit *b*): *Praescientia tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.*

VI. *Novit Deus futura conditionata; seu illa, quae reipsa futura non sunt, sed tamen essent futura, si certa conditio poneretur.*

Prob. I Regum XXIII, 12. David, qui fugiens ante faciem Saul Ceilam se receperat, ac metuebat, ne ab ejus loci incolis traderetur, Deum ita consuluit: *Si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? et dixit Dominus: Tradent.* Non utique temere id responsum fuit: ergo quid futurum esset posita conditione, certo noverat Deus. Idem evincitur ex illa Christi increpatione Matth. XI, 21.: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis; olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.*

Cf. in hanc materiam, aliaque, quae jam a nobis tractata sunt dogmata, Cl. *Petavium* Theolog. dogm. Lib. I.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Deus non cognoscit minuta et vilia. Ergo etc.

Prob. ant. 1.° Auctoritate S. *Hieron.*, qui in Prophetam *Habacuc* scribit: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur etc.* 2.° Indignum revera videtur praesentissima mente, ad res quascunque etiam vilissimas sese demittere. Ergo etc.

Resp. ad I. Non desunt Theologi, qui putant S. *Hieronymum* hoc loco deserendem esse. Verum non negat S. Doctor vilissima quaeque Deo esse cognita; sed indignum putat majestate divina, rerum ejusmodi minimarum specialem curam habere, iisque

---

a) Lib. V. de civit. Dei. *b*) Lib. II. Cap. V.

prospicere cum illa singulari providentia, qua rebus humanis consulit. Addit enim eodem loco: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium et irrationabilium providentiam esse dicentes.*

Resp. ad II. Nulla res creata in se et absolute vilis est, et Deus non minus in minimis magnus est, quam in maximis. Porro illud ab omnibus etiam Philosophis concessum est, ne res quidem vilissimas Dei scientiam fugere posse, cum omnium sit effectrix et exemplaris causa et omnium rationes in se contineat. Quemadmodum Propheta ait Psalm. CIII.: *Omnia in sapientia fecisti.*

Argum. II. Non est in Deo cognitio futurorum, saltem certa et infallibilis. Ergo etc.

Prob. ant. 1.° Quidam Patres Deo praescientiam simpliciter abjudicant; ut *August.* lib. II. ad Simplicium; *Gregor. M.* lib. II. moral.; *Boëtius* lib. V. Consol. phil. 2.° Scriptura, ubi de rerum libere futurarum cognitione loquitur, particulam *forte*, *forsitan* usurpat, quae dubiam tantum et conjecturalem cognitionem indicat. 3.° Non raro, quae a Deo praenuntiata fuerant futura, reipsa non contigerunt. Sic *Isaiae* XXXVIII. mors Ezechiae denuntiatur futura: *Dispone domui tuae, quia morieris.* Nec tamen mortuus est Ezechias. *Jonae* III. praenuntiatur subversio Ninive, quae tamen secuta non est. Ergo etc.

Resp. ad I. dist. Quidam Patres praescientiam Deo abjudicant quoad nomen, *conc.* Quoad rem nomine significatam, *neg.* Illud tantum dicunt Patres illi, quod Deus res futuras intueatur, perinde ac si essent praesentes; et ideo hanc futurorum cognitionem mallent vocari scientiam, quam praescientiam.

Resp. ad II. Particulae ejusmodi in Scripturis non semper incertitudinem significant et dubitationem; sed quandoque solicitudinem Dei vel rerum, quae futurae praedicuntur, contingentiam vel creaturae libertatem. Hinc optime S. *Hieronym.* haec verba Jeremiae XXVI. exponens: *Si forte audiant et convertantur*, inquit: *Loquitur haec Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium; ne praescientia futurorum boni vel mali immutabile faciat, quod Deus futurum noverit.* Sic, quae *Joan.* VIII. ita exprimuntur: *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis,*

ibid. Cap. XIV. ita leguntur: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis.*

Resp. ad III. Non contigerunt, quae praenuntiata fuerant conditionate, *conc.* Quae praenuntiata fuerant tanquam absolute futura, *neg.* Multae ejusmodi praedictiones in Scripturis leguntur, quae potius comminationes dici possunt peccatoribus factae et hanc semper habent insitam conditionem: nisi convertantur a viis suis pessimis.

Inst. I. Praescientia futurorum cum hominis libertate conciliari non potest; nam cum scientia Dei falli nequeat; sequitur, necessario evenire, quidquid Deus praescivit esse futurum. Hoc argumentum ita urget *Tullius* Lib. II. de Divinat. Nr. 7.: «Nihil tam contrarium rationi et constantiae, quam fortuna: ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu, quid fortuito futurum sit: si enim scit, certe illud eveniet; sin certe eveniet, nulla fortuna: est autem fortuna, rerum igitur futurarum nulla est praesensio.» Ergo etc.

Resp. dist. Illud est necessarium ex hypothesi et necessitate consequentiae, quod Deus praescivit futurum, *conc.*, necessitate absoluta, quaeque antecedat liberum voluntatis consensum, *nego.* Non potest rebus humanis a divina praescientia necessitas ulla accedere nisi conditionalis, consequens et in sensu, ut ajunt, composito, non diviso. «Sicut scientia praesentium, ait *Boëtius a*), nihil his, quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his, quae ventura sunt, necessitatis importat.» Nihil nisi, quia futurum est, praescitur. Quare, cum dico: Si Deus praescit aliquid, necesse est, illud esse futurum: idem est, ac si dicam: Si erit, non potest non esse; quia nihil potest simul esse et non esse. Ita S. *Hieron.* loco citato ait: *Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quae ille praescivit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum.* Omitto plura alia hujus generis argumenta magis captiosa, quam vera. Id unum adhuc observandum puto, magnum esse discrimen inter certo futurum et necessario futurum. An non quotidie cernimus actiones creaturarum omnino liberas, quae certo sunt, quamvis potuissent non esse? Quodcunque enim est, id certo est, licet

---

a) Lib. V. de Cons. phil.

non necessario; et quod certo nunc est, illud certo erat futurum. Sic et memoria praeteritorum, etsi supponeretur infallibilis, non faceret, ut illa fuissent necessario facta. *Sicut tu in memoria tua*, ait S. *August. a*), *non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt.*

§. II.

De voluntate Dei.

OBSERVANDA.

I. Quemadmodum intellectus, ita et voluntas Dei non potest concipi instar facultatis aut habitus, sed tanquam actus purus et simplicissimus, qui unum est idemque cum natura. Verum sicut scientia Dei, quamvis una sit et indivisa, tamen multiplex fit repraesentatione; ita et voluntas, licet in se simplicissima, varia tamen est secundum nostrum concipiendi modum, et diverse distinguitur pro diversitate objectorum, aut modi quo circa objecta versatur. Hinc et Dei decreta mente dividimus, et alia aliis priora cogitamus, quamvis omnia in uno, simplici, aeterno, et immutabili actu divinae voluntatis contineantur.

II. Primum quidem dividi solet in voluntatem *beneplaciti* et voluntatem *signi*. Prima est actus verus et proprius divinae voluntatis, qua Deus bonum aliquod vult esse; ut salutem electorum. De hac loquitur Apost. ad Rom. XII, 2.: *Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens.* Voluntas signi non est reipsa in Deo; sed est res aliqua vel actio, quae cum in hominibus signum esse soleat voluntatis, in Deo etiam metaphorice voluntas dicitur. Sic testamentum dicitur ultima voluntas. Voluntas signi vulgo quintuplex numeratur, juxta illud tritum:

Praecipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Sunt haec quinque etiam in nobis signa voluntatis, atque id nominis in Scripturis obtinent. Plerumque voluntas signi conjuncta est cum voluntate beneplaciti; at non semper. Sic Deus, cum Noëmo mandavit, ut arcam construeret, id simul praecepit, et voluit: non item, cum Abrahamo praecepit, ut immolaret filium. Quamvis et haec voluntas, quaecunque illa sit, voluntatem ali-

---

a) Lib. III. de libero arbit. cap. IV.

quam beneplaciti significet, cujus terminus est ipsum signum, non res significata. Sic cum Deus permittit peccatum, utique peccatum non vult, sed vult illud permittere.

III. Voluntas beneplaciti, quae revera in Deo est, dividitur in *antecedentem* et *consequentem*; vel ut S. *Damascen.* ait *a*), in *primariam* et *secundariam*. Antecedens ea est, quam Deus habet ex se ipso independenter a praescientia creatae libertatis; consequens vero praevisam creatae voluntatis determinationem subsequitur. Deus voluntate antecedente, et velut ex nativa sua propensione vult omnes homines salvos fieri; sed voluntate consequente vult quosdam damnari. Iterum voluntas alia *absoluta* dicitur, alia *conditionata;* alia *efficax*, alia *inefficax*. Absoluta voluntas proprie ea est, quae non pendet ab aliqua conditione; efficax autem, quae effectum suum obtinet. Theologi absolutam voluntatem plerumque pro efficaci usurpant.

IV. Nihil ad divinam voluntatem magis pertinere concipitur, quam *libertas*, quae nihil aliud est, quam ipsa voluntas Dei, independens et perfecta. Nam, si independens est voluntas ab omni re extrinseca, habet necessario facultatem agendi sine alterius determinatione: si autem perfecta est, non potest carere eo bono, quod creaturae habent a Deo communicatum, scilicet ut possint se ipsas determinare, et solutam habeant non a coactione tantum, sed ab omni necessitate voluntatem. Verum sicut nihil a Deo abesse potest, quod perfectionis aliquid habere intelligitur, ita ab ejus libertate excludere necesse est, quidquid cum perfectissima ejus natura pugnaret. Unde 1.° Deus non est liber in actibus suis internis et immanentibus, qui ad divinam essentiam pertinent. Sic Deus necessario se ipsum diligit; Pater necessario generat filium etc. 2.° Non est in Deo libertas *contrarietatis* in malum; Deus enim mali incapax est. Caeterum contingit nobis in hac materia, quod et in aliis plurimis, ut rem ipsam adstruamus certissimis rationibus, at, quomodo illa sit, nulla ratione explicare valeamus. Si humanae libertatis modum rationemque evolvere non possumus, quamvis nihil certius nobis sit, quam nos liberos esse: quid mirandum, si in explicanda divina libertate frustra desudarunt Theologi, et multis

---

a) Lib. II. cap. XXIX.

subtilissimisque quaestionibus nihilo clarior, sed intricatior potius facta est difficultas?

PROPOSITIO I.

Datur in Deo voluntas et quidem perfectissima.

Prob. I. pars. Scripturae variis in locis Deo voluntatem tribuunt. Psalm. CIII, 6.: *Deus noster in coelo, omnia, quaecunque voluit, fecit.* Matth. VI, 10. Christus ita nos jubet orare: *Pater noster . . . fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.* Ephes. I, 11.: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* I ad Thessal. IV.: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Hinc merito S. *August.* in Enchiridio cap. XCVI. ait: *Neque veraciter ob aliquid vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest.*

Sed ratio ipsa naturalis Deum aliter cogitare non potest. Nam voluntatem etiam creaturae rationales habent et in hoc non exigua consistit naturae hujus perfectio; unde consequens est, Deum voluntate carere non posse. Neque detracta hac voluntate Deus supremus rerum Dominus dici posset, nec bonitate morali gauderet, neque summe beatus esset, cum seipsum amare non posset tanquam summum bonum, nec gaudium de se ipso percipere. Imo neque perfecte intelligens conciperetur, quia, ut bene S. Thomas observat *a*): *in quolibet intellectum habente est voluntas: sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis.* Demum sicut ratio, ad explicandam rerum naturalium existentiam, nos cogit ad existentiam recurrere entis necessarii et independentis; ita etiam cogit voluntatem in hoc ente admittere; quia alio modo explicari non potest, cur Deus, qui omnia possibilia ab aeterno cognovit, ea quae sunt et non alia produxerit.

Prob. II. pars. Deus est ens absolutum et realissimum, in omni genere perfectionis infinitum; ergo cum voluntatem habeat, perfectissimam habeat necesse est. Id quoque Scripturae nos docent, cum et perfectam praedicent

---

a) Part. I. quaest. XIX. art. I.

Dei voluntatem et imperfectionem ab ea omnem removeant. Ad Rom. XII.: *Renovamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei et beneplacens et perfecta.* I ad Timoth. II. de Deo dicitur: *Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Psalm. V.: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ad Rom. XI, 29.: *Sine poenitentia sunt dona Dei.* Et alia multa, quae voluntatis divinae independentiam, aeternitatem, immutabilitatem probant, aut quae de sanctitate, bonitate, aliisque attributis Dei moralibus agunt, quas nonnisi in Dei voluntate collocare possumus.

Ex propositione sponte fluunt sequentia.

I. *Deus omne bonum diligit, malum omne aversatur.* Psalm. XLIV, 8.: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem.*

II. *Deus summa voluntate, seu summo amore diligit se ipsum.*

Voluntas perfectissima non tantum fertur in bonum, sed et rem quamlibet vult pro ratione boni, quod continet. Ergo summum bonum summo amore diligit. Atqui hoc summum bonum est ipse Deus. Ergo etc. Haec voluntas vocatur voluntas *complacentiae,* quia ex intuitu perfectionum summa in Deo oritur voluptas, seu complacentia. Vocatur etiam naturalis et necessaria.

III. *Deus amat omnia creata.*

Prob. Deus amat omne, quod bonum est: atqui *omnis creatura Dei bona est.* I ad Timoth. IV. et Genes. I, 31.: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Hinc Sap. II, 25. dicitur: *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.*

IV. *Deus, quidquid amat, propter semetipsum amat tanquam propter ultimum finem.*

Prob. Quamvis bonitas creata possit esse ratio proxima, propter quam Deus aliquid amat; non potest tamen esse ultimum motivum amoris: voluntas enim perfectissima nonnisi in fine perfectissimo quiescere potest; et qui rerum omnium finis est, ille finem ultimum alium habere non potest, quam propriam suam gloriam et bonitatem. Id

variis in locis Scripturae docent. Proverb. XVI, 4.: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Jes. XLIII, 7.: *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi illum.* Ephes. I, 5.: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum ... in laudem gloriae suae.* Vid. etiam ad Rom. IX, 22. etc.

PROPOSITIO II.

Voluntas Dei est perfecte libera.

Prob. Deum circa ea, quae extra ipsum sunt posita, cum summa libertate versari et Scripturae clare loquuntur et ex illis, quae de Dei perfectissima voluntate dicta sunt, recta ratione deducitur. Psalm. 134. dicitur: *Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in coelo et in terra.* Daniel. IV.: *Juxta voluntatem suam fecit, tam in virtutibus coeli, quam in habitatoribus terrae.* Ephes. I, 11.: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Recte hic observat S. Thomas *a*): *Quod operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus.* Ergo etc.

Multa alia omittimus, cum res sit per se manifesta. Fieri enim non potest, ut voluntas perfectissima non item sit libera; libertas enim est perfectio simplex naturae intellectualis. Deinde voluntas Dei, hoc ipso, quod sit perfectissima, nulla re extrinseca perfici potest, nulla creatura indiget; nec potest in aliquo externo conquiescere, sed in sola perfectissima Dei bonitate; ex quo ita infert S. Thomas loco citato: *Cum bonitas Dei sit perfecta et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sequitur, quod alia a se eum velle non sit necessarium.* Caeterum magnum divinae libertatis argumentum est fidelium oratio. Nam si Deus quidquid agit, necessario agit, inutile est preces effundere et opem implorare divinae clementiae. Neque esset, cur bonitati ejus et liberalitati laudem referremus et gratias: quae tamen omnia in communi hominum sensu posita sunt et in Scripturis maximopere commendantur.

---

a) Part. I. quaest. XIX. art. 3.

DILUUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIA.

Objiciunt contra I. propos. Omnis voluntas fertur in bonum, illudque nititur obtinere, quo caret: atqui Deus non potest carere aliquo bono, neque aliquo indiget. Ergo non est voluntas in Deo.

Resp. neg. II. part. maj. Omnis quidem voluntas fertur in bonum, at non ita semper, ut illud appetat, tanquam aliquid, quo perfici possit, aut quo indigeret: sed bonum amando, producendo et communicando. Deus, cum sit summum bonum, se ipsum amat amore complacentiae. Eodem amore fertur in omne bonum possibile. Verum cum illud extra se producit, ipse bona sua communicat, non aliena acquirit. Pulchre in hanc rem disserit S. *August. a)*: *Quomodo ergo diligit? Ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est. Cui autem obscurum, vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipsa illustraverit? Non ergo fruitur nobis, sed utitur.* Deus enim necessario omnia ad seipsum tanquam ad finem ultimum refert.

Inst. Deus vult peccatum, ergo ejus voluntas non est perfectissima. *Prob. Ant.* II *Reg.* XVI. Dominus dicitur praecepisse Semei, ut malediceret David. Actor. IV.: *Convenerunt adversus Sanctum tuum Jesum facere, quae mens tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Proverb. XVI.: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum.* Ergo etc.

Resp. ad I. et II. *Nego conseq.* Illa a Scriptura improprie dicuntur praecepta, sicut quotidie dicimus Deum ea velle, quae fieri permittit. *Non ergo aliquid fit,* ait S. *August. b*), *nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Praeterea iis loquendi modis Scriptura energice exprimit ineffabilem illam divinae providentiae virtutem, quae etiam liberas hominum actiones certo et infallibili modo ad finem suum ordinat; et ad bonum, quod facit, malis utitur, quae non facit.

Resp. ad III. Sensus est, quod Deus per impiorum poenam justitiam suam manifestet, sicut in electis misericordiae amplitudinem.

---

a) Lib. I. de Doctr. christ. cap. III. *b*) Enchirid. cap. XLV.

Objiciunt cont. II. prop. Explicari non potest, in quo sita sit proprie libertas Dei, neque conciliari ea potest cum aliis Dei attributis, imprimis cum ejus immutabilitate. Ergo etc.

Resp. I. Theologi, ut explicarent modum, quo se habeat Dei libertas, in varias sententias abierunt, quas fusius evolvere magnus et inutilis labor esset. Duae prae caeteris sunt in Scholis ventilatae, quae penitus praeterire silentio non possumus, propter celeberrimorum virorum auctoritates. Prima Thomistarum est. Dicunt autem, actum Dei liberum, quatenus in Deo est, intrinsecum esse et necessarium, neque ab illa voluntate distinctum, qua Deus vult, et amat se ipsum; liberum autem dici ratione terminationis ad creaturas, in quantum scilicet indifferens est ad eas connotandas, aut ad hunc mundum terminandum, vel non. Credat haec, qui sibi persuadere poterit libertatem in actu necessario reperiri, aut actum libertatis ex objecto determinandum, non ex agentis voluntate. Habet tamen etiam contraria Scotistarum sententia non exiguas difficultates. Theologi illi affirmant immutabilitatem naturae divinae in eo tantum consistere, quod nec perfectionem aliquam deperdere, nec novam acquirere possit; decreta autem operandi ad extra nihil esse *perfectivi* in Deo; nihil igitur obesse, quominus actus divinae voluntatis, qui circa creaturas versatur, simul internus sit et liber.

Resp. II. Omnes fatentur libertatem Dei quantumvis evidentem, cum aliis quibusdam Dei attributis aegre conciliari posse: sed eae difficultates, quaecunque illae sint, nos a veritate tam certa, tam constanti deterrere non debent; cum ejusmodi difficultates in rebus etiam naturalibus et certissimis non desint. Quae sit libertatis humanae natura, nulla adhuc Philosophia definire potuit, et Dei libertatem explicabimus?

§. III.

De omnipotentia Dei.

OBSERVANDA.

I. *Omnipotens* Deus dicitur, quod in omnia dominatum habeat, et quod omnia facere possit. Hinc vocem illam, quae apud Latinos est simplex, Graeci distinguunt: priore sensu Deum παντοκράτορα nominant, posteriore παντοδύναμον, sed utrum-

que naturali quodam lumine et instinctu Deo tribuunt omnes tum Graeci, tum Latini. De postrema tamen significatione hic potissimum agitur. Potentia, seu vis efficiendi, est perfectio spiritui naturaliter conveniens; haec vis efficiendi in spiritu infinito debet esse infinita, debet esse *omnipotentia*, quae nihil aliud est, quam vis infinita efficiendi omnia possibilia, seu potentia, cui nulla adjuncta est imbecillitas. Notandum autem, quod aliquid impossibile esse possit vel in se, vel respectu Dei; potest enim aliquid non repugnare absolute, sed repugnare Deo, quia divinis perfectionibus adversatur. Sic peccatum in se non repugnat, sed peccare Deo impossibile est.

II. Quaerunt hoc loco Theologi, an *Omnipotentia* sit distincta ab intellectu et voluntate facultas. Et sane a SS. Patribus Omnipotentia Dei in ejus voluntate videtur constituta. Hinc *Chrysost. a*): *Satis illi fuit ad omnia, velle.* Verum manifestum est, haec aliaque dici tantum posse supposita jam omnipotentia: ideo Deo sufficit velle, quia, quaecunque vult, potest. Unde quamvis unum sint in Deo voluntas et potentia; tamen juxta nostrum conceptum distinguuntur. Deus omnia potest, quae vult; sed non omnia vult, quae potest. Potentia respicit omnia possibilia, voluntas actu efficienda. Potentia in se, et absolute spectata, ad divinam essentiam immediate pertinet, et in Deo concipitur eo ipso, quod sit Deus: si vero consideratur ut vis effectrix rerum, non voluntatem tantum complectitur, sed etiam actionem mentis, seu ideam operis, et consilium, ut vocat *Augustinus.*

Nota. Quomodo in hujus perfectionis consideratione versari debeat Christianus, et quantas exinde utilitates capere possit, luculenter ostenditur *in catechismo Conc. Trid.* Cap. II. Quaest. XI. et seq. Adeant candidati hoc praeclarum et nunquam satis commendandum opus.

PROPOSITIO.

Deus est infinite potens.

Prob. I. Innumera fere sunt Scripturae loca, quae infinitam Dei virtutem et potentiam magnifice extollunt:

---

a) Orat. II. de incomp.

frequentiora tamen in veteri testamento; novum enim amoris magis quam potentiae miracula pandit et supernaturalis creationis opes explicat infinitas et saluberrimas, quamvis et hic multa reperiamus omnipotentiae testimonia et sermone expressa et opere. Pauca nunc ex utroque foedere depromamus.

Ex veteri Test. Eruditi observant, plus quam septuaginta V. T. loca numerari, in quibus legitur hebraeum Dei nomen שַׁדַּי, quod est *omnipotens*. Sic Genes. XVII.: *Ego Deus omnipotens.* Genes. XVIII, 14. dicitur: *Nunquid Deo est quidquam difficile?* Job. XLII, 2.: *Scio, quia omnia potes.* Psalm. CXXXIV, 6.: *Omnia quaecunque voluit, fecit Dominus, in coelo et in terra, in mari et in abysso.* Addi possent loca quam plurima, quae divinae virtutis insignia opera nunc ex historia, nunc ex natura colligunt; atque ubique ostendunt universam creaturam divinae voluntati obsequentem. Huc pertinet illud Psalm. XXXII.: *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* . . . et sexcenta alia.

Ex novo Test. Matth. XIX, 26.: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Ephes. III, 20.: *Qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* I ad Timoth. VI, 15. Deus dicitur: *Beatus et solus potens, rex regum et Dominus dominantium* etc.

Prob. II. Ad probandam traditionis Catholicae consensionem, necesse non est argumenta ex Conciliis et Patribus congerere. Ecclesia publice fidem suam enuntiat in antiquissimis symbolis, Apostolico, Nicaeno et Athanasiano, — et solenniter profitetur se credere *in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.*

Prob. III. Ratio Omnipotentiae ex ipsa Dei natura sumitur. 1.° Deus perfectissimus est; Omnipotentia autem a nobis concipitur ut perfectio; melius enim est, omnia posse, quam nos posse. 2.° Deus omnipotens est, quia solus vere est; ut acute contra Faustum disputat *Aug. a)*:

---

a) Lib. XXVI. cont. Faustum cap. VII.

Ille plane omnipotens vere solus dicitur, qui vere est et a quo solo est, quidquid aliquo modo est, vel spiritale, vel corporale. Nempe solus omnia potest efficere, qui actu est, quidquid esse potest, et omnem essentiae plenitudinem continet.

CONSECTARIUM I.

Ergo voluntas Dei absoluta semper impletur.

Prob. Si voluntas Dei absoluta posset effectu frustrari, deesset Deo potentia id, quod vult, efficiendi: atqui haec ipsi deesse non potest, quia est omnipotens. Ergo etc.

Hinc illud Sapient. XII, 18.: *Tu Dominator virtutis cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse.* Et illa Mardochaei precatio, Esther XIII.: *Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita et non est, qui tuae possit resistere voluntati.*

CONSECTARIUM II.

Etiam tunc non vincitur Dei potentia, quando voluntas Dei conditionata non impletur.

Prob. I. Manifestum est, tum ex Scripturis, tum ex quotidiana experientia, Deum multa velle, quae tamen non fiunt vitio creatae voluntatis Deo reluctantis. *Vocavi et renuistis,* ait Deus Prov. I, 42., *extendi manum meam et non erat, qui respiceret.* Jes. V, 4.: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? Expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas.* Multa alia ejusmodi in veteri et novo testamento occurrunt. Verum nihil haec divinae potentiae detrahunt; nam 1.° voluntas haec absoluta non est, sed a libera creatae voluntatis determinatione pendet. Quod autem ab hac conditione pendeat, idipsum Dei voluntate constitutum est, non ex defectu virtutis et potentiae, sed ex suavissima providentiae dispositione. *Potentiam suam Deus nostro arbitrio derelinquit,* ait S. *Hieronymus a), ut justi voluntas praemium consequatur.* 2.° Voluntas Dei

a) In cap. XLIX. Isai.

nihilominus semper impletur, quatenus est causa universalis; quod ita explicat S. Thomas *a*): *Cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum alium: sicut peccator, qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. Sic voluntas Dei semper invicta est,* ut ait S. *August. b*), *vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret* . . . et iterum *c*): *Nemo leges omnipotentis evadit; sed aliud est facere, quod lex jubet; aliud est pati, quod jubet.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Patres passim dicunt, Deum ideo omnipotentem vocari, quia quidquid vult, potest. Ergo potentiam in Dei voluntate concludunt; ergo Deus alia efficere non potuit, praeter ea, quae vult.

Resp. neg. conseq. Mera haec est adversariorum cavillatio. Quando dicitur Deum, quidquid vult, efficere posse, sensus naturalis et obvius hic est: Sufficere Deo, ut velit, neque unquam deesse potentiam agendi. Unde si alia vellet, praeter ea, quae existunt; nihil esset, quod omnipotentis voluntatis impediret effectus. Sed Patres non raro apertis verbis asserunt, impossibile esse, quidquid Deus facere non decrevit. Nova haec cavillatio est; luditur enim in verbo posse, quod multiplici ratione intelligi potest. Si potentia Dei spectatur in actu primo, vel absolute; omnia potest, quae vel in se, vel cum Dei perfectionibus non pugnant: si autem spectatur in actu secundo, tanquam effectrix rerum, optime dicitur, impossibile esse, ut reipsa fiant, quae Deus fieri non vult; quod idem est ac, in Deo necessario praecedere operi voluntatem, seu Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suae. (Ephes. I.)

Argum. II. Potentia operandi ea tantum infinita dici potest, quae effectum producere potest infinitum; atqui nulla est etiam

---

a) Part. I. quaest. XIX. art. 6. *b*) Lib. de Spirit. et Lit. cap. XXXIII. *c*) De Agone Chr. cap. VII.

divina potentia, quae possit effectum infinitum producere: repugnat enim infinitum extra Deum. Ergo etc.

Resp. 1.° neg. maj. Ideo potentia Dei infinita est, quia inexhausta. Virtus enim operandi in Deo tanta est, ut nec numero, nec magnitudine operum terminari possit; sed semper et plura possit efficere et majora.

Resp. 2.° neg. min. Impossibile quidem est, ut potentia divina effectum producat in se, seu *materialiter*, uti dicitur, infinitum: at si effectus ejusmodi *formaliter* spectetur, vel sub ratione effectus, vere infinitus est: nam rem quamcunque etiam minimam solo voluntatis imperio ex nihilo producere, aut eam, cum existit destruere, actus est infinitae potentiae. *Deus in artifex est magnus in magnis*, ait *August.* a, *ut minor non sit in parvis: quae parva, non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.* Et *Tertull.* b: *Opera Creatoris utrumque testantur: et bonitatem ejus, qua bona, et potestatem, qua tanta, et quidem ex nihilo.*

Argum. III. Deus multa non potest, quae tamen impossibilia non sunt; nam nec dolere potest, nec mori, nec mentiri, nec multa alia facere, quae etiam ab hominibus fiunt. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Deus multa non potest ex perfectione naturae, quae ab hominibus fiunt ex naturae imperfectione, *conc.*: multa non potest ex defectu potentiae, *nego*. Jam supra observatum est, alia impossibilia esse, absolute; alia respectu Dei, quia cum divinis ejus perfectionibus pugnant. *De his*, ait S. *Thomas* c, *convenientius dicitur, quod ea non possint fieri, quam quod Deus ea non possit facere.* Multa in hanc rem egregie a Patribus dicta sunt. Sic S. *Ambros.* d: *Quid impossibile Deo?* inquit, *non quod virtuti arduum, sed quod naturae sue contrarium: impossibile istud non infirmitatis est, sed majestatis.* Et S. *August.* e: *Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et quod ait Apostolus* II *ad Timoth.* II. *negare seipsum non potest. Quam multa non potest, et omnipotens est; et ideo omnipotens est, quia ista non potest.*

---

a) Lib. XI. de civ. Dei cap. XXII. b) Lib. II. cont. Marc. cap. V.
c) Part. I. Quaest. XXV. Art. III. d) Lib. VI. Epist. XXXVII.
e) Serm. de Symbolo ad Catechum. cap. I.

ARTICULUS III.

De attributis Dei moralibus.

Videmus Deum quasi appropinquantem nobis. Primum quidem eum consideravimus, quatenus ens primum est et perfectissimum, quod velut immensum quoddam, ac nullis terminis definitum essentiae pelagus omnia complexu suo continet. Stetimus a longe intuentes non tam in Deum ipsum, quam in caliginem, qua et praesens sistitur et tegitur simul aeternum et invisibile numen. Ostendimus deinde excellentissimae hujus naturae veluti partes; intellectum, voluntatem et vim operandi infinitam. Ita ad nos aliquo modo deducitur suprema majestas et tanquam prototypon apparet illius imaginis, quam animae nostrae ipsa impressit. Nunc demum propior adhuc effecta, nobis proponitur, non tantum ut prototypon nostrae naturalis perfectionis, sed tanquam absolutissimum exemplar omnis moralis bonitatis, cujus et ipsi speciem aliquam et imaginem in nobis exprimere debemus. Quae ad naturae nostrae conditionem pertinent, ea sine nobis in nobis sunt; at haec longe excellentiora, praeter opem divinam, studio et imitatione assequimur. Atque huc pertinet illud Christi Matth. V, 48.: *Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*

In hac perfectione morali summa et inexhausta intellectus noster iterum distinguit, et plures perfectiones morales, aut quasi virtutes Dei numerat. Praecipuae sunt *Sapientia, Veracitas, Bonitas* et *Misericordia, Justitia.*

§. I.

De sapientia Dei.

OBSERVANDA.

I. Sapientia in Deo est firma voluntas utendi sua omnipotentia juxta dictata infinitae intelligentiae; seu, est summus amor ordinis, quo fit, ut Deus non tantum fines intendat naturae suae perfectioni respondentes, sed finem etiam perfectissime assequatur per media optima. Hinc Sapientia quasi media stat inter naturales spiritus proprietates, quas exposuimus, et morales, de

quibus hoc articulo dicendum est: priores supponit, posteriores continet omnes. Supponit *scientiam*, quae perfecte cognoscit, quid bonum, quid melius, quid optimum sit, quae optima ad finem assequendum media. Supponit *voluntatem*, quae in bonum fertur ineluctabili propensione. Supponit *potentiam* agendi; quia sapientia non in speculatione rerum, sed in rebus agendis versatur; et hoc primum ad sapientiam pertinere intelligitur, ut nihil sibi proponat efficiendum, nisi vires adsint ad perficiendum. Jam vero quod perfectiones omnes morales contineat, difficile non est, ex ejus conceptu eruere: nam cum ex perfectissimo intellectu, et optima voluntate efflorescat; non potest in ea quidquam cogitari, quod non sanctum, quod non verum, quod non bonum esset et justum: vel potius, idipsum est sapientia, quod sanctitas, quod veritas, quod bonitas, quod justitia. *Est enim emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera a), et ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, speculum sine macula divinae majestatis, et imago bonitatis illius.*

Si nunc ad hominem haec applicantur, facillimum est videre, jam in veteri lege pessimos quosque et impiissimos homines passim insipientes vocari: sapientiae autem nomine omnium virtutum cumulum intelligi: *Infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati b)*. Sed et N. T. libri omnem sanctitatem hac sola voce comprehendunt, et discrimen omne bonorum et malorum in vera aut falsa sapientia ponunt: boni dicuntur, qui Dei sapientiam participant; mali vero, qui sapientes sunt secundum carnem, et de quibus Apostolus ait *c*): *Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Unde illa ejusdem Apostoli ad Ephesios hortatio, Cap. V.: *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus: quoniam dies mali sunt.*

II. Hic locus est de illa quaestione quaedam disserendi, quae diu maximorum Philosophorum ingenia exercuit, scilicet, an Deus teneatur ad optimum. Scimus hanc quaestionem a quibusdam ad voluntatem Dei referri, ab aliis ad libertatem, aut

---

a) Sap. VII, 25. 26. *b*) Ibid. v. 14. *c*) Rom. I, 21. 22. et I Cor. I. II. III.

omnipotentiam; verum ii de Sapientia parum, aut nihil loquuntur. Caeterum quid aliud est Sapientia, quam ipsa Dei voluntas praelucente Omniscientia omnia libere, fortiter et suaviter disponens? Cum ergo illud sapientiae proprium sit, ut vim operandi dirigat; ut opus suadeat, tum finem operi praefigat, et aptissima ad finem media disponat: quaeritur, an Deus, cum sit sapientissimus, necessario optimum producat? Seu an necessario finem optimum per optima media prosequatur? Non est in hac re una omnium sententia. Veteres Philosophi Platonici et Stoici videntur docuisse, mundum hunc esse perfectissimum. Quidam etiam ex antiquis Patribus non multum aberant ab hac Platonicorum sententia. Inter recentiores autem Philosophos multi eam avide amplexi sunt, atque inter hos non pauci magnae celebritatis viri; quamvis et hi inter se non consentiant. Alii cum *Leibnitio* perfectionem absolutam exigunt, Deumque dicunt teneri ad ordinem inter omnes possibiles prorsus optimum, ideoque unicum. *Malebranchius* contra ordinis perfectionem repetit a viis generalioribus cum absoluta operis perfectione collatis.

III. Haec systemata multis fulciuntur et speciosis rationibus; et hodie absque examine assumuntur ab iis, qui indoctum putant non sentire cum illis, qui doctores habentur. Nobis autem videtur, parum ea cohaerere, et multa contra objici posse tam gravia, ut nulla contraria ratione elidi possint; unde persuasum nobis est, optimismum purum et crassum, si ita loqui fas est, nullo modo defendi posse. Potest tamen alio modo opus Dei perfectum dici tum ratione finis, tum ratione mediorum. Ratione quidem finis, qui alius esse non potest, quam gloria Dei, et manifestatio divinarum perfectionum; quo certe nihil potest cogitari perfectius. Ratione vero mediorum; quia id exigit Sapientia infinita, ut Deus finem, quem sibi proponit, perfectissime assequatur. Neque enim sapienter ageret, qui ad illud, quod assequi vellet bonum, per media tenderet minus idonea, relictis melioribus. Haec sententia nihil habet, quod non sit sanae rationi, et illi, quam de Deo habere decet, ideae consentaneum. Caeterum notandum est, hanc quaestionem obiter tantum a nobis delibari posse, quia philosophica magis, quam theologica est; neque de mundo hoc disputationem a nobis institui posse, quem a Deo fuisse productum nondum probavimus. Nunc Deum adhuc, ut

in se est consideramus, ideoque de ejus operibus in abstracto tantum aut hypothetice loqui possumus. Unde ita ponenda esset quaestio: an Deus necessario operetur extra se, et an opus extra Deum productum non possit esse, nisi optimum.

PROPOSITIO I.

Deus est infinite sapiens.

Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Psalm. CIII, 24.: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Psalm. CXLVI, 5.: *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus; et sapientiae ejus non est numerus.* Ad Rom. XI, 33.: *O altitudo sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et ininvestigabiles viae ejus!* Quam praeclara divinae sapientiae encomia in libris Proverb., Sapient. et Ecclesiast. occurrunt, nemini ignotum esse potest. Vide *Proverb.* III, 19. etc. *Sapient.* VII. VIII. etc. *Eccles.* XXIV. et Cap. IV.: *Sapientiam Dei praecedentem omnia, quis investigavit?*

Prob. II. Non desunt argumenta ex ratione petita varia et splendida: verum ad nos non pertinet ejusmodi philosophica tractatio. Ex probatis tantum concludimus. Cum Deus ens perfectissimum sit, non potest illi deesse perfectissima sapientia; quia sapientia omnibus fatentibus est perfectio entis intelligentis et quidem nostro concipiendi modo maxima, cum nihil homines magis dividat ab animantibus. Porro ibi perfecta sapientia est, ubi est voluntas optima, cum summa intelligentia conjuncta et virtute operandi infinita.

PROPOSITIO II.

Deus neque necessario operatur ad extra, neque operando tenetur ad optimum.

Prob. I. pars. Cum propositum nobis sit, a dogmatica disserendi ratione, quantum fieri potest non discedere, duplex tantum patet argumentandi via. Prima, quae argumenta directe eruit ex revelationis fontibus; altera, quae ex veritatibus dogmatice probatis consectaria legitimo ratiocinio deducit. Utraque hac via recte pervenimus ad id,

quod in propositione enuntiatum est. Nihil in Scripturis occurrit, quod in Deo necessitatem operandi argueret. Contra centies illae repetunt et inculcant, omnia a Dei nutu pendere; rationem rerum ultimam solam Dei voluntatem esse; Deum omnia operari prout vult. Revelatio tum Mosaica, tum Christiana tempus assignant Dei operibus, illudque dicunt sola Dei voluntate constitutum. Verum, si in Deo necessitas esset operandi; non videtur cur non ab aeterno creasset, Deus enim non potest esse sine eo, quod ipsi est necessarium.

Praeterea, quae de summa Dei perfectione et omnimoda independentia, tum de infinita, quam in se ipso habet, beatitudine et de libertate ejus, ac plena, pro sua voluntate, operandi potentia diximus; omnem ab eo necessitatem penitus excludunt. *Cum bonitas Dei,* ait S. *Thomas a*), *sit perfecta et esse possit sine aliis; cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sequitur, quod alia a se eum velle, non sit necessarium absolute; et tamen necessarium est ex suppositione: supposito enim, quod velit, non potest non velle; quia non potest ejus voluntas mutari.* En sola necessitas agendi, quam licet in perfectissimo agnoscere: *supposito, quod velit, non potest non velle.*

Prob. II. pars. Iisdem fere, quae ad probationem primae partis allata sunt, argumentis. Scripturae non tantum nihil habent, quod Optimistarum placita confirmaret; sed ubique Deum ostendunt cuncta liberrime et pro arbitratu suo disponentem; tanquam supremum rerum omnium Dominum, cui una voluntas pro lege est. *Quaecunque voluit, fecit, in coelo et in terra.* Psalm. CXXXIV. Ex iis autem, quae de divina natura hucusque dicta sunt, duo haec videntur necessaria consecutione concludi posse. 1.° Deum, cum sit perfectissimus et nullius indigens, a nulla re externa ad agendum determinari posse; penderet enim ab illa re, a qua determinaretur. Deum quoque finem operandi alium sibi praefigere non posse, quam propriam gloriam ex perfectionum suarum manifestatione redundantem.

---

a) Part. I. Quaest. XIX. Art. III.

Sed hac gloria, cum sit externa et adventitia, Deus carere potest, nec ille minor efficitur, cum illa minuitur, nec major, cum augetur. 2.° Rationem ipsam postulare, ut de Sapientia id cogitemus, quod de omnibus aliis Dei attributis, quae vim suam extra Deum exserunt. Nempe eas infinitas esse et perfectissimas, si in Deo considerentur, in quo nihil potest esse nisi optimum; at cum extra Deum se produnt, necessario haerere in gradu finito; atque eo tantum sensu esse infinita, quod, quocunque modo manifestentur, semper possint perfectius manifestari.

CONTRA OPPONITUR.

Argum. Voluntas quaecunque libera non potest agere, nisi ex ratione sufficiente, seu, nisi per motivum aliquod praeponderans inclinetur ad agendum, aut ad unum potius agendum, quam aliud: quae autem aliter ageret, non sapiens esset, sed caeca et insipiens. Ergo cum Deus sapientissimus sit, tenetur ad optimum, idque unicum.

Resp. Hoc principium si admitteretur, libertatem in Deo penitus destrueret; nam in ente, quod intellectu infinito pollet, et rerum omnium causas perfectissime cognoscit, electio locum habere non posset. Comparatio ab homine sumi non potest, qui ignorantia laborat, et ad malum fertur naturali propensione; qui altiori voluntati subditus est, et sibi ipsi norma vivendi agendique esse non potest. Unde tota sapientiae regula pro homine est divinae voluntati conformiter agere. Cui autem voluntati conformabit se Deus, nisi suae? aut quam causam haec voluntas habere poterit sese determinandi, praeter seipsam? Voluntas Dei non est instar bilancis, quae potentiam tantum passivam habet; et res externa, aut operis externi perfectio non potest per se causa esse, qua Deus determinatur ad agendum, ut jam observatum est. *Omnis causa efficiens est*, ait S. *August. a), omne autem efficiens majus est, quam id, quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei; non ergo ejus causa quaerenda est.*

---

a) Lib. LXXXIII. Quaestion. Quaest. XXVIII.

Inst. I. Motivum, aut causa voluntatem inclinans, est ipsum objectum divinae cogitationis, quod Deus amat propter illius bonitatem, quod condit propter gloriam suam. Ergo, quo perfectius est hoc opus, eo magis voluntatem ad agendum inclinat.

Resp. neg. ant. Confundi non debet motivum divinarum operationum ad extra, cum eorum fine, et amore illo, quo Deus fertur in omne bonum. Gloria Dei externa, aut bonitas divina creaturis communicanda, est finis operationum Dei; non autem causa, et motivum. Nihil quod extra Deum est, potest Deum ad agendum determinare. Deinde bonitas creaturarum est ipsum Dei opus. Deus creaturas libere amat, quia libere eas producit, et quem vult, gradum bonitatis eis impertit.

Inst. II. Ergo caecam fingimus Dei voluntatem, ad opus sese sine ratione, sine motivo determinantem! Quis haec ferat, aut cum infinita Dei sapientia conciliet?

Resp. Deus non potest caeco modo agere, quia intellectu perfectissimo praeditus est. Non potest ad operandum determinari, nisi a propria sua voluntate; quia ad omnia, quae extra sunt, indifferens est, quia in se felicissimus; quia perfectissima libertate gaudet. At est etiam sapientissimus. Cum haec omnia certa sint, concludimus, nihil esse inter ea repugnantiae: quamvis qua ratione inter se concordent explicare non possimus. Multa ejusmodi sunt, quae negare non possumus, etsi quomodo sint, non intelligamus. Quomodo libertas Dei cum immutabilitate conciliari possit, explicare non valemus; sed utramque perfectionem in Deo esse nemo dubitat. Rationem volendi et intelligendi in Deo investigare non possumus; sed ideo nec intellectum a Deo nec voluntatem auferimus. Nos obscuritates in Deo relinquimus, quod nemo mirabitur. Verum, qui contraria nobis sentiunt, videntur nobis Deum libertate sua exuere, ipsamque ejus perfectissimam naturam, majestatem, et potentiam violare.

§. II.

De sanctitate Dei.

OBSERVANDA.

I. Sanctitas in genere consistit in immunitate ab omni malo morali, seu peccato: estque constans amor recti, et volun-

tas omnes actiones suas ad normam legis componendi. Cum autem Deus ipse sibi lex sit, neque normam agendi extra se ipsum habeat, *sanctitas divina* bene dicitur, *immutabilis voluntas perfectionibus suis conformiter agendi.* Hoc attributum, ut cuilibet obvium est, arctissimam habet cum Sapientia connexionem; non est tamen unus utriusque conceptus. Sapientia magis in actione consistit, et in Deo concipitur tanquam electrix operum illius, et rerum omnium moderatrix, attingens a fine usque in finem fortiter, suaviterque disponens omnia. Sanctitas est ipsa Dei moralis perfectio, ipsa pulchritudo Dei, et decor ineffabilis praestantissimae naturae. Sapientia quasi effusam et exundantem Dei bonitatem repraesentat; at Sanctitas lux ipsa est divinitatis intemerata; puritas, et castimonia integerrimae voluntatis. Utriusque imaginem quandam in sole reperimus: illa lumen quodammodo est solis splendidissimum, omnia collustrans, et radios diffundens undequaque; haec sol dici potest sua claritate corruscans, et in se ipso inexhausto lumine dives.

II. Nullum est Dei attributum, quod adeo moveat reverentiam nostram, et ad studium virtutis adeo provocet nos, quam hoc ipsum, quod *Sanctitas* dicitur: nam sanctissima voluntas in Deo necessario complectitur amorem rectitudinis et boni moralis in creaturis, et adversationem omnis impuritatis: *Abominatio est Deo via impii.* Prov. XV, 9. et Psalm. V, 7.: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Vide igitur, quanta nobis necessitas incumbat sanctitatis; nam Deo placere non possumus, neque effugere omnipotentis vindictam, nisi sanctitatem et ipsi pro viribus sectemur, diligentes justitiam, et odientes iniquitatem. *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, ut ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* I Petri I, 15. 16.

PROPOSITIO.

Deo summa competit sanctitas.

Prob. I. Reg. II, 2. *Non est sanctus, ut est Dominus.* Jes. VI, 3. Seraphim clamant alter ad alterum: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Vid. etiam Apocal. IV, 8. Multa alia omittimus; nihil enim frequentius occurrit in veteri Testamento quam ejusmodi loca, in

quibus Deus sanctus vocatur, aut nomen ejus sanctum dicitur. I Petri I, 16.: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* Praeterea Deus auctor sanctitatis dicitur in creaturis, ut I ad Thessal. V, 23.: *Deus pacis sanctificet vos per omnia.* Dicitur adversari omne malum morale. Hab. I, 13.: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris.* Demum cum nihil in Deo nisi perfectissimum esse possit; sequitur Deo summam competere sanctitatem.

§. III.

De veracitate Dei.

OBSERVANDA.

Veracitas in Deo est constans voluntas vera dicendi, et servandi promissa. In hac fundamentum fidei nostrae positum est, in hac spes omnis futurorum. Tanta autem est hujus fundamenti firmitas, ut qui illud convelleret, Deum ipsum destrueret. Unde haec aut similes propositiones, credendum esse Deo revelanti, fidendum Deo promittenti, merito axiomatum loco habentur in Theologia; neque adhuc inventus est quisquam, qui Deum auctorem fecerit mendacii. Ipsi Philosophi gentiles id diserte exposuerunt, ut videre est apud *Huetium a*); inter alios « *Proclus* ex *Socratis* doctrina a *Platone* tradita in libris de Republica, cui assentientes *Alcinous* et *Simplicius* Deum *veritatis* nomine affecerunt, quod veritatis omnis ita sit principium, ut sol omnis luminis. »

PROPOSITIO.

Deus summe verax est.

Prob. Joan. III, 33.: *Qui accepit ejus* (Christi) *testimonium, signavit, quia Deus verax est.* Rom. III, 4.: *Est autem Deus verax.* Hebr. VI, 18.: *Impossibile est mentiri Deum.* Psalm. CXLIV.: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* Alia multa praetermittimus; neque enim necesse est in re manifestissima argumenta congerere. Ergo

---

a) Quaest. Aln. Lib. II. Cap. II. Nro. 17.

verax est Deus, ergo vera sunt eloquia ejus, neque possunt effectu non compleri, quae ipse aut comminatus est malis, aut diligentibus se repromisit; nam *verbum Domini manet in aeternum.* Jes. XL. Et Christus ait, Matth. XXIV, 31.: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Id ergo agamus sollicite, ut *in virtute custodiamur per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.* I Petri I, 5.

§. IV.

De Bonitate et Misericordia Dei.

OBSERVANDA.

I. Bonitas alia est *naturalis,* quae in ipsa naturae perfectione consistit; alia *moralis,* quae est liberae voluntatis cum recta ratione conformitas: demum alia *relativa* est, quae est propensio aliis impertiendi bona, aut eos provehendi ad statum perfectiorem. Cum bonitas illa, quae naturalis dicitur, nihil aliud sit, quam naturae perfectio, patet, Deum hoc sensu infinite bonum esse, quia in omni genere perfectissimus est *a*). Bonitas moralis in Deo est ipsa illa incomparabilis sanctitas, de qua §. II. egimus. Superest ergo ut de bonitate Dei relativa pauca dicamus, quae recte definiri potest: Immutabile propositum voluntatis divinae, eos, quos condidit, beatos et felices reddendi; seu constans voluntas in Deo, communicandi felicitatem suis creaturis, quantum patiuntur earum finitae naturae, et sapientissimi fines, quos Deus sibi proposuit. Haec divina bonitas varia accipit nomina, pro variis creaturarum quas afficit conditionibus. Quando creaturis non merentibus bona dividit, *gratia* est; quando miseris et indigentibus succurrit, *misericordia;* et cum malos patitur, et punire tardat, *patientia* vocatur, aut *longanimitas.* Nota quoque sunt benevolentiae, amoris, beneficentiae, clementiae, liberalitatis etc. vocabula, quae omnia sub communi bonitatis nomine comprehenduntur.

II. Hoc est divinae huic perfectioni proprium, quod nostrum quodammodo bonum sit, magis quam Dei. Nam quidquid nos

a) Cap. II. hujus Partis. Art. II. et IV.

sumus, divinae benignitati debemus. Deus suo bono bonus est, in se continens omnia: nos autem ex ejus plenitudine accepimus, ejus voluntate vivimus, ejus donis ditescimus. Hinc nihil est quod magis nos ad amorem sollicitet, tenerrimosque moveat affectus. Multa sunt in Deo, quae plus admirationis habent quam amoris, quia ad ejus magnitudinem pertinent et incomprehensibilem majestatem. Alia quae reverentiam jubent, fidem confirmant, fiduciam accendunt; sed bonitas Deum amabilem et patrem in nos propensissimum exhibens omnis amoris, gratitudinis, spei, et pietatis sensus excitat; cui, si accedit bonitatis illius moralis, seu infinitae sanctitatis, et intemeratae puritatis frequens consideratio; tum nescio quid divinum in animo exsurgit, et admirabiles in Deum amores exardescunt.

Illud quoque ad imitationem non parum excitat animos, cum sentiunt, nulla re propius ad Deum accedere homines, quam benefaciendo, tum demum filios Dei nos effici, cum misericordiae et bonitatis divinae imaginem quandam in vita nostra exprimimus. Hac ratione Christus nos frequenter ad misericordiam, dilectionem, et beneficentiam excitat: *Diligite inimicos, et benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, et malos. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Eodem argumento utitur Apostolus. Sic ad Colossens. ait *a*): *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem etc.* Et dilectus Christo discipulus, qui amorem, quem alte animo imbiberat, tam largo ore et calamo effudit. En quaedam ex Epist. I. Cap. IV.: *Charissimi, diligamus nos invicem: quia Charitas ex Deo est.... Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.* Imprimis illa plena Divinitatis verba v. 16.: *Deus Charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

PROPOSITIO.

Deus est summe bonus et misericors.

Prob. Nihil Scripturae et Patres saepius commendant, quam bonitatem, clementiam et misericordiam Dei. Pauca

---

a) Colos. III, 12.

seligimus. Psalm. CV.: *Confitemini Domino, quoniam in saeculum misericordia ejus.* Idem in aliis quoque Psalmis repetitur. Psalm. CXVIII.: *Bonus es tu et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Psalm. CII. integer misericordias Domini praedicat . . . v. 8.: *Miserator et misericors.* Vid. etiam Psalm. CXLIV. etc. Exod. XXXIV. etc. Lucae I, 50.: *Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Jacob. I, 17. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Huc referri possunt, quae Deum nobis exhibent tanquam Patrem optimum, cujus opem nemo frustra implorat, qui dat nobis superabundanter, quam petimus et intelligimus. Aut quae summam ejus erga homines dilectionem et charitatem extollunt et ad imitationem nos proposito tanto exemplo provocant. Vid. quae supra relata sunt, Observ. II.

Ex Patrum testimoniis hoc unum addimus S. *August.* Lib. de Spiritu et Littera. *Major est Dei misericordia, quam omnium hominum miseria.*

OBJECTA SOLVUNTUR.

Objiciunt I. Misericordia est species tristitiae: atqui tristitia in Deo esse non potest: ergo nec misericordia.

Resp. S. *Thomas a* : « Misericordia est Deo attribuenda secundum effectum, non secundum passionis affectum. Misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor: quasi scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria: et ex hoc sequitur, quod operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut miseriam propriam: et hic est misericordiae effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo: sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit. »

Objiciunt II. Si Deus summe bonus esset, nulla possent mala in hoc mundo existere. Atqui existunt tamen quamplurima. Ergo etc.

Resp. D. maj. Nulla possent existere mala absoluta et moralia, quorum Deus auctor esset, *conc.* Nulla possent existere

---

a) Part. I. Quaest. XXI. Art. III.

mala defectus, aut ex hominum culpa manantia, nego. Multa, quae nobis mala videntur, sunt tantum rerum creatarum imperfectiones. Deus bona produxit multa et minora, cum ipse sit unum summum bonum; non sibi aequalia, quia non de se ipso; sed informia, quia de nihilo; atque etiam inter se inaequalia, quia in re, quae absolutam bonitatem habere non possunt, perfectio ex comparatione cum alia inferioris naturae potissimum elucescit. *Cum ergo quaeritur, cur alia sint alia minora in hoc mundo, optime responderi potest: Ideo alia alia esse minora, ut alia alia esset majora. A terrenis, ait S. August. a), usque ad coelestia, et a visibilibus usque ad invisibilia, sunt alia aliis bona meliora, ad hoc inaequalia, ut essent omnia.*

Quod mala moralia attinet, jam dictum est, ea non Dei opus esse, sed hominis. Ad libertatem nostram id pertinet, quod in malum declinare possit. Ipsa autem libertas Dei donum est, eaque sublata nec dignum Deo obsequium praestaretur, et multiplici felicitate careret homo. Huc pertinet illud S. August. b): Tales servos non meliores esse Deus indicavit, si ei servirent liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent. Ex ad mala physica provocant adversarii, valent jam datae responsiones. Nam in quantum defectum indicant, ex naturali conditione omnia creaturae fluunt. Quatenus autem vexant vitam humanam, poenae peccati sunt, et quidem salutares, ac paternae bonitatis et clementiae magis quam justitiae indicia; quia ab homine dependet, ut ex his bene utendo multo perfectior evadat et beatior. Hanc multiplicem malorum quaemodi utilitatem etiam imbecillior hominum ratio facile intelligit; quid si immensum illud, aeternumque divinae providentiae opus, quod terrena omnia et coelestia, et tempora et aeternitatem, et omnia entia, ac eventus omnes complectitur, assequi mente nostra possemus?

§. V.

De justitia Dei.

OBSERVANDA.

Justitia latiori sensu, sicut in homine omnium virtutum complexionem significat, sic et in Deo a Sanctitate caeterisque attri-

a) Lib. XI. de civ. Dei. b) Lib. de vera Rel. Cap. XIV.

butis moralibus non distinguitur. Stricte sumta est singularis virtus, reddens unicuique suum; in Deo autem est constans voluntas tribuendi praemia et supplicia unicuique pro meritis. Justitia ut specialis virtus considerata duplex distinguitur; scilicet in *commutativam*, qua redditur alteri, quod ei debitum est pro accepto, aut ablato; et *distributivam*, quae praemia vel poenas pro meritis rependit. Haec iterum duplex est: quando poenas decernit pro commissis sceleribus, vocatur *vindicativa*, si praemia, *remunerativa*. Justitia, quae commutativa dicitur proprio et stricto sensu, in Deo non est: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* Ad Rom. XI, 35. Quamvis in eo sensu admitti possit, quod nostra bona opera ex gratiae auxilio facta aliquam acquirant cum praemio proportionem. Quod autem justitiam distributivam attinet, nemo est, qui eam Deo unquam abjudicaverit. Deus, sicut libentissime merita coronat, ita transgressores non sinit esse inultos.

PROPOSITIO.

Est in Deo justitia distributiva.

Prob. I. *Argum. generali.* Multa hujus rei argumenta in omnibus fere libris tum veteris tum novi testam. occurrunt. Sic Genes. XVIII, 25. Abraham ad Deum ait: *Absit a te, ut rem istam facias, et occidas justum cum impiis, fiatque justus sicut impius: non est hoc tuum, qui judicas orbem terrae.* Psalm. CXVIII, 137.: *Justus es Domine et rectum judicium tuum.* Tobiae III, 2.: *Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viae tuae misericordia et veritas et judicium.* Rom. II, 5. et seq.: *Reddet unicuique secundum opera ejus etc.* Vid. Joan. V, 29. Matth. XVI. XXV. II ad Cor. V. etc.

Prob. II. *Argum. specialib.* 1.° Est in Deo justitia *remunerativa.* II ad Timoth. IV.: *Bonum certamen certavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* — Ad Hebraeos VI, 10.: *Non injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.*

2.° Est in Deo justitia punitiva, in vindictam malorum. Ad Rom. XII, 19.: *Mihi vindicta: ego retribuam.* Psalm.

V, 6. 7. *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Rom. I, 18.: *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Praeterea justitiam Dei *vindicem* (liceat nobis cum Scriptura loqui) facta ipsa omni sermone evidentius probant. Praecipua sunt 1.° mala ob peccatum originale in totum genus humanum diffusa. 2.° Diluvium. Sodomae et Gomorrhae excidium. 3.° Immensa Dei in Christum Hominem-Deum severitas.

Prob. III. 1.° In ente perfectissimo nulla potest esse injustitia, quia nulla potest esse causa injustitiae. Omnis quippe injustitia nascitur vel ex ignorantia, seu errore intellectus, vel ex perversa voluntate; sed utrumque in Deo repugnat. Ergo etc.

2.° Non intelligitur, quomodo Deus, in quo est summus amor omnis boni, omnisque iniquitatis summa aversatio, posset in rerum creatarum administratione nullam boni et mali rationem habere; leges optimas et ad commune bonum plane necessarias, nulla sanctione confirmare; neque in transgressores et contemptores majestatis suae animadvertere.

3.° Deus cum sit optimus, creaturas rationales necessario vult esse beatas; verum cum sit moralis mundi gubernator, moralem simul earum bonitatem promovere tenetur; ideoque felicitatem cum virtute aut morali perfectione sociare insolubili nexu. Inde oritur ordo moralis, qui sine justitia cogitari non potest; consistit enim in eo, ut nemo possit esse beatus, nisi bonus sit; infelix autem evadat, quicunque a virtute desciscit.

CONTRARIORUM CONFUTATIO.

Dicunt I. Justitia scelerum vindex est aliquid Deo extrinsecum: atqui nihil extrinsecum potest Deo necessarium esse: ergo justitia non potest in Dei attributis numerari.

Resp. neg. maj. Justitia ad illa Dei attributa pertinet, quae vim suam exserunt extra Deum, et ob hanc causam duplici

ratione considerari possunt; in quantum nempe in Deo sunt; et in quantum operationibus Dei externis manifestantur. Justitia Deo intrinseca est, tanquam attributum necessarium perfectissimae naturae, neque ab ejus essentia divelli potest. In hoc Theologi omnes conveniunt: unde cum circa Justitiae necessitatem disputant, de hac perfectione non agunt, quatenus in Deo est; sed de ejus externo exercitio. Atque omnes iterum concedunt, Deum, cum vindictam sumit de peccatis nostris, prorsus liberum esse in modo puniendi. An autem possit omnino a poena abstinere, etiam supposita libera transgressione, non apud omnes in confesso est. Putant quidam Deum, utpote supremum omnium creaturarum Dominum, posse juri suo cedere, et offensam cum omni poena dimittere. Alii tamen contrarium multo probabilius affirmant, rationesque afferunt a nobis supra ex ipsa Dei notione evolutas. Caeterum tota haec quaestio de hypothesi est non existente, cum fatentibus omnibus ex Revelatione certum sit, Deum revera poenas a peccatoribus exigere. Non est ergo cur haec nos diutius morentur.

Dicunt II. Multa ad mundi hujus administrationem attendentibus occurrunt, quae cum justitia Dei conciliari non possunt. Nam bonos non raro videmus inique vexari, et malis fere innumeris confici, cum econtra mali in bonis ducant dies suos, ac perpetua prosperitate floreant. Ergo etc.

Resp. Haec quidem conciliari non posse videntur cum Dei justitia ab iis, qui terrena sapiunt, et omnem suam quamvis mire jactatam sapientiam in rebus caducis, et brevissimo hujus vitae spatio concludunt. At iis, qui suae dignitatis conscii sunt, et meliora de Deo sentiunt, persuasum est, omnia sapientissime a Deo esse constituta. Et quamvis multa sint, quae nos nullo consilio assequi possumus, in multis tamen fines conspicimus sapientia Dei, bonitate, ac justitia dignissimos. Cum Deus supremus omnium Dominus sit, utique pro suo beneplacito tum malorum supplicium, tum bonorum praemia differre potest; atque ut ea differat sapientissimae suadent rationes. Vid. Sap. Cap. XI. XII. Status vitae praesens est status probationis, in quo ad exercitationem virtutis, et abstergendas humanae infirmitatis maculas, oportet bonos multas perferre molestias. Cum autem vides malos prospera uti fortuna, cogita in Deo justitiam

non excludere bonitatem, quae patienter sustinet ingratos, et peccata dissimulat propter poenitentiam; cogita, eos qui divitias bonitatis, patientiae, et longanimitatis contemnunt, thesaurizare sibi iram in die irae *a*); cogita demum, in hoc ipso clarius innotescere Dei justitiam, quod ea, quae bona reperit in peccatoribus, sine praemio non relinquat; et ideo terrena quaedam et caduca iis impertiatur, quos in alia vita praevidet justitiae severitatem experituros.

Dicunt III. Bonitas et Misericordia, quae veluti proprius Dei character intelligitur, justitiam illam, quae punitiva est, necessario excludit, quia contrarii utriusque effectus sunt. Una parcendo se, et miserando manifestat, altera puniendo: una dona sua in omnes largiter effundit, altera magnam hominum partem ad aeterna supplicia damnat. Ergo etc.

Resp. Bonitas in Deo non est caeca aliqua et omni lege soluta benignitas, absque delectu et consilio dona sua diffundens; sed virtus moralis et perfectio, quae cum Sapientia et Sanctitate indissolubili foedere sociatur. Hoc ipso non potest esse justitiae contraria, quae comes est Sapientiae et Sanctitatis, sive summae moralitatis executoria potestas. Non potest ergo justitia cum bonitate pugnare; utraque in Deo summa est et infinita; utramque Deus exercet pro sua voluntate, tanquam sapientissimus gubernator et assertor moralis ordinis; neque cum bona largitur, cessat esse justus, neque cum poenas decernit, bonitatem exuit. *Omne justitiae opus*, ait *Tertull. b*), *procuratio bonitatis est; quod judicando damnat, quod damnando punit, quod, ut dicitis, saevit, utique bono, non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert.* Et paulo post: *Usque adeo justitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum et Patrem et Dominum: Patrem clementia; Dominum disciplina: Patrem potestate blanda, Dominum severa, Patrem diligendum pie, Dominum timendum necessarie; diligendum, quia malit misericordiam, quam sacrificium, timendum, quia nolit peccatum; diligendum, quia malit poenitentiam peccatoris, quam mortem; et timendum, quia nolit peccatores sui jam non poenitentes.* Pulchre demum S. *August.*

---

a) Rom. II, 4. 5. *b*) Cont. Marc. Lib. II. Cap. XIII.

ostendit *a*), mala, quae in hoc mundo patimur, non tam mala justitiae esse, quam bona misericordiae. *Cum Deus evertit subsidium vitiorum, et copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur.* Jam ante dixerat: *Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua poenalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior.*

Nota. Recurret adhuc occasio de his uberius tractandi. Caeterum de Deo ejusque attributis multa copiose et acute disseruit D. *Hoocke*, tom. I., magis tamen Philosophorum, quam Theologorum more. Multa etiam in Cl. D. *Dobmayer* Theologia dogmatica reperies methodice exposita. Splendent ibi ubique Protestantium auctorum nomina, praetermissis Patribus et celeberrimis Catholicorum Theologis, aut uno tantum aliove ex recentioribus obiter et timide quasi nominatis. Nos cum magna fiducia ad nostros Theologos remittimus: et qui tractationem hujus materiae desiderant, non theoreticam tantum, sed ad mores et usum vitae Christianae accommodatam, cibum invenient multo solidiorem, et ex puro verae Religionis frumento expressum in Catholicorum libris. Sieh Schwarzhuebers Religionshandb. I. B. u. Schwarz Handb. I. B. *Wiest* tom. IV. Op. M. pag. 251. — Op. M. tom. II. pag. 83. *Bossuet*, élévations — les IX. prem. tom. VIII.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 29. Egregie in hanc rem disserit Illustriss. *Bossuetius*, traité de la connaissance de Dieu, et de soi même, chap. VI. §. V.: «Parmi les vérités éternelles, que je connais, une des plus certaines est celle-ci, qu'il y a quelque chose au monde, qui existe d'elle même, par conséquent qui est éternelle et immuable. *Qu'il y ait un seul moment où rien ne soit, éternellement rien ne sera.* Ainsi le néant sera a jamais toute vérité, et rien ne sera vrai que le néant; chose absurde et contradictoire.»

---

a) Epist. 138. ad Marcellin.

Et §. VI.: «Il n'y a rien de plus existant, ni de plus vivant, que lui. Il ne peut pas qu'il ne soit, lui qui possède la plénitude de l'être, ou plutôt, qui est l'Etre même, selon ce qu'il dit, parlant à Moïse: «*Je suis celui, qui suis, celui, qui est, m'envoie à vous.*» En la présence d'un être si grand, et si parfait, l'âme se trouve elle-même un pur néant, et ne voit rien en elle qui mérite d'être estimé, si ce n'est qu'elle est capable de connaître et d'aimer Dieu....» Edition de Lebel, tom. XXXIV.

(2) Pag. 39. Constans antiquorum Philosophorum opinio erat, naturam divinam ab homine mortali intelligi non posse. Huc illud pertinet, quod Cotta ait apud Ciceron. Lib. I. de natura Deorum Nr. 22.: «Rogas me, quid, aut quale sit Deus; auctore utar Simonide, de quo, cum quaesivisset hoc idem tyrannus *Hiero*, deliberandi sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, triduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sed Simonidem arbitror, quia multa venirent in mentem acuta et subtilia, dubitantem, quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem.» Haec aliaque ejus generis testimonia non tantum probant incomprehensibilem Dei naturam; sed summam Philosophorum in iis etiam, quae mens humana aliquo modo intelligere potest, ignorantiam. Nam nihil omnino de Deo cum certitudine asserere, aut docere sine erroris admixtione potuerunt. Incerti haerebant, an mundum Deo, an Deum mundo subjicerent; an unus esset Deus, an multiplex; an corpore vestitus, an ab omni concretione segregatus; an iners, an rerum providus etc. Quanto melius, quanto certius Christiani! qui, quae de Deo sentire oporteat, a Deo ipso didicerunt. *Deum nemo vidit unquam*, ait Joan. I, 18.: *unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hinc de incomprehensibili majestate ea scimus, quae scire nobis prodest; et quamvis non perfectam, rectam tamen et sinceram Dei cognitionem ex Revelatione habemus: ita quidem ut melius nunc de Deo sentiat humilis et rudis Christianus, quam celeberrimi olim Gentilium Philosophi.

(3) Pag. 47. Quod Spinozismum attinet, legi etiam possunt, quae Cl. D. *Dobmayer* tum ex suo, tum ex recentiorum, et im-

primis Protestantium auctorum sententiis congessit Tom. V. §. XX. Quae de benigniore Spinozismi interpretatione dicuntur, nimis involuta mihi videntur, et magna subtilitate, magno studio ex aliena mente in systema deducta. Ibidem §. XXI. de recentiori Philosophia quaedam dicuntur, quae ab hac quaestione aliena non sunt. Idem auctor §. LIII. in fine haec addit: «Der Mensch fängt von dem Fetischismus und Magismus an, gehet zum Anthropomorphismus, Emanatismus, Pantheismus und Dualismus über, und endet bei dem moralischen und universellen Spiritualismus» (oder feineren Pantheismus).

LIBER SECUNDUS.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

De Deo ut unus est, nec non de proprietatibus, seu attributis divinis, ut potuimus, brevissime egimus: sequitur, ut primum et maxime reconditum Christianae Religionis mysterium adeamus, ac de Deo trino, quantum illud humanae imbecillitati permissum est, disseramus. Omnia hic Scripturae sacrae et apostolicae traditionis auctoritate discutienda sunt: humana ratione metiri velle, quae nulla ratio creata assequi potest, insignis esset temeritatis argumentum. *Quis disputandi modus,* ait S. *August. a), quaenam tandem vis intelligendi et potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet, quomodo sit Trinitas?* Haec ineffabilis Trinitas, *quae,* ut S. *Fulgentius* ait *b*), *sic excedit omne, quod cogitare, vel sapere possumus; sicut superat omne quod sumus.*

Quo magis autem hoc mysterium ab omni humana intelligentia remotum est; eo major cautio adhibenda est, ut castigata sit et accurata nostra loquendi ratio. *Neque enim,* ut observat S. *August. c*), *alicubi periculosius erratur.* Nulla quippe verba suppetunt, ubi omnia humanam intelligentiam excedunt.

Ex his consequitur 1.° Non esse intempestive cavillandum circa grammaticalem vocum notionem, sed determinatione standum Ecclesiae, quae utique hoc jus habet, ut, cum ad res divinas exprimendas nulla vocabula per se sufficiant, ea seligat, quae caeteris judicat aptiora, eorum-

---

a) Lib. de Trinit. Cap. XVI. *b*) Lib. II. ad Trasimund. *c*) Lib. cit. Cap. III.

que significationem determinet. 2.° Mirum non esse, quod vocabula quaedam, quorum sensus nondum fuerat ab Ecclesia determinatus, ad res omnino diversas significandas adhibita fuerint. Sic ex latinis Patribus quidam docuerunt, tres esse in Deo substantias, ut *Hilarius*. Alii, ut *Tertull.*, *Ambros.*, *August.* unam asserebant, voce tantum, non fide dissentientes: nam hi per substantiam *naturam* intelligebant, ille *subsistentiam*. Sic vox ὑπόστασις in diverso sensu accepta Schismati illi ortum dedit, quod Saeculo IV. Catholicos Antiochiae in duas partes divisit, quarum una *Paulino*, altera *Meletio* adhaerebat. Illa unam, haec trinam hypostasin tuebatur. Illa Sabellianismi accusabatur a Meletianis; haec Arianismi a Paulinianis. Immerito utrumque. Nam Pauliniani hypostasin unum quiddam esse cum natura aut οὐσία existimabant; at Meletiani per hypostasin id intelligebant, quod Latini per personam. *Res prorsus miseranda*, ait *Gregor. Nazian. a); diversae fidei speciem praebuit levis et jejuna de vocum sono altercatio.* 3.° Socinianos inepte antiquos Patres in suas partes appellare, ac si alia quam nos de Sanctissima Trinitate sensissent. Si quae ipsis ante natas haereses exciderunt minus accurate dicta et a quibus nos hodie refugimus; sana ratio postulat, ut ea ex publica Ecclesiae fide et aliis eorundem Patrum testimoniis interpretemur. Nam, ut *Hieronym.* observat *b*), *innocenter quaedam locuti sunt, quae nos propter subsequentium haeresum perfidiam cavere oportet.*

Mysterii SS. Trinitatis summa in eo posita est, ut *unum Deum in Trinitate Personarum et Trinitatem in unitate essentiae agnoscamus; neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.* Ita Symbolum, quod S. *Athanasii* nomine inscribitur. Haec quasi substantiam continent inenarrabilis hujus Mysterii; unde primum a nobis tractanda sunt, non obiter, sed pro rei dignitate uberius et accuratius. Accedunt dein alia nonnulla, quae proprietates quasdam concernunt et affectiones divinarum personarum et sunt veluti modus, quo tres illae personae in

---

a) Orat. XXI. *b*) Apolog. II. advers. Rufin.

una natura existunt. De his quoque pauca dicenda sunt, non ut temerariae curiositati indulgeamus, sed ut nihil eorum praetermittamus, quae fides catholica vel aperte, vel concluse continet. In duas igitur partes hunc librum commode partimur. *Prima* de existentia SS. Trinitatis aget et ostendet tres personas distinctas existere in una Dei natura. *Secunda* proprietates quasdam hujus mysterii examinabit, quatenus nobis ex divina Revelatione innotescunt.

Faxit Deus, ut abhorrentes ab argutiis et vanis subtilitatibus haereticorum ad hoc mysterium accedamus cum ea mentis puritate, cum ea simplicitate fidei, quam Dei auctoritas exigit et rerum divinarum inaccessa Majestas; magna enim et intolerabilis stultitia est, in tanta rerum naturalium ignoratione, res divinas scrutari velle curiosius, ac de ipsa Dei natura judicare impia temeritate. Neque putemus argumentum, quod nunc aggredimur, in mera et otiosa speculatione versari, nihil saluti profutura. De mysterio agimus, quod fidei nostrae praecipuum caput est et totius Christianae Religionis fundamentum. Hoc sublato, jam nulla esset Verbi incarnatio, nulla Christi satisfactio, nulla hominum redemptio, nulla Spiritus S. effusio, nulla gratiarum largitio, nulla Sacramentorum virtus et efficacia: totum rueret salutis opus.

PARS PRIMA.

DE EXISTENTIA SS. TRINITATIS.

Probandum nobis est in hac prima Parte, tres esse in una Deitate personas, vere et realiter distinctas et sibi consubstantiales; in quo, ut diximus, totius mysterii summa continetur. Ut autem in tanta rerum dicendarum copia non omnia confuse et acervatim congerantur, sed ex ordine et dispositione rerum major oriatur claritas, triplici capite agemus: 1.° De Sanctissima Trinitate in genere. 2.° Separatim de Filii et Spiritus S. Divinitate. 3.° De naturae divinae, quae in tribus personis est, perfecta unitate.

CAPUT PRIMUM.

DE SANCTISSIMA TRINITATE GENERATIM.

Argumenta, quae vel ad defensionem hujus dogmatis, vel contra proferuntur, ad quatuor classes referri possunt. Omnia enim vel ex ratione petuntur, vel ex veteri Testamento, vel ex novo, vel demum ex traditione. Haec probe examinanda sunt Theologo, tum ut ea, quae ad stabiliendum dogma Catholicum valent, sedulo colligat; tum ut, quae ab adversariis exinde depromuntur, refellat.

§. I.

An Mysterium Trinitatis naturali ratione probari possit, aut impugnari.

OBSERVANDA.

I. Varii extiterunt variis temporibus Theologi, qui nimium ingenio suo fidentes putarunt mysterii hujus veritatem aut possibilitatem sola ratione positive demonstrari posse. Merito *Abaelardum* eo nomine insimulat S. *Bernardus a)*: *Ut Platonem faciat Christianum*, ait, *se probat ethnicum.* Et ibid.: *Dum paratus est, de omnibus reddere rationem, etiam quae sunt supra rationem praesumit et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere?*

II. Nemo autem in hac demonstrandi methodo majorem celebritatem assecutus est, quam *Raymundus Lullus* Saeculi XIII. scriptor, qui usque ad nostra fere tempora suos admiratores habuit. Is in libro: *De demonstratione aequiparantiae* sibi visus est tam claris et evidentibus rationibus demonstrasse Mysterium Trinitatis, ut gentilem quemlibet convincere valeant, si eas semel animo penetrare voluerit. Quod ejus demonstrandi rationem attinet, quae arte prorsus mirabili omnia ita explicat, ut mirabilia esse desinant, fatemur, satius nobis videri eam nescire, quam refellere. Unum tantum ex ejus argumentis exempli loco afferre

---

a) Epist. 130. ad Innocent. S. P.

liceat. «Demonstratur, ait, Deum esse actum perfectissimum; sed in actu perfectissimo est concordia; ubi vero est concordia, ibi est pluralitas: scilicet est concordia bonificativi, nempe Patris, cum bonificabili, nempe Filio, et actu bonificandi, seu ipso bonificare, nempe Spiritu S.» Conclude: Ergo ratione naturali sole clarius demonstratur, tres esse in Deo personas. Miseros nos, qui in tanta luce nihil videmus!

Qui similia his legere desiderat apud recentiores et mirari, quantum ex novissimis Philosophorum Scholis Religionis nostrae mysteriis lumen exortum fuerit, adeat Theologos, qui difficile hoc opus tentarunt, ut lucem ex tenebris quaererent, et divina dogmata ex irreligiosa Philosophia explanarent. Legat et, si potest, intelligat, et intellecta cum vera Sanctissimae Trinitatis notione conciliet!

III. Verum, quemadmodum illis assentiri non possumus, qui ratione naturali demonstrare volunt, quae omnem nostram intelligendi facultatem excedunt: ita a nobis cum horrore repellimus superbum illud et procax hominum genus, qui Sacramentum blasphemant, quod non intelligunt; et vanis humanae Philosophiae acuminibus secretissimum divinitatis mysterium aggrediuntur. Non ratiocinantur homines isti, sed desipiunt: sophismata congerunt, non argumenta; cavillantur, non probant; fidem subvertunt, et rationem ipsam falsis subtilitatibus et argutiis depravant.

PROPOSITIO I.

Mysterium Trinitatis ratione naturali nec verum nec falsum demonstrari potest.

Probatur I. pars.

I. Prima haec pars multiplici ratione persuadetur, ac primo quidem clarissimis Scripturae ac Patrum testimoniis. Ut quid enim de filio dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit?* Isai. LIII. — Et Matth. XI, 27. *Nemo novit filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi filius et cui voluerit filius revelare.* An Apostolus Religionis Christianae mysteria philosophicis rationibus persuasit Corinthiis, aliisque Graeciae et Asiae populis, in disciplinis phi-

losophicis versatissimis? At ipse palam testatur I Corinth. I, 13. se loqui *non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus . . . . Loquitur Dei sapientiam in mysterio,* ait ibid. v. 7. etc., *quae abscondita est. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et II ad Corinth. X.: *Arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Dei . . . in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.* Audiamus ex Patribus paucos tantum, omnes enim in hanc rem mire conspirant. S. Athanas. Epist. ad Serapionem ita Arianos alloquitur: *O stulti, atque ad omnia audaces et praecipites! Quare non potius S. Trinitatem curiose scrutari desinitis? eamque esse duntaxat creditis? . . . Non relictus est,* ait S. Hilar. de Trin. Lib. VII., *hominum eloquiis de Dei rebus alius quam Dei sermo; omnia reliqua et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura . . .* et Lib. X.: *In simplicitate fides est.* S. *Aug.* Lib. de Symbolo ad Catechum. Cap. IX. de Trinitate loquens ait: *Caeterum illud, quod est ineffabile, incomprehensibile est, neque verbis angelicis explicari potest, quanto magis humanis?* Denique S. *Bernard.* Lib. V. de considerat . . . . *Sacramentum hoc magnum est et quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est; credere pietas, nosse via et vita aeterna.*

II. Jam si rationem ipsam consulimus, si sana sit et sobria, id solum docere nos poterit, se in tanta caligine nihil videre; neque datum sibi esse, ut imbecillem aciem figat in ipsa incomprehensibili Dei natura. Et vero siquid de Deo cognoscimus, id colligimus ex creaturis: res autem creatae a Deo non pendent, ut trinus, sed ut unus est: pendent enim a Deo ut operante per intellectum, voluntatem et omnipotentiam, quae tribus Personis communes sunt.

Probatur I. et II. pars.

Argumento Generali.

Ut aliquid ratione naturali verum aut falsum demonstrari possit, requiritur, ut mens de idearum convenientia

aut oppositione pronuntiare possit ex argumentis intrinsecis, ex rei visceribus desumptis: atqui ejusmodi argumenta afferri nulla possunt, vel ad probandam, vel ad impugnandam SS. Trinitatem. Ergo etc.

Prob. min. Summa Mysterii Trinitatis hac aut simili propositione exprimitur: Deus unus in natura, est trinus in Personis re et actu distinctis; atqui veritas aut falsitas ejusmodi propositionis ex argumentis intrinsecis probari non potest; siquidem requireretur, ut claram et distinctam notionem haberemus tum naturae, seu essentiae, tum personae, seu subsistentiae, quales in Deo sunt. Sed nemo mortalium hanc notionem habere potest, cum Deus incomprehensibilis sit. Nos naturae et personae notionem ex creatis tantum habemus; ad naturae autem divinae, perfectissimae et infinitae, ad Personarum in Deo cognitionem claram et intuitivam assurgere non possumus. Valet hic, quod jam alibi *a*) ex *Leibnitio* attulimus, fieri non posse, ut absurdum demonstretur in re incomprehensibili; cum nihil magis comprehendatur, quam quod absurdum probatur.

PROPOSITIO II.

Quamvis dogma Trinitatis argumentis ex rei natura petitis demonstrari non possit: probatur tamen argumentis extrinsecis tam certis et evidentibus, ut, si in obsequium redigendus est intellectus, ratio ipsa obsequium jubeat.

Prob. Merito insanus haberetur, qui contenderet, nullum aliud dari certitudinis genus, quam illud quod ex idearum evidentia nascitur: econtra ratio ipsa philosophica in functione sua logica, ut ajunt, illud omne tanquam certum assumendum esse declarat, quod ex una parte probari non potest contradictionem involvere, ex altera autem argumentis extrinsecis innititur, tam certis et evidentibus, ut nullus dubio locus remaneat: atqui utrumque de dogmate SS. Trinitatis dici potest. Ergo etc.

---

a) Vid. Demonst. Christ. de Revel. in genere.

Prob. min. 1.° Nullam contradictionem in mysterio Trinitatis probari posse ex propositione constat. 2.° Illud Mysterium fundamentum esse Religionis Christianae, atque ad Revelationem a Christo factam omnimode pertinere multis argumentis ex genuinis Revelationis principiis probabitur. Atqui totam Christi Revelationem divinae auctoritatis esse in Demonstratione Christ. confectum est.

Cf. quae in eadem Demonstratione Christ. circa fidem mysteriorum in genere et de verae Revelationis indagatione dicta sunt, ubi verba referuntur *Baylii* auctoris Deistis minime suspecti. Hic de eadem, qua nos in hac quaestione utimur, argumentandi ratione loquens addit: *An non, qui ita concludit, fidem suam deducit ex evidentissimo rationis principio?*

DILUUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Objiciunt I. 1.° Praestantissimi quidam gentilium Philosophi sola ratione duce eo pervenerunt, ut in Deo Trinitatem agnoverint. Plato imprimis praeceptis Socratis imbutus cum alibi, tum praecipue in celebri, et a priscis Christianis saepe laudata epistola ad Dionysium secunda tres in natura divina designat, quos reges vocat. Aliis locis clarius mentem explicans ait, a primo rege genitum secundum, mundi conditorem, ex illo tertium, quem animam mundi Platonici dixere. Multa alia veterum Philosophorum testimonia refert illustriss. Abrincensium Episcopus in quaestionibus Alnetanis, lib. II. cap. III. Habetur etiam hoc Mercurii Trismegisti effatum: *Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit amorem.* Et quaedam ex Sibyllinis versibus deprompta. 2.° Multi auctores praestantissimae eruditionis probarunt, apud omnes fere profanas gentes notionem aliquam Trinitatis viguisse (Sieh Stolberg Bd. I. S. 474.). Ergo cognitionem hujus mysterii saltem adumbratam et obscuram rationis ope assequi possumus.

Resp. ad I. Quae ex Trismegisto quidam afferunt, aut ex Sibyllarum versibus, nullius sunt momenti. Haec omnia suppositia esse, et post Christum conficta, jam inter eruditos convenit. Vid. *Petav.* Lib. I. de Trinitate. Quod Platonem attinet et Platonicos, non possumus in hoc doctiss. *Huetio* suffragari,

cum vel Trinitatem in eorum scriptis videt, vel quae nostris similia dixerunt, putat sola ratione assecutos. Nimium obscura sunt, quae ex Platone citantur, ejusque Trias probabilius nihil aliud est, quam Deus, quem *Patrem* vocat, et mundus, qui opus Patris aut *filius* dicitur, et anima mundi *a*).

Resp. ad II. Libenter concedimus adumbrationem quandam hujus mysterii extitisse inter profanas gentes; at probari nunquam poterit eam ex naturali ratione fluxisse. Dicendum potius cum plerisque Patribus, hanc utut obscuram cognitionem ad omnes gentes ex antiqua generis humani traditione dimanasse. Haec quoque Cl. Comitis a *Stolberg* sententia est; ut ex ipso titulo patet illius appendicis, quam citavimus.

Quod gentium illarum Sapientes attinet, quorum praeclara quaedam dicta laudantur, non improbabilis conjectura est, illos multa ex sacris litteris hausisse, sive dein eas legerent, sive cum doctissimis Judaeorum colloquendo, quid continerent, addiscerent.

Dicunt II. Antiqui Patres, et qui eos secuti sunt Theologi tum Catholici tum Protestantes quam plurimi, cum de Trinitate agerent, argumenta ex rebus creatis mutuati sunt; aut trium Personarum in unitate existentiam ex illa ipsa Dei notione demonstrarunt, quam ratio philosophica ex genuino Dei conceptu eruit. Sufficiat inter recentiores nominare viros inter Catholicos Theologos principes *Stattlerum* et D. *Zimmer*. Hic Scholae Schellingianae principiis innixus putat perfacile esse explicatu, quomodo tres personae in una eademque natura Dei repraesentari possint. Ille Patrum quorundam sententiam assumens, magnum hoc et quam maxime reconditum mysterium explicare nititur ex analogia mentis humanae. In Deo, ait, necessario est vis completa intuendi se ipsum, tum ipse intuitus sui ipsius, demum amor reflexus sui ipsius, ex vi intuendi et ipso intuitu tanquam uno completo principio procedens. Haec alii paulo aliter explicant. Natura divina, inquiunt, tria necessaria continet; duplicem operationem, nempe, *intelligere* et *velle*, et harum operationum principium; non enim datur operatio sine operante, seu vi operandi. En ergo tria aperte distincta: Principium

---

a) Vid. Bergier Tom. X. pag. 188.

operationis; tum terminus intellectionis, qui est verbum aut filius; et terminus volitionis; qui amor dicitur aut Spiritus S. Porro cum in Deo nihil sit per modum accidentis, nihil adventitium, necesse est utrumque terminum esse quid subsistens, et a suo principio realiter distinctum. Ergo etc.

Resp. I. Hae aliaeque omnes, quae usque huc excogitatae sunt, etiam doctissimorum virorum sententiae hoc unum evidentissime probant, quod in rebus divinis explicandis frustra laboret humana ratio. Ipsa quidem credendi motiva ponderat, fidem persuadet, Deo credendum esse clamat: verum quae in Deo sunt, nemo novit, nisi filius Dei, et cui voluerit filius revelare. Quidquid dicat et antiquior, et nova, et novissima Philosophia; nunquam poterit inventa humanae rationis, aut intuitivas, quas jactat, cognitiones fidei substituere. Nunquam ostendet, quomodo ex illa vi intuendi, et intuitu, et amore reflexo; — quomodo ex intellectu, voluntate, et vi operandi ad extra; — quomodo ex triplici principio absoluti, nempe possibilitatis, realitatis et moralitatis; — quomodo ex producente, producto et utriusque nexu; — aut quacunque alia explicandi ratione tres distinctae personae procedant; vel ut breviter id complectamur, illa Trinitas, quam fides Catholica docet. Quis sola ratione cognoscere potest, in Deo veras esse actiones et productiones, quae terminos habeant inter se, et a suo principio realiter distinctos, adeo ut Deus *cognoscens se ipsum*, sit aliquid distinctum a termino suae cognitionis? (1)

Resp. II. Nolumus tamen asserere, nihil omnino rationi in hac parte licere. Credimus enim SS. Patrum exemplis muniti, aliquam divinae Trinitatis intelligentiam etiam ex naturali ratione quaeri posse; dummodo fidei firmitate prius muniatur animus, et constitutum nobis sit, a certis, et jam demonstratis fidei regulis non discedere: *ne in opinionem noxiae falsitatis temeritas inordinata praecipitet*, ut ait S. *August. a*). Et iterum *b*): *de credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus; in illis auctoritas tenenda est, in his veritas exquirenda.* Stabilita ergo veritate ex principiis fidei, non inutile judicarunt Patres, mysterium inenarrabile utcunque iis explicare, qui jam a fide instructi erant. Hinc similitudines,

a) Lib. I. de Trinit. cap. II. *b*) Lib. IX. ibid. cap. I.

et exempla in creatis quaesierunt; imprimis in anima, quam scimus in similitudinem Dei conditam fuisse, et in qua difficile non est adumbratam quandam Trinitatis imaginem reperire. Unde prona erat conclusio: Si natura creata, imperfecta, quae precariam tantum existentiam habet, cujus actiones adventitiae sunt, mutabiles et transeuntes, vires aliquas habet substantiales, puta, vitam, intellectum et voluntatem, quae in simplici substantia, si non re, tamen virtute distinctae sunt: quis sibi non facile persuadeat, eadem in Deo quoque distincta reperiri, et multo perfectius, utpote in ente perfectissimo, nam in Deo intellectio est actio unica, aeterna, necessaria, infinita, immanens et immutabiliter subsistens: idem de volitione dicendum. Ita in natura una et simplicissima plura cogitari possunt actu distincta; et Deo proprium est, ut res divisibiles unitate, indivisas fecunditate et copia superet. Sed video, ultra quam constitueram, progressam esse responsionem. Vix non nostra ipsi destruimus, cum argumenta ex ratione quaerimus revelato dogmati, quod ex ratione demonstrari non posse probavimus.

Redimus ergo ad ea, quae ab initio dicta sunt, Patres ex rebus creatis exempla potius mutuatos esse, et similitudines, quae Trinitatem quoquo modo explicent, quam rationes, quae cogant aut demonstrent. Rem illustrare voluerunt, et a calumniis defendere, non eam a se comprehendi posse arbitrabantur. Hinc rerum etiam inanimatarum similitudines adducunt, ut fluvii et fontis, solis, in quo substantiam, lumen et calorem distinguunt, item trium lucernarum, quae inter se distinctae lumen idem diffundunt, et ubi una alteri lumen communicat, nullo sui ipsius detrimento. Verum haec omnia ita accipienda sunt, ait S. *Gregorius Nyss.*, ut infinita sit inter ea et Trinitatem distantia. Voyez *Bossuet.* VI. Avertiss. Nr. 43. et suiv.

OBJICIUNT CONTRA II. PARTEM I. PROPOS.

Dogma Trinitatis repugnat primis cognitionis humanae principiis. Ergo etc.

Prob. ant. Prima omnis cognitionis principia haec sunt: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Item: De nulla re possunt contradictoria, et inter se pugnantia affirmari: atqui cum his principiis dogma Trinitatis stare non potest; ideoque

mirum non est, quod ejus assertores contra omnes ratiocinii leges impingant. Neque enim respondere possunt ad haec aut similia argumenta ad strictas logices regulas exacta: Pater est Deus, filius est Deus; ergo Pater est filius. Filius habet omnia, quae habet Pater; atqui Pater habet Paternitatem; ergo filius habet Paternitatem. Et illud: Filius non est Pater, sed Pater est Deus; ergo filius non est Deus — et alia multa. Ergo etc.

Resp I. En quantum adversarii in forma syllogistica vim ponant! Unde ipsis subito haec stricte argumentandi prurigo? Cum armis Catholicorum impetuntur, et vim sentiunt pressae et strictae conclusionis, illico clamitant et miseros disputatores appellant. Quando autem ipsi in re maxime recondita, et rationi impervia putant se argutiis et sophismatibus antiquam fidem labefactare posse; in sua ratione concludendi stricta, ut dicunt, mire gloriantur.

Resp. II. Jam monuimus nos in ea opinione non esse, ut ea, quae contra mysterium hoc opponuntur, putemus ex sola naturali ratione dissolvi posse. Mysteria ad fidem pertinent; fides autem ex revelationis fontibus eruenda est. Hac fide roborati, difficultates, quae occurrunt plurimae, merito contemnimus. — Imo fatemur, quod si vellemus ex creatis, quae aliquo modo nota sunt nobis, ad Deum concludere, multa in Trinitate occurrerent repugnantia. Verum an non hoc ipsum sana ratio persuadet, aliam omnino esse Dei ac creaturarum rationem? Ut potentiam, sic naturam Dei omni intellectu nostro esse majorem? Tres naturas tribus itidem personis communicari necesse est in iis, quae Deus non sunt, et quae ideo, quia creata sunt, perfectionem tantum limitatam habent. Sed non repugnat, ut natura infinita idem praestet, ac plures reipsa distinctae; ut sit simul una et virtute multiplex; vel ut in una substantia tres sint, qui perfectionibus absolutis inter se conveniant, et relativis differant. Atque haec sufficiunt ad ineundam concordiam eorum, quae inter se repugnare videntur. Quis ergo non rideat *Baylium*, qui argumentum ex principio *identitatis* desumptum, tanquam invictum praedicat, cum ne in humanis quidem sine limitatione valeat?

Nunc pauca ad inexpugnabiles syllogismos. Primus similis est huic alteri: Petrus est homo; Paulus est homo; ergo Petrus est

Paulus. At in Trinitate eadem est Patris et Filii divinitas! Optime. Ergo ex praemissis recte concluditur, Patrem et Filium unum esse, eundemque Deum; non eandem personam. In secundo manifestum est, Filium habere omnia, quae habet Pater, praeter esse Patrem. Habet enim perfectiones omnes absolutas, quas habet Pater, quia eandem cum Patre naturam habet. Tertius iterum Personas cum natura confundit. Facile esset ostendere, ipsa adversariorum argumenta in regulas legitimi ratiocinii peccare. Sed taedet diutius in vanis ejusmodi et captiosis argutiis immorari. Id unum Philosophum Christianum decet, ut de Deo ea sentiat, quae majestate ejus digna sunt; ut eum facere posse non dubitet, quae ratio nostra non assequitur, neque illius naturam aut potentiam suae mentis modulo metiatur. *Incredulitas*, ut bene Chrysostomus ait *a*), *exigui et infirmi animi argumentum est, qui nihil magni, nihil excelsi de re summa, seu de natura Dei sentiat: quasi Deus nec facere, nec esse possit, quod mens capere nequit.* Vera sapientia est in rebus altioribus rationi humanae non fidere, credere autem summae rationi, quae omnia scrutatur, etiam profunda Dei. *Cui magis de Deo, quam Deo credam?* ait *Ambrosius.* — Et *Fulgent.* de Trinitate loquens *b*): *Sic excedit omne, quod cogitare possumus, sicut superat omne, quod sumus.*

§. II.

Argumenta veteris Testamenti expenduntur.

OBSERVANDA.

I. Deum in essentia unum esse, praecipuum Judaeorum dogma est, quod omnis vetus Scriptura clamat. Verum negant hodierni Judaei, Personarum Trinitatem in lege fuisse revelatam. Cum Judaeis sentiunt Sociniani; nec mirum, quod viri, qui testimoniis N. T. tam claris et numerosis non commoventur, in V. T. nihil videant. Alia omnino veterum Patrum et maximorum Theologorum sententia est. Hi passim consentiunt, Trinitatis mysterium jam in V. T. revelatum fuisse, ejusque vestigia in multis Scripturae locis inveniri. Porro, quae in verbis Scripturae

a) Hom. VIII. in Epist. ad Rom. *b*) Lib. II. ad Trasim.

ex prudenti oeconomia involute saepe et obscure continentur, ea, dicunt, clariora facta fuisse per Traditionem, inter viros justos et religiosos sedulo conservatam. Non video quid movere nos debeat, ut tantam deseramus auctoritatem, atque tanquam inutile, aut nullius momenti habeamus argumentum, quod praeclarissima ingenia tum primorum, tum sequentium saeculorum minime negligendum putarunt. An gloriam quaeremus modernae eruditionis? Sed quaenam est haec tam excellens sapientia, sapere velle, plus quam oportet sapere, neque videre, quae alii quamplurimi viderunt doctissimi et perspicacissimi Theologi? Hi sanctorum Patrum lectioni, et Scripturarum meditationi innutriti omnem diligentiam in eo posuerunt, ut Christianorum dogmatum vestigia in veteri lege prosequerentur cum magno Religionis et pietatis sensu. An nos Protestantium libris toto die incubantes melius aliquid inveniemus? An satius arbitramur sacrae eruditionis speciem sectari, quam rem, et dum noviora dicimus, reipsa deteriora sequi?

II. Patres, et qui eos secuti sunt Theologi, Judaeos, qui ante Messiae tempora vixerunt, in tres classes distinguunt. 1.ª Prophetas continet, et Justos antiquae legis. 2.ª Vulgus Judaeorum complectitur. 3.ª Legis peritos. Omnes fatentur vulgus Judaeorum valde confusam, aut forsan nullam Trinitatis cognitionem habuisse. Non ita Patriarchae, Prophetae aliique pietate insignes viri, quibus Patres passim clariorem hujus mysterii notitiam attribuunt. Vid. *Tournel.* de Trinit. pag. 26. Inter alios S. *Epiphanius* lib. I. advers. haereses haeresi V. ait: *Una Trinitas semper in illa singulari divinitate nuntiata creditaque ab illis est, qui caeteris antecelluerunt, cujusmodi Prophetae, atque eximia sanctitate praediti viri fuerunt.* Idem non obscure ex Evang. colligitur. Matth. XIII. ait Christus: *Multi Prophetae et Justi cupierunt videre, quae vos videtis;* et Joan. XIII, 56.: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Jam tertia classis, quae legisperitos complectitur, medium aliquod tenuisse videtur inter vulgus, et Prophetas, ac melius quidem vulgo sensisse, ad sublimiorem autem Prophetarum sanctorumque virorum cognitionem non pervenisse.

III. Quod Scripturae V. T. obscurius de Personarum Trinitate loquantur, id utique sapientissime a Deo fuit institutum.

Patres hujus oeconomiae plures afferunt rationes. 1.ª Est, ut hujus mysterii aperta declaratio reservaretur filio, per quem et nosse Patrem, et ad Patrem venire debebamus. 2.ª Ut major esset novi Testamenti prae veteri excellentia. 3.ª Ut omne amoveretur idololatriae periculum. *Sapientissimus Deus*, ait *Theodoretus a)*, *nequaquam illis* (Judaeis) *manifeste omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne ex ea multitudinis Deorum occasionem sumerent, ad impietatem Aegyptiorum propendentes.* Inde procul dubio contigit, ut post exilium Babylonicum, cum Judaei jam a falsorum numinum cultu abhorrerent, multa de divinis Personis clarius, uberiusque dicta fuerint in eorum libris tum sacris, tum profanis. 4.ª Est, quam S. *August.* attulit *b)*; quia hominum imbecillitas sensim ac veluti per gradus ad altissimarum rerum cognitionem perducenda erat. Haec ratio non potest non valde arridere saeculo nostro, quod de progressu continuo humanarum cognitionum tam libenter, et qua data porta loquitur. Sed contingit ei hic, quod fere semper, ut cum veris multa falsa et absona permisceat; ita quidem, ut cum absona dicit, nova quidem dicat et sua, quae autem vera habet, omnia jam a Patribus et priorum saeculorum viris dicta reperiantur.

PROPOSITIO.

Mysterium Trinitatis in veteri lege saltem obscure fuisse cognitum, dubitari non potest.

Prob. *Veteris Testamenti auctoritate.* I. *Indicatur pluralitas.* Multi argumentum sumunt ex voce *Elohim,* quae unum est ex Dei nominibus. Observant autem, hoc Dei nomen, quamvis singularem numerum habeat, fere semper in plurali sumi, ita tamen, ut verbum in singulari positum et alia adjuncta ejus significationem ad singularem reducant.

Verum quidquid sit de significatione vocis *Elohim* (discrepant enim optimorum interpretum sententiae), profecto magna vis est in istis formis loquendi Gen. I, 26.: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

---

a) Lib. de curatione graecarum affectionum, Serm. II. *b)* QQ. veteris Test. Cap. 86.

Et v. 27.: *Creavit Elohim hominem ad imaginem suam; ad imaginem Elohim creavit illum.* Simile quid Cap. III, 22. legitur: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quae verba, si plures Personas non indicant, ridicula sunt et hunc sensum referunt penitus ineptum: Ecce Adam quasi unus ex me factus est! His addi debent, quae Gen. XI. leguntur, ubi postquam dictum fuit vers. 5.: Descendit Dominus (Jehova); additur v. 7. *Venite descendamus et confundamus linguam eorum.*

II. Non tantum generatim Personarum multiplicitas designatur; sed determinatur Personarum numerus. Sic Genes. XVIII., ubi v. 1. *Jehova* dicitur apparuisse Abrahae in convalle Mambre, v. 2. statim additur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum.* Quos cum vidisset, adoravit in terram et dixit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis etc.* In hunc locum ait *Ambros.* Lib. I. de Cain et Abel: *Tres vidit et unum adoravit.* Idem S. *August.* habet Lib. II. de Trinit. Ex Psalmis et Prophetis tot proferri possent testimonia, ut difficile sit ea enumerare. Huc pertinet illud Psalm. XXXII. *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item Psalm. LXV. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Et Trisagion Isai. VI.: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Quem locum Patres pene omnes contra Haereticos proferunt. Et illud ejusdem Prophetae C. XLVIII., ubi Deus redemptor Israël loquens inducitur, qui v. 16. ait: *Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus ejus.*

III. Etsi ea, quae attulimus, testimonia non ita perspicua sint, ut si sola essent, rem conficerent: tamen non sunt cum contemptu repudianda, pertinent enim ad sacram eruditionem; et simul sumpta, atque cum illis conjuncta V. T. locis, in quibus vel de verbo Dei, vel de Spiritu S. tanquam distinctis personis agitur, pondus efficiunt non exiguum probationum. Haec testimonia iterum pene innumera sunt. Quaedam, quae videntur majoris esse momenti, a nobis proferentur, cum de Filii et Spiritus sancti divinitate speciatim agetur.

Probatur ex veteris Synagogae sententia.

Praeter Scripturae veteris testimonia, multa alia sunt, quae persuadent Trinitatem Personarum temporibus Christi et ante Christum non fuisse prorsus incognitam. Christus et Apostoli de divinis personis ita locuti sunt, ut manifestum sit, eos nihil protulisse, quod omnino novum et inauditum fuisset. Jam si ea adduntur, quae ex scriptis Philonis, ex Paraphraste Chaldaeo, ex Cabalistarum sententiis et veterum Rabbinorum libris citantur a viris non magnae tantum, sed accuratae et castigatae eruditionis; non videtur dubio locum manere. Unde merito temeritatis accusantur aut ignorantiae, quamvis se doctiores forsan et acutiores existiment, qui volunt nihil de Trinitate fuisse ante Christum proditum.

ARGUMENTA QUAEDAM CONTRARIA.

Argum. I. Haec verba: *Faciamus hominem* etc., quae Genes. I. leguntur, et illa Cap. XI.: *Venite descendamus* etc., non probant personarum pluralitatem: vel enim Deus Angelos alloquitur; vel ad agendum sese excitat in morem artificis; vel regum et principum more plurali numero loquitur honoris causa. Ergo etc.

Resp. neg. ant. ad I. Absurda est haec explicatio, quamvis apud Judaeos communior: nam 1.° Creatio ubique soli Deo tribuitur. Sic Isai. XLIV, 24.: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* 2.° Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* An homo ad imaginem Angelorum creatus est? Sed et v. 7. expresse dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.*

Ad II. Nugatorium est, quod dicitur; quasi Deo illa excitatione opus esset, aut divinam majestatem deceret ista animi commotio. Hinc S. Basilius observat in Hexaëmeron, amentis esse se ipsum consulere, et invitare ad agendum. *Quis faber*, ait, *inter instrumenta artis solus sedens, nemine ipsi cooperante, dicit ipse sibi: Faciamus gladium?* Deinde locus ille ex Cap. III.: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, an forte est Dei sese ad agendum provocantis?

Ad III. Non minus ineptum est, quod tertio loco adducitur: nam etsi in nostro sermone Principibus familiare sit plurali numero loqui, illud tamen omnino insolitum fuit apud Hebraeos, nec ullum exemplum occurrit personae singularis, quae de se ita loquitur. Sed nec Deus hanc formam adhibuit, quando quam maxime commendanda fuisset ejus majestas; ut cum legem dedit in monte Sinai.

Argum. II. Si ita res se haberet, ut in propositione dicitur: ergo ante Christi Revelationem Mysterium Trinitatis jam fuisset cognitum. Falsum conseq. Ergo etc.

Resp. d. maj. Fuisset cognitum a quibusdam, et quidem obscure et quasi per nebulas, *conc.*, fuisset distincte cognitum, *nego*. Dogma Trinitatis tam remotum est ab omni nostra intelligentia, ut illud ne suspicari quidem mens humana potuisset, nisi fuisset revelatum. Unde certum nobis est, antiquis patribus jam aliquam hujus mysterii factam esse manifestationem, sed nebulis involutam; et talem, ut magis suspicari potuerint aliquid, quam scire, et aliquam quasi praesensionem habere illius veritatis, quae in nova lege distincte revelata est; quod optime explicat *Bellarminus a*). « Notandum est cum Theodoreto, ait, Deum in Testamento veteri noluisse proponere mysterium Trinitatis expresse, quia Judaei incapaces erant et quia recens exierant de Aegypto, ubi colebantur multi Dii et intraturi erant in terram Chanaan, ubi etiam multi habebantur Dii, ne videlicet putarent, sibi etiam tres Deos proponi colendos: voluisse tamen Deum adumbrare hoc mysterium, idque multis modis, ut cum in Testamento novo praedicaretur, non videretur omnino novum et repugnans Testamento veteri. » Porro jam dictum est, a communi populi massa et ab ipsa doctorum turba prope distinguendos esse Patriarchas, Prophetas, aliosque homines justos, qui jam tum spiritu ambulabant et regnum Messiae spirituale exspectabant. De his valet id, quod de se ipso ait Psalmista: *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*, Psalm. I.

Si quaeritur, cur ergo Christianis tanquam praecipuum Religionis dogma proponatur, quod ad fidem minime pertinebat in

---

a) De Christo Lib. II. cap. VI. Argum. 5.

veteri lege? ratio in promptu est. Tunc et alia salutis nostrae mysteria, quae ad supernaturalem dispensationem pertinent, nonnisi obscure praenuntiata fuerant. At cum venit plenitudo temporum, et complenda essent oracula et figurae V. T., et manifestari in carne magnum pietatis sacramentum; cum redemptionis opus omnibus jam innotescere deberet, et spiritus Dei effundi super omnem carnem: tunc certe necesse fuit, ut illud mysterium, quod caeterorum fundamentum est, in clariore luce collocaretur. — Legi in hanc materiam merentur *Grotius* de vera Relig. Lib. V. Cap. XXI. et XXII. — *Huetius* Quaest. Alnet. Lib. II. Cap. III. — *Calmetus* in Commentariis. — Stolberg Bd. I. 5te Beil. und Betrachtungen der heil. Schrift Nro. 20 ꝛc. — Item Critici sacri *Munsterus, Fabius, Drusius*, Critica sacra Tom. I. etc. (2)

§. III.

Argumenta ex novo Testamento deprompta.

PROPOSITIO.

Ex novo Testamento probatur, tres esse in Deo personas realiter distinctas.

Prob. I. Ex iis locis, quae trium personarum in Deo expressam mentionem faciunt. 1.° Textus Matth. XXVIII.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* ... tam clare dogma Catholicum continet, ut vel unus rem totam conficeret: tres personae aperte distinguuntur, cuilibet articulus τοῦ praefigitur, et una ab alia expresse per interjectam particulam *et* discriminatur. Auctoritas quoque et divinitas una et indivisa satis per haec verba indicatur: *in nomine,* prout postea fusius ostendetur. 2.° Expressa trium personarum in una et eadem divina substantia mentio habetur in celebri versu I Joan. V.: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Non ignoramus hunc textum male haberi a Socinianis et modernae exegesis patronis. Verum et illud fatemur, nos eorum nec auctoritate moveri, nec rationibus convinci. Sed de his plura postea.

Prob. II. Ex textibus, in quibus Personae Patris et Spiritus S. conjunguntur cum Christo, quem Personam divinam esse et filium Dei proprie dictum postea probabimus. 1. Testimonium legitur Matth. III. ubi v. 16 et 17. haec habentur: *Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt ei coeli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se: et ecce vox de coelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vide loca parallela Marc. I. Luc. III. Joan. I. 2. Ex sermone Christi post coenam habito desumitur. Joan. XIV, 16. ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Et Cap. XV, 26. *Cum venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In utroque textu clara habetur trium personarum distinctio, ut legenti patet. 3. Ex Apostolorum scriptis eruitur, ubi pluribus in locis trium personarum fit mentio, nulla facta inter illas graduum vel auctoritatis distinctione. Huc pertinet illud II Cor. XIII, 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi et Charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus cum omnibus vobis.* Et I Petri I. v. 2., ubi S. Petrus dispersos per varias provincias Judaeos alloquitur, eosque vocat electos: *secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Addi possunt quae I. ad Cor. XII. leguntur, v. 3. et seq.

Prob. III. Ex innumeris fere N. T. locis, quibus speciatim Filii, aut Spiritus sancti divinitas adstruitur et quae sequenti capite examinabimus. Nam si Filius est Deus, et Spiritus S. Deus, et uterque Persona subsistens, ac Patri consubstantialis; necessaria est consecutio, tres esse in una Deitate Personas realiter distinctas.

OBJECTA DILUUNTUR.

Objic. I. Scripturae N. T. unitatem Dei frequentissime adstruunt; ergo excludunt pluralitatem Personarum.

Resp. neg. conseq. Quando Scripturae Deum unum esse dicunt, aut solum, unitatem naturae intelligunt; Personarum au-

tem pluralitatem, quae in aliis locis tam clare exprimitur, non excludunt. Dei autem unitatem etiam tunc inculcare necesse fuit, tum propter Gentiles, ne plurium Deorum cultum putarent a Christianis probari; tum propter Judaeos, ne crederent personarum distinctione dogma de unitate Dei labefactari. Igitur nihil contra propositionem efficiunt illa Christi verba, Joan. XVII.: *Haec est vita aeterna, ut cognascant te solum Deum verum.... Sic enim appellatur Pater*, ut observat *Athanas. a), non ad exauctorationem illius, qui dicit: Ego sum veritas; sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater.* Neque illud Apostoli 1 Cor. VIII.: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus J. C., per quem omnia.* Sicut enim, cum Jesus Christus unus Dominus dicitur, Pater non excluditur, ita nec excluditur Filius, cum Pater unus Deus appellatur.

Objic. II. Illa verba Christi: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, hoc unum significant, Baptisma a Filio institutum esse, nosque, cum illud recipimus, Ecclesiae Christi aggregari, atque in ea participes fieri gratiae divinae, quae per Spiritum sanctum exprimitur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ita in nomine Filii et Spiritus S. baptizamur, sicut in nomine Patris. Et cum in singulari numero dicatur, *in nomine*, neque haec verba repetantur; clare ostenditur, eandem esse in tribus personis potentiam, auctoritatem et naturam. Si Christus Deus non esset, non potuisset absque summa impietate praecipere, ut ritus ejusmodi solemnis, quo populi sacris Christianis initiandi essent, suo aeque ac Patris nomine perficeretur. Quod autem de Spiritu S. additur, plane absonum est. Nam Filium tanquam veram et distinctam Personam agnoscunt Sociniani; quis autem credat, Christum in eadem formula cum duabus Personis abstractum aliquid conjunxisse? Sensus enim esset: Baptizate eos in nomine Patris et Filii et in nomine gratiae Dei. Cf. locum parallelum Actor. XIX. Manifestum est, ibi agi de Persona Spiritus sancti: *Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus* . . . v. 2. — Respondet autem Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* id est: An ergo non in nomine Spiritus S. baptizati estis?

---

a) Orat. IV. cont. Arianos.

Inst. 1.° I ad Corinth. X, 2. dicitur: *Omnes in Mose baptizati sunt.* Nemo tamen ex eo concludit, Mosen Deum esse. Ergo etc.

2.° Cum Marci I, 8. dicitur: *Ille baptizabit vos Spiritu S...*, non potest persona aliqua intelligi; quia nemo persona divina abluitur. Ergo etc.

Resp. ad I. Nemo quidem ex verbis Apostoli ad Cor. concludet, Mosen Deum esse; sed optime concludet, Mosen esse Personam. Unde jam vana et absona probatur illa pars Socinianae interpretationis, quae vult, in nomine Spiritus S. baptizari idem esse ac baptizari in nomine gratiae et virtutis divinae. Deinde magnum est, et manifestum inter utrumque textum discrimen. Scriptura dicit, Israëlitas in Mose baptizatos fuisse; quia duce Mose mare transierunt. Sicut autem nubes et mare figura tantum baptismi fuerunt, ita et Moses figuram Christi gessit; ut ibidem dicitur v. 6.: *Haec in figura facta sunt nostri.* — Illud autem imprimis observandum est, non dici, Israëlitas baptizatos fuisse *in nomine Mosis*, sed *in Mose*; quod certe valde diversum est. Nemo potest in nomine alicujus creaturae baptizari, vide I Corinth. I, 13.; quia illi, in cujus nomine baptizamur, obedientiam, fidem, salutem nostram debemus. Hinc Apostol. I. ad Cor. VI, 11. clare docet, Filium et Spiritum S. non minus quam Patrem salutem nostram operari in baptismate: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini J. Ch., in Spiritu Dei nostri.*

Ad II. Nihil impedit, quominus Spiritus Sanctus vera sit et subsistens persona; quamvis illo dicamur baptizari. An non et Christo indui dicimur; quamvis Sociniani Christum personam esse non negent?... In citato textu tropice causa sumitur pro effectu. Verum nemo, qui sensum communem habet, ex ejusmodi locutione ad illum locum concludet, quem nos in probationem attulimus. In hoc enim expresse dicitur, baptisma conferendum esse in nomine et auctoritate Spiritus S. Sed absurdum est baptizare, aut aliud quidquam agere in nomine alicujus doni, aut accidentis.

Objic. III. Nullum est argumentum ex I Joan. Ep. Cap. V. desumtum, nam textum illum spurium esse, et aliena manu Epistolae insertum, jam dudum probarunt viri artis criticae peri-

tissimi. Non reperitur in antiquissimis exemplaribus manuscriptis tum graecis, tum latinis; a SS. Patribus, qui contra Arianos et Macedonianos scripserunt, non adhibetur; quamvis hi nihil omiserint, quod eorum causam juvare potuisset. Ergo etc.

Resp. Argumenta, quae pro aut contra authentiam hujus versus afferuntur, discutere arctiores studii nostri limites non patiuntur. Sufficiant haec pauca.

1.° Si qui Catholici Theologi ideo tantum putant ab hoc argumento abstinendum contra Socinianos, quia illud tot quaestionibus et difficultatibus implicant adversarii, ut finem controversia non inveniat; non utique repugnamus; quia hoc argumento non indigemus in tanta, quae nobis adest, probationum copia. — Idem contra Protestantes pugnantibus non raro contingit, ut loca illa praetermittamus, quae ex libris deprompta sunt, quos illi tanquam sacros non admittunt. Verum aliud omnino est, locum Scripturae contra adversarios fidei non urgere; aliud ad eorum sententiam accedere. Non video, qua ratione Catholicus versus citati authentiam in dubium vocare possit, postquam Conc. Trid. Sess. IV. Anathema dixit illi, qui libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in vulgata editione extant, pro sacris et canonicis non receperit.

2.° Quamvis versus ille in exemplaribus graecis non paucis desideretur, in aliis tamen quam plurimis atque summae auctoritatis codicibus occurrit. Neque desunt antiqui Patres, qui eo loco utuntur. Illum inter alios habet *Cyprianus* lib. de unitate Ecclesiae. Illum continet Professio fidei, quam *Eugenius* Carthaginensis, et cum eo quadringenti fere Episcopi Africae, Sardiniae, Corsicae anno 484 Hunerico Regi Vandalorum Ariano obtulerunt. Legitur in codicibus Ecclesiae graecae; legitur in Vulgata, quae jam ante Concilii Trident. decretum a mille fere annis in Ecclesia latina communi usu recepta fuerat. Imo in antiqua itala eundem versum extitisse ostendit doctiss. *Maffei* praefat. in opera *Cassiodori*, pag. 42 etc. Probat enim citato loco, Cassiodorum, qui apertam versus 7. mentionem habet, non alia versione usum fuisse, quam itala, quae ante Hieronymum in usu erat. Haec argumenta positiva sunt, et sufficere deberent ad diluendas conjecturas, quas intemperantes Critici non veritatis indagandae studio, sed ad eruditionis ostentationem proferunt.

3.° Addi potest, quod ipsa contextus series locum illum exigere videatur: quod totus conformis sit stylo S. Joannis, nec quidquam contineat, quod non in aliis locis ejusdem Evangelistae reperiatur: quod optime explicari possit, cur a Patribus rarius citatus fuerit, aut cur in scriptis codicibus pluribus desideretur. At si S. Joannis non sit textus ille, profecto explicari non potest, quomodo potuerit in tot codices irrepere, et communi Ecclesiae tum Graecae tum Latinae consensu tanquam authenticus recipi: quomodo tam artificiose Capiti intexi potuerit, ut eo sublato confusa fieret oratio, et male cum antecedentibus et consequentibus cohaerens.

4.° Si objicitur, etiam supposita versus illius authentia nihil tamen ex eo ad probandum Trinitatis dogma concludi posse; ex versu 8. manifestum esse, per haec verba: *Hi tres unum sunt*, unitatem tantum testimonii intelligi etc.: respondemus, textum in sensu obvio et naturali id utique probare, quod volumus: magnum esse inter utrumque testimonium discrimen; secundum terrestre esse, ad comprobandam Christi humanitatem, primum autem coeleste vel divinum, ad ostensionem divinitatis: unde et v. 9. dicitur: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Caeterum nihil est tam clarum, quod non detorquere, et conturbare valeant Haeretici argutiis et cavillationibus suis.

Nota. Quae nos obiter tantum attingere potuimus, copiosius tractata reperient Candidati apud *Tournelium* de Trinit. pag. 204. — In Op. Maj. D. *Wiest*. Tom. IV. §. 264. et seq. — Apud *Goldhagen* Tom. III. introduct. pag. 480. — Stolberg Tom. VII. pag. 479. — *Calmet* Dissert. in hunc vers. Tom. ultimo comment. (3)

Objic. IV. *Contra argument. ex Matth.* III. *desumptum.* 1.° Agitur quidem in eo loco de Filio tanquam vera persona, sed Filius ille adoptivus tantum est, non naturalis et consubstantialis Patri. 2.° Spiritus nomine gratia Dei et virtus intelligitur, quae in Christum delapsa est. Ergo etc. Ita Sociniani.

Resp. neg. ant. Ad I. *Anne tibi*, ait S. Hilarius *a*), *in eo, quod dicitur: hic est, non hoc significari videtur, alios quidem*

---

a) Lib. IV. de Trinit.

cognominatos ab eo in filios; sed hic filius meus est. Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi filius est. Et certe plurimi tunc aderant filii adoptivi, imprimis *Joannes;* nulli tamen neque tunc, neque alio tempore dictum est: *Hic est filius meus dilectus,* et quidem cum emphasi . . . ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ut ostendatur, eum esse ipsum dilectum, unice dilectum, seu unigenitum. Caeterum Christum esse filium Dei proprium et consubstantialem cap. seq. ex professo probabimus.

Ad II. Spiritus S. eodem modo in citato textu nominatur, ac Pater, et Filius. Christus ipse vidit, ut textus ait, Spiritum S. descendentem de coelo. Quis unquam de mera Dei virtute dixit, eam descendisse sub visibili specie, et quidem, ut S. Lucas habet: *corporali specie?*

§. IV.

Argumenta ex Traditione petita.

OBSERVANDA.

I. Quod Patres, qui post Nicaenam Synodum scripserunt, fidem trium in Deo personarum tenuerint, et constanter docuerint, res est extra controversiam posita. Quaeritur igitur an Patres trium primorum saeculorum, qui *Antenicaeni* vocantur, quia ante Concilium Nicaenum floruerunt, Personarum distinctionem et aequalitatem, cum unitate essentiae agnoverint. Id negant non Sociniani tantum, sed etiam ex Protestantibus quam plurimi. Inter alios Juriaeus, cum ad illustr. *Bossuetii* argumenta, quibus ille Ecclesiarum Protestantium continuas variationes probaverat, respondere non posset, desperatae causae perfugium in eo quaesivit, quod diceret, nullo non tempore id in Ecclesia contigisse, atque Antenicaenos Patres aliter de Trinitate sensisse, quam postea sensit Ecclesia Catholica. Alii contendunt, fidem Trinitatis ex schola Platonis in Ecclesiam irrepsisse; neque ab ea, quam postea Ariani propugnarunt, fuisse diversam. Ita auctor libri: *Le Platonisme dévoilé; Laurentius Moshemius* in dissert.: *De turbata per Platonicos Ecclesia*, aliique. Sed de his plura, cum ad argumenta adversariorum respondebimus.

II. Antequam hanc tractationis nostrae partem aggrediamur, quaedam de antiquioribus quibusdam Haereticis dicenda sunt, qui

tres in Deo distinctas Personas negarunt: nam de illis, qui speciatim Christi aut Verbi divinitatem impugnarunt, sequenti capite agemus.

Simon Magus Gethis vico Samariae oriundus paulo post Christi mortem docuit, se esse omnem Trinitatem. Vide *Irenaeum* lib. I. adv. Haereses cap. 23. — *August.* lib. de haeresibus cap. I.

Anno 145 *Valentinus*, vir summae fatuitatis et perditae mentis, inter alia errorum figmenta docuit, totam Trinitatem passam esse: Patrem aeternum infinitis retro aevis in altissima quiete aut silentio jacuisse, ac tandem ex illo silentio genuisse Verbum, tanto ab ipso intervallo distans, ut illum ignoraret. Vide *Athanas.* lib. II. contra Apollinar., *Tertull.* adversus Valentinianos.

Montanistas circa dogma Trinitatis idem cum Ecclesia Catholica sensisse testantur *Epiphan.* haeres. 48., et *Theodoretus* lib. III. haeret. fabul. cap. 2. — Quod tamen de iis tantum Montani discipulis dici potest, qui κατὰ *Proclum* dicebantur, quae Secta inter Montanistas praecipua erat et nobilior: qui vero κατὰ *Aeschinem* vocabantur, prave de Trinitate sentiebant. Ad hanc Sectam *Praxeas* pertinebat (anno 196), qui, ut *Tertull.* ait *a*), Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicebat; hunc crucifixum, passumque et mortuum, praeterea se ipsum sedere sibi ad dexteram suam. Vid. eundem Lib. contra Praxeam, et *August.* de Haeresibus cap. 41.

Circa medium tertii Saeculi *Noëtus* quidam prodiit, quem melius Anoëtum diceres, ut S. *Epiph.* (Haer. 57.) ait, id est mentis inopem et stolidum. Is asserebat, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non natura solum, sed etiam Persona unum et singularem Deum esse. Famosissimus hujus Haeresis Patronus fuit *Sabellius* Ptolomaïde in Lybia natus, qui circa Annum 257 haeresin suam sparsit, multosque reliquit discipulos, qui ab ejus nomine *Sabelliani* dicti sunt. De his ait S. *Hieronym.* ad Marcell.: *Nos Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, in sua unumquemque persona ponimus; illi Trinitatem in unius personae angustias cogunt.* Qui hac haeresi infecti erant, alio nomine *Patripassiani* dicti sunt, quia Patrem passum esse dicebant.

---

a) Lib. de Praescript. cap. ult.

PROPOSITIO.

Tres esse in una et indivisibili Divinitate Personas realiter distinctas, ex constanti et perpetua traditione probatur.

Prob. I. *Argumentis generalibus.*

I. Petitur ex forma Baptismi, quae a primo Christianae fidei exordio semper in Ecclesia viguit, juxta mandatum Christi Matth. XXVIII. In hoc autem baptizandi ritu publica continetur et solennis professio fidei in tres personas unius ejusdemque Deitatis. Eum in finem olim trina immersio in usu fuit, ad expressiorem significationem; ut observat *Tertull.* contra Praxeam Cap. XVI.

II. Desumitur ex cultu publico adorationis, qui ubique terrarum tribus Personis impendebatur. Id primo ex testimonio constat antiquissimorum Patrum, *Justini, Irenaei, Athenagorae,* aliorumque. Inter alios *Justinus* Apolog. II, pro Christianis ait: *Patrem et qui ab eo venit Filium et Spiritum sanctum propheticum colimus et adoramus. Secundo* id probatur ex Doxologia: *Gloria Patri et Filio etc.* — ex *Trisagio,* quod a Graecis etiam ἐπινίκιον dicitur, id est, *canticum triumphale;* ex Kyrie ter in honorem cujusque Personae repetito; quae omnia summae in Ecclesia antiquitatis sunt: demum ex usu antiquissimo Ecclesiae, preces publicas offerendi rerum universarum Patri, per nomen Filii et Spiritus sancti; ut *Justinus* in eadem Apologia ait. Vide *Selvaggio* antiquit. Tom. III. pag. 188 etc. — *Bergier* traité hist. et dog. Tom. IX. pag. 12. etc.

Prob. II. *Argumento praescriptionis.*

Si dogma SS. Trinitatis non fuisset ab Apostolis traditum; debuisset successu temporis in Ecclesias irrepere: atqui id nec factum est, nec fieri potuit. Ergo etc.

Prob. min. Notum est, quantum fuerit omni tempore Ecclesiae in conservanda antiqua fide studium; neque unquam factam fuisse discessionem ab Apostolica doctrina, quin statim nata fuerint inter Christianos dissidia, et Ecclesia novorum dogmatum fabricatores e sinu suo ejecerit. Quis igitur sibi persuadeat, in re tanti momenti immutationem fieri potuisse, quin aliquod hujus mutationis vesti-

gium occurreret? Econtra an non Ebioni, Paulo Samosateno, Sabellio, aliisque Haereticis, qui Trinitatem impugnarunt, omnes statim fideles et Ecclesiae Pastores obstiterunt, eorumque errori doctrinam opposuerunt a Christo et Apostolis traditam, atque a Patribus fideliter transmissam?

Prob. III. *Veterum Patrum testimoniis.*

Notandum est, nos ea Patrum testimonia non adducere, quae speciatim vel Filii, vel Spiritus sancti Personam concernunt; haec enim suo loco proferentur. Nunc aliqua tantum ex multis seligimus, in quibus expressa trium Personarum mentio habetur.

Ex Saeculo I. Clemens Roman. Epist. ad Corinth. ait: *An non unum Deum habemus et unum Christum et unum Spiritum gratiae in nos effusum?* S. *Ignatius* Martyr, quem merito inter testes collocamus primi Saeculi, quamvis anno 108 Martyrium subierit. Is in Epistola ad Ephesios haec habet: *Studete, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia, quae facitis, prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et charitate, in Filio et Patre et Spiritu sancto. Subjecti estote Episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem et Apostoli Christo et Patri et Spiritui sancto.*

Ex Saeculo II. S. Polycarpus teste Irenaeo ab Apostolis edoctus et conversatus est cum multis, qui Dominum viderunt. Refert autem *Eusebius a*) ejus orationem, quam martyrio proximus habuit; ubi Patrem aeternum sic compellat: *Te benedico et glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum filium tuum; per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto gloria, nunc et in futura saecula saeculorum. Amen.* S. *Justini* tot sunt in hanc rem testimonia, ut recentiores nonnulli ausi sint asserere, eum primum fuisse, qui Trinitatis mysterium ex Philosophia Platonis in Christianam Religionem invexerit. Locum ex ejus Apologia II. jam citavimus. Addit autem ibidem, Christianos baptizari in nomine *rerum cunctarum parentis et Domini Dei et servatoris Jesu Christi et Spiritus sancti.*

---

a) Lib. IV. hist. Cap. XV.

Athenagoras Justino suppar in Apologia, quam scripsit pro Christianis, tres SS. Trinitatis Personas aperte distinguit. *Quis igitur non miretur*, inquit, *nos, qui Deum Patrem praedicamus et Deum Filium et Spiritum sanctum: ita ut et unionis eorum vim et ordinis distinctionem exponamus, impios et sine Deo homines vocari?* S. *Irenaeus*, Lugdunensis Episcopus et S. Polycarpi discipulus, Lib. I. adv. haereses Ecclesiae fidem ita exponit: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab Apostolis et a Discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute, et in Spiritum sanctum.* Omittimus *Tatiani*, *Theophili Antiocheni* etc. testimonia.

Ex Saeculo III. Clemens Alexandrinus non semel de tribus Personis loquitur. Inter alia haec habet Paedagogi Lib. III. Cap. XII.: *Laudemus unum Patrem et Filium, una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum. Cui gloria nunc et in saecula saeculorum. Amen. Tertull.* Lib. de pudicitia Cap. XXI.: *Est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Eandem doctrinam toto Libro contra Praxeam demonstrat. Cap. II. docet, regulam hanc esse fidei, *ut unum Deum agnoscat, qui sit Pater, Filius et Spiritus sanctus. Unitatem in Trinitate disponit.* Item Cap. XIII.: *Et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et Deus unusquisque.* Multa alia non in *Tertulliani* tantum operibus sed in caeteris omnibus tertii Saeculi et qui secuti sunt, scriptoribus, occurrunt, quae apud eos legi possunt, qui diffusius hanc materiam tractarunt. Sit nobis caeterorum loco S. *Augustin.*, qui veteres omnes complexus ait Lib. I. de Trinitate Cap. IV : *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est... hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus.* Haec eadem fides in triplici Symbolo, Apostolico, Nicaeno-Constantinopolitano, Athanasiano fidelissime exprimitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Argum. I. Ex formula glorificationis non probatur assertio, nam 1.° illa formula primis Ecclesiae saeculis ita enuntiabatur: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* 2.° Creaturae cum Deo in eadem glorificatione conjungi possunt. Exemplum habemus in oratione: *Sacrosanctae* etc., quae post Officium ecclesiasticum recitatur.

Resp. ad I. Utraque formula olim in usu erat, atque idem erat utriusque sensus. Cum dicitur *per Filium*, ad illud respicitur, quod Christus ipse ait (Joan. XIV, 6.): *nemo venit ad Patrem nisi per me.* Per illud autem, quod additur *in Spiritu S.;* Spiritus S. quasi vinculum Patris et Filii designatur. — Vid. *Selvaggio,* antiquitatum Tom. III. pag. 188.

Ad II. Apud veteres tam certum erat, creaturam non posse cum Creatore in eandem gloriae societatem conjungi, ut *Dionysius Alexandr.*, cum postulatus fuisset apud *Dionysium* Rom. Pont., quod tres et natura et Persona diversos induceret, hoc maxime argumento se purgaverit, quod doxologiam praeciperet. — Porro formula precationis in objectione citata recentissima est, nec adest malae interpretationis periculum.

Argum. II. Si dogma Trinitatis olim a Christianis creditum fuisset, id scivissent utique Gentiles, et Christianis objecissent: verum nihil ejusmodi unquam objectum fuisse legimus. — Contra autem Atheismi accusatos fuisse Christianos omnibus notum est.

Resp. I. neg. maj. Nemini quoque ignotum esse potest, veteris Ecclesiae consuetudinem fuisse, Religionis mysteria non Paganis tantum, sed et Catechumenis, aliisque nondum initiatis reticendi. Haec est illa disciplina arcani, quam Patres religiose observarunt, ne divina dogmata profanorum ludibrio exponerentur.

Resp. II. neg. min. Falso a Socinianis supponitur Gentiles nihil ejusmodi objecisse Christianis. Contrarium patet ex Apologia II. *Justini*, ex *Tertull.*, *Origene* Lib. VIII. contra Celsum. Ex Epistola *Plinii* ad Trajan. etc. Sic Celsus Origeni objicit, immerito accusari Gentiles, quod plures Deos colerent, cum et ipsi Christiani plures in Deo admitterent personas. Notatu digna sunt, quae *Lucianus* habet in dialogo, qui *Philopator* inscribitur. .... Inducit ibi Christianum, qui Ethnicum catechizat. Quaerit

Ethnicus: *Per quem jurabo?* Cui Catechista Christianus respondet: *Per Deum alte regnantem.... Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria. Hunc tu existima Deum.*

Itaque haec objectio Socinianorum in ipsorum caput revolvi potest. Quando Ethnici primis Christianis objecerunt, quod tres Deos adorarent: quod hominem ultimo supplicio affectum pro Deo haberent: quid facilius fuisset, si Trinitatem non credidissent, quam respondere, se Filium tantum habere ut excellentiorem creaturam, Spiritum sanctum autem ut Dei virtutem et efficaciam? Sed nihil ejusmodi responderunt: imo palam, et inter crudelissima tormenta unum Deum in tribus personis confessi sunt. Athei autem a Gentilibus dicti sunt, quia a cultu falsorum numinum abhorrebant. Vide, quae ex Athenag. in probat. citata sunt.

Argum. III. Dogma Trinitatis ex Schola Platonis in Religionem Christianam irrepsit: nam Patres antenicaenos Platonicos fuisse dubitari non potest. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Nihil quidem omiserunt Sociniani et Rationalistae, ut huic opinioni speciem aliquam veritatis conciliarent. Jam versus finem Saeculi XVII. *Souverainius* quidam, qui primum in Gallia Calvinianae sectae minister fuerat, et ejectus a suis et in Angliam profugus ad partes Unitariorum accesserat, librum edidit, cui titulum fecit: *le Platonisme dévoilé, ou Essai sur le verbe Platonicien.* Eadem deinde a *Zwickero* in suo *Iraenico Iraenicorum*, a *Joanne Clerico* diversis in locis, a *Moshemio*, et a tota turba Incredulorum repetita fuerunt, et centies recocta. At levissima haec novitatis commenta praeclare et erudite confutarunt Christianae Religionis defensores. Inter alios P. *Joan. Franc. Baltus*, S. J. Sacerdos in Libro: *Défense des SS Pères accusés de Platonisme*, quem contra Souverainium scripsit. *Joan. Lamius*, qui *Clericum* refutavit. D. *Bergier*, Traité etc. Tom. X. pag. 188. — Item Diction. Théolog. Voce *Platonisme*, *Trinité* etc., qui totam hanc materiam in clarissima luce collocavit, et adversantia *Moshemii* ac Rationalistarum argumenta penitus evertit. Nos in gratiam Candidatorum pauca tantum adjicimus ex iis, quae a doctissimis viris fusius et enucleatius disputata sunt.

1.° Non est, cur de Platonismo antiquorum Patrum tantos clamores excitent adversarii, cum vix tres reperire potuerint, qui Platonem cum laude nominent, quamvis ne hoc quidem probet illos Platonicos fuisse. Primus est *Justinus*, qui ex Platonico Christianus factus est. Hic quamvis Platonem magni faciat, ita tamen in Dialogo cum Tryphone loquitur: *Nihil mihi curae est Plato, nihil Pythagoras. Extiterunt his antiquiores homines divini Spiritus afflatu loquentes.* Et in I. Apolog.: *Non ergo nos eadem cum illis opinamur, sed omnes illi nostra per imitationem proferunt.* Vid. *Dobmayer* Tom. V. pag. 255. — Secundus est *Clemens Alexandr.*, qui perinde et alios Philosophos celebrat. Tertius, qui ad Patres antenicaenos non pertinet, est S. *Augustinus*, qui tamen Lib. I. Retractat. ait, dolere se, quod Platonem laudasset. Et Epist. ad Paulin.: *An non Trinitatem ex Scriptura probamus? An dicemus cum quibusdam gentilibus Philosophis, quorum absurda recoquunt hodierni, Christum et Apostolos Platonis discipulos fuisse?*

2.° Si qui inter veteres fuerunt, qui profanae Philosophiae nimis indulgere videbantur, a Patribus reprehensi sunt. *Quid Athenis et Jerosolymis*, ait *Tertull. a)*, *quid Academiae et Ecclesiae?* Idem Haeresum originem Philosophiae studio adscribit: *Haereses a Philosophia subornantur.* — *Origenes* majore prae aliis omnibus studio Gentilium scripta evolvit; at fatentibus ipsis adversariis *Platonicus* non fuit, sed ex eorum numero, quos *Eclecticos* vocant. Caeterum ex Eusebio discimus *b)*, Origenem hujus immoderationis accusatum necesse habuisse pro se apologiam scribere. Ait autem in Epist., cujus fragmentum idem Euseb. refert *c)*, de hac studiorum suorum ratione loquens: *Confluentibus ad me nunc Haereticis, nunc Philosophis, scrutari Haereticorum dogmata, et quaecunque a Philosophis de veritate jactantur, excutere constitui.* Discipulis autem suis suasit, ut *Gregorius Thaumat.*, qui et ipse ejus discipulus fuerat, testatur, ut Philosophorum libris non attenderent; sed ut Deo operam darent et Prophetis.

3.° Quisquis ergo veterum Patrum Scripta diligenter excusserit, id unum legitime concludere poterit, quosdam ex illis, ubi adversus Ethnicos pugnabant, ita de Trinitate disseruisse, ut

---

a) De Praescript. cap. VII. *b)* Hist. lib. VI. cap. XIX. *c)* Loc. citat.

unum quidem Deum, et tres in Divinitate distinctos agnoscerent; sed tamen quaedam pro captu audientium Platonico fere more disputarent, et rerum usitatarum quasdam similitudines adhiberent, quae omni ex parte mysterio non conveniunt. Atque hujus instituti exemplum ex ipso Athanasio desumit *Petavius*. Optime sciebant Patres illi, veram et castigatam Trinitatis doctrinam apud Platonicos non reperiri; sed id tantum contra Gentiles probare voluerunt, quod eorum Philosophi hujus mysterii imaginem quandam, licet subobscuram in libris suis expresserint: quamquam ne hanc quidem imaginem adumbrare potuissent, nisi, uti §. 1. dictum fuit, veteri traditione, aut Hebraeorum libris fuissent edocti.

Argum. IV. Patres, qui tribus primis Ecclesiae saeculis floruerunt, eam de Trinitate fidem non habuerunt, quam Ecclesia Catholica post Nicaenum et Constantinopolitanum Concilium tenuit; idque celeberrimi inter Catholicos Theologi fatentur, *Petavius* et *Huetius*. Ergo etc.

Resp. Infinitus labor esset, si vellemus ad argumenta adversariorum singillatim respondere. Testimonia antiquorum Patrum, quae ipsi tanto studio congerunt, fere omnia de Verbo seu Christo agunt: erit ergo de his quaedam disserendi occasio, quando de Verbi divinitate tractabimus. Nunc pauca haec generatim praemittimus:

1.° Ex traditionis serie, quam nemo sanae mentis detrectare audeat, id cuivis liquere potest, Patres illos eandem de Trinitate fidem habuisse, quam Nicaena Synodus, et postmodum Constantinopolitana aperte profitentur. Non enim nova dogmata tradiderunt Concilia illa, sed constantem omnium Ecclesiarum atque ad eorum usque tempora perductam traditionem solemni decreto firmarunt. — Ad traditionem semper appellarunt Patres; traditionem semper reformidarunt Haeretici. Haec manifesta sunt omnibus; unde si pauci quidam ex veteribus in tam difficili quaestione non satis catholice scripsissent, illud perpetuae traditioni non obesset.

2.° Observat ipse doctiss. *Petavius*, tria esse in hoc mysterio, ut in aliis spectanda; substantiam nimirum dogmatis, quaedam consectaria, et loquendi modum. Patres omnes in substantia mysterii et inter se, et cum Ecclesia Catholica consentiunt:

qui autem minus exacte locuti sunt, ii in minutis tantum aut consectariis quibusdam dogmatis a regula deflectunt: saepe etiam, quae obscurius aut minus exacte alicubi ab ipsis dicta sunt, alibi planius explicantur: saepe quando cum Ethnicis disputabant, obscurius et involute proposuerunt, quae oretenus exponebant iis, qui in fide instituendi erant. — Valet hic imprimis, quod jam in principio hujus tractationis monuimus, veteres multa innocenter locutos ante exortas haereses: nondum enim omnia, quae ad hoc mysterium pertinent, tunc ita fuerant exposita et limata, ut postmodum Ecclesiae judicio explanata sunt; atque optime observat S. *August. a)*: *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum Haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerari diligentius, et intelligi clarius et instantius praedicari.*

Accedit etiam, perpaucas Patrum, qui ante Nicaenam Synodum scripserunt, lucubrationes ad nos pervenisse. Complures nobis nunc ignotos textus citant *Athanasius* et *Basilius*, qui ambo divinitatem Filii et Spiritus sancti ex Traditione confirmant. Quod *Huetium* attinet et *Petavium*, quamvis maximi nominis viri fuerint, eorum tamen auctoritas tanta non est, ut eos etiam errantes sequi operteret. Praeterea *Petavius*, quae durius ab eo dicta fuerant, ipse temperavit ac emollivit in Praefat. tomi II. — Vide illustriss. *Bossuetii* VI. Avertiss. Nr. 100. etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE VERBI ET SPIRITUS SANCTI SPECIATIM.

De divinis Personis in universum egimus: atque tres esse una Dei natura personas, reipsa inter se distinctas argumentis ex Scriptura et traditione ductis ita probavimus, ut jam satis confirmata videri posset ineffabilis mysterii fides. Verum potiora supersunt; nunc enim, ut primum diximus, de Filii et Spiritus Sancti divinitate separatim

---

a) Lib. XVI. de civit. Dei cap. II. N. 1.

agendum. De Patris divinitate nulla movetur quaestio; nam Deum unum, ingenitum, aeternum omnes agnoscunt. Si autem in Deo *Patris* proprietas impugnatur; tota haec controversia ad quaestionem pertinet de filio, cum utique Patrem confiteri necesse sit, si filium credimus ab aeterno genitum, ac Patri consubstantialem.

ARTICULUS I.

De Verbi divinitate.

OBSERVANDA.

I. Primarium hoc Religionis Christianae dogma jam inde ab Apostolorum tempore multos atque infestissimos hostes expertum est. Neque hac nostra aetate deferbuit impius furor, sed auctus potius, crescente in dies malorum hominum numero. Alii aperta fronte Christi divinitatem aggrediuntur, alii veteratorio more et obliquis artibus pugnant. Non est tamen, quod valde miremur, si conjunctas videmus omnes inferorum potestates contra primum hoc et praecipuum fidei nostrae fundamentum; sciunt enim eo sublato, necesse esse, omnem subverti Christianam Religionem; aut certe, praeter vanum Christianismi simulacrum, nihil superfore. De his fidei Christianae hostibus pauca dicenda sunt, sed prius de nostra hanc quaestionem tractandi ratione quaedam praemittenda.

II. Notum est Theologos passim, cum de hoc mysterio agunt, promiscue de Verbi divini ac Christi divinitate tractare; quamquam distincta haec sint, et minime confundenda: primum enim Deum respicit, ut in se est; alterum autem ad Incarnationis mysterium pertinet, quod in plenitudine temporum adimpletum est. Verum quamvis haec methodus a systematico ordine videatur recedere; habet tamen rationes graves, quibus fulcitur, atque has imprimis, quod omnes ii, qui Verbi divinitatem negarunt, Christum a Verbo nequaquam sejunxerint; quod Scriptura quoque et Patres de utroque promiscue loquantur. Cum ergo ab adversariis ipsis concessum sit, Verbi divinitatem non posse negari, si Christi divinitas probetur; utique potest hoc tanquam *postulatum* praemitti aut tanquam concessum assumi, ut ad pro-

bandam Verbi divinitatem, ea afferre liceat testimonia, quae Christum aut Jesum Nazarenum Deum esse demonstrant.

Verum aliam viam nobis ineundam duximus, qua licebit ea, quae de Christo dicta reperimus, ad nostri argumenti probationem usurpare; quin ab eo, quem nobis praefigimus, exactissimo ordine deflectamus. 1.° Igitur testimonia illa proferemus, quae directe de Verbo aut Filio Dei agunt. 2.° Probabimus, in Scripturis N. T. Verbum aut Filium Dei idem esse cum Christo aut Jesu Nazareno. Atque ita 3.° juxta strictas ratiocinii leges testimonia afferre licebit, quae Christum concernunt; cum per propositionem intermediam evidens sit, omnia ea loca, quae Christum ut verum Deum exhibent, Verbi divinitatem probare.

III. Nunc, antequam gravissimae huic tractationi initium faciamus, quaedam de iis dicenda sunt Haereticis, qui Verbi ac Christi divinitatem impugnarunt; imprimis de illa nefaria haeresi, quae ab auctore suo *Ariana* vocata est, et qua nulla unquam fuit in Ecclesia atrocior et pestilentior.

Haeretici, qui ante exortam Arianam haeresin Verbi et Christi divinitatem impugnarunt.

Praeter illos SS. Trinitatis hostes, quos jam nominavimus, qui tribus prioribus saeculis Ecclesiam turbarunt, alii plures surrexerunt contra dogma divinitatis Christi, affirmantes Christum merum fuisse hominem ex Josepho et Maria genitum. Praecipui, qui hujus impietatis a Patribus accusantur, fuerunt *Cerinthus*, *Ebion*, *Carpocrates*, *Theodotus* et *Artemas*, ac demum *Paulus Samosatenus*.

Cerinthus, si Irenaeo, Eusebio, Hieronymo, Epiph. et Theodoreto fides est, ipso Apostolorum aevo vixit. *Hieronym.* lib. de Script. Eccles. testatur *Joannem* Evangelium suum data opera contra Cerinthum scripsisse. *Ebion* eodem saeculo erupit. Hunc saeculo II. secutus est *Carpocrates* alterius sectae, ut Eusebius refert *a*), quae Gnosticorum dicitur, conditor, qua nulla unquam extitit abominandis flagitiis magis inquinata. Eodem saeculo vixit *Theodotus Byzantius*, arte coriarius, qui, cum in persecutione Christum ejurasset, ut factum excusaret, dixit, se non

a) Lib. IV. hist. Cap. VII.

Deo, sed homini tantum injuriam intulisse. *Theodoti* impietatem adoptavit, et quodammodo superavit *Artemas* quidam, ad cujus execrandam haeresin medio Saeculo III. Paulus Samosatenus transgressus est.

Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus creatus est Anno 260; atque, cum antea pauper fuisset, brevi ad incredibilem opulentiam pervenit per scelera et sacrilegia, ut in Epistola dicitur, quam Patres secundi Concilii Antiocheni adversus hunc haereticum congregati scripserunt ad *Dionysium* Romanae urbis Episcopum *a*). Perditissimis moribus nefandam adjunxit haeresin, docens, unicam in Deo personam esse; Christum merum fuisse hominem; in eum tamen, cum in utero Virginis formaretur, descendisse verbum Dei, quod tunc primum hypostasin habere incoepit: et ita Christum factum fuisse Deo consubstantialem. — Duo adversus Paulum in ipsa urbe Antiochena habita sunt Concilia: nam cum in primo injecta spe emendationis, et purae fidei simulatione damnationis sententiam declinasset, in secundo anno 270 ab octoginta Episcopis habito, convictus, depositus, et ab Ecclesia Catholica eliminatus est.

Brevis Arianae haereseos historia.

Quae diximus, ad ea Ecclesiae tempora pertinent, quae ante Constantinum Magnum effluxerant; ubi hoc imprimis notandum est, parum profecisse Haereticos, qui primis illis, et Apostolis proximioribus Saeculis Christi divinitatem impugnarunt. Ita enim coelestem hanc doctrinam alte animo imbiberant Christiani, ut eam etiam inter saevissima persecutorum tormenta profiteri non erubescerent. Vix autem cum principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat; cum longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis generatum fuit. Tunc enim Arii haeresis prorupit, totumque orbem invecto errore turbavit. Hujus nunc impiissimae sectae initia, progressum, et exitum breviter prosequemur, totamque narrationem in quatuor Epochas dividemus, quarum I. ducitur ab haeresis ortu usque ad *Constantini* M. obitum (319—337). II. Tempus illud complectitur, quo *Constantius* imperium tenuit (337—361). III. Usquead *Theo-*

a) Id. Lib. VII. Cap. XXX.

dosium Magnum pertingit, qui summa rerum in Oriente potitus, una cum *Gratiano* Occidentis Imperatore legem tulit contra Arianos (361 — 380). IV. Arianismum exhibet sub barbararum gentium, quae Romanum imperium invaserunt, dominatione recrudescentem.

Epocha I.

Arius in Lybia Cyrenaica natus, ab Achilla Alexandrinae Ecclesiae Antistite Presbyter ordinatus est. Cum esset humanioribus disciplinis, ac Dialectica imprimis instructus, docendi muneri praefectus est. Atque, ut erat ingenio versipelli, externoque corporis habitu ad morum gravitatem compositus, multorum animos ingenii et sanctitatis fama occupavit. Cum autem mortuo Achilla *Alexander* magno omnium consensu in Alexandrinam sedem electus fuisset, Arius livore et ira incensus Pontificis sui doctrinam primum occulte, tum palam et aperte impugnare coepit, docens: Verbum ex nihilo creatum, et natura sua mutabile esse; illud factum esse Deum voluntate Patris, nec natura, sed adoptione Dei filium esse, tamen ad Patris similitudinem conditum. Alexander nihil omisit, ut Arium ad meliorem frugem reduceret, sed frustra. Tandem homo in impietate ob-
321 stinatus in Concilio Alexandriae ex centum fere Episcopis coacto damnatus, et ab Ecclesiae communione depulsus est.

Arius in Palaestinam se contulit, et multos variis artibus in partes suas traxit. Inter eos Episcopi erant non exigui nominis, imprimis *Eusebii* duo, unus *Nicomediae*, alter *Caesareae* in Palaestina Episcopus, qui gratia apud Imperatorem multum valebant. Ut etiam simpliciorum animos subiret homo vaferrimus, *Thaliam* edidit, carmen molle et lascivum, quod praecipua haereseos capita continebat. *Constantinus*, ut erat pacis ecclesiasticae studiosissimus, *Osium* Cordubensem Episcopum magnae auctoritatis et prudentiae virum Alexandriam misit, ut turbas compesceret. Verum cum majus semper incendium fieret, visum est, non aliud huic malo remedium superesse, quam ut Episcopi
325 ex toto terrarum orbe in Synodum cogerentur. Igitur *Nicaeam* Bithyniae urbem convocati sunt.

Congregati Nicaeae trecenti et octodecim Episcopi Arii impietatem damnarunt, ac Filium Patri ὁμοούσιον seu *consubstan-*

tialem edito symbolo statuerunt. Episcopi Arii fautores vix ad viginti numerabantur: quamvis et ii fere omnes, cum viderent Imperatorem Concilii decretum ex animo complexum, exilii et anathematis metu perculsi subscripserint. Sed manebat in pectoribus insitum in Catholicos viros odium, et adversus quos de fide disputare non poterant, eos subornatis accusatoribus et fictis criminibus appetebant. Mox etiam Imperator eorum perfidia depravatur. *Eustathius* Antiochenus Episcopus, qui in Synodo Nicaena adversus Arium decertaverat, coacto Arianorum conventiculo sede sua dejicitur et ab Imperatore exilio mulctatur. Arius ab exilio revocatur, et cum animum Imperatoris ab Eusebiis jam praeoccupatum subdola fidei professione delusisset, Alexandriam redire permittitur. Contra *Athanasius* Alexandriae Episcopus, qui Nicaenae Synodo Diaconus interfuerat, multis Haereticorum artibus et calumniis impetitus et in conciliabulo Tyri coacto depositus Treviros exulatum mittitur. Strenuum fidei Catholicae propugnatorem magno cum honore exceperunt, cum *Constantinus junior*, qui in hac urbe tum Galliarum principe patris sui nomine imperabat, tum S. *Maximinus* Trevirorum Episcopus.

Haec ubi Arianis ex sententia evenissent, in id incubuere, ut Arium, qui Constantinopolim accersitus fuerat, palam et in totius imperii conspectu restituerent. Verum, cum eum Eusebiani in regia urbe ovantes circumducerent, crastina die frustra renitente Alexandro urbis Episcopo, in Ecclesiam admissuri, Arius in locum publicum ad naturae necessaria se subduxit, ibique justo Dei judicio ut Judas percussus, dirupto ventre et effusis visceribus interiit. Anno sequente *Constantinus* moritur, princeps 337
multarum virtutum laude eximius; nunquam non orthodoxae fidei addictus, quamvis dissimulatores haeretici ejus facilitate abusi Catholicos sint acrius insecuti.

Epocha II.

Ariani post Concilii generalis decretum in tres partes aut factiones scissi sunt. Prima est *Anomaeorum*, qui rigidi Ariani dicti sunt; nam filium Patri *ἀνόμοιον* seu in omnibus dissimilem esse dicebant. Praecipui factionis duces erant *Aëtius* et *Eunomius*, a quibus etiam *Aëtiani* vel *Eunomiani* vocati sunt. Secunda factio eorum fuit, qui *Semiariani* dicti sunt. Illi vocem *ὁμοού-*

σιος respuebant et filium Patri ὁμοιούσιον, vel in omnibus similem esse contendebant. Quaestio est non levis inter eruditos, utrum omnes isti Semiariani reipsa infecti fuerint Ariana haeresi. Tertia demum *Acacianorum* factio est, qui ducem secuti *Acacium* Caesareensem Episcopum medium aliquod Arianorum genus effecerunt. Nam Filium neque ὁμοιούσιον dixerunt, neque ἀνόμοιον, seu dissimilem, sed ὁμοιὸν similem, non quidem essentia, sed voluntate, seu ad eum modum, quo effigies suo prototypo similis est. Ipsos Arianos impietate superavit *Photinus* Episcopus Sirmiensis, *Marcelli* Ancyrani discipulus, qui contra Arium docuit, Christum ante Mariam non extitisse, sed verum fuisse et substantiae nostrae hominem. Ob hanc causam in Sirmiensi Synodo e sede sua dejectus est.

Sed filum historiae resumamus. Constantinus, antequam moreretur, imperium inter filios ita divisit, ut *Constantinus* natu maximus Galliis, Britanniae atque Hispaniae imperaret: *Constantio* Oriens, Asia nimirum et Aegyptus parerent: *Constanti* autem, qui natu minimus erat, partes interjectae, Illyricum, Italia et Africa cederent. *Constantinus* et *Constans* Catholicae fidei addicti, ut morientis patris mandata exsequerentur, Episcopos in exilium actos ad sedes suas remiserunt; neque reluctari ausus est Constantius, quippe Persarum bello tunc implicitus. Itaque *Athanasius* Alexandriam rediit, ubi incredibili omnium Catholicorum laetitia exceptus est. Eo reditu irritatiores facti Ariani denuo
341 in ejus perniciem conjurant; et habito Antiochiae Concilio *Gregorium* quemdam Cappadocem ei sufficiunt, qui Alexandriam cum armatis militibus ingressus, urbem et provincias terrore ac caedibus implevit.

Interim res ad *Julium* Romanum Pontificem defertur, qui Athanasium et Eusebianos ad constitutum diem Romae adesse jubet. Cum vero Eusebiani adesse noluissent, Athanasius, qui
342 eos diu exspectaverat, in Concilio quinquaginta Episcoporum in suam sedem restituitur.

345 In Oriente iterum Antiochiae Concilium habitum est ab Eusebianis, in eo *Photinus* damnatus est, quod Sabellii et Pauli
346 Samosateni haeresin docuisset. Paulo post Synodus Mediolani coacta est, ubi artes Arianorum ab Occidentalibus dejectae sunt. Cum autem in dies crescerent dissidia, duorum Imperatorum

consensu (nam *Constantinus* junior prope Aquilejam Anno 340
occisus fuerat) Concilium generale *Sardicam* indictum est et
Athanasii causa jussa est retractari. In hoc Concilio fides Nicaena 347
confirmata, Athanasius in communionem receptus, aliaque multa
egregie constituta sunt. At Eusebiani, cum res illis male ver-
terent, *Philippopolim* sese receperunt, ubi habito conciliabulo,
cui nomen Sardicensis Concilii falso indiderunt, eo temeritatis
progressi sunt, ut non in Athanasium tantum, sed et in Julium
Rom. Pont. excommunicationis sententiam dicerent. Mox vehe-
mentius turbatae res sunt. Athanasius Constantis Imperatoris
ope restitutus, hoc mortuo iniquius vexatur. Omnia nunc *Con-*
stantio parant; ipse Arianis. Alia iterum Concilia, aliae fidei
formulae. Sola opprimitur veritas et inter fidei tantum oppug-
natores de principatu certatur.

Tria brevi intervallo habita sunt *Sirmiensia Concilia* (erat
autem Sirmium praecipua Illyrici civitas). In I. *Photinus* a 351
Semiarianis depositus est. II. Arianam fidei formulam condidit, 357
cui *Osius* venerandus plus quam centum annorum senex, ac in-
victus hucusque fidei defensor diris persecutionibus fractus sub-
scripsisse fertur. III. Iterum Semiarianorum doctrinam novo 358
symbolo expressit. Non erat tum in cudendis symbolis modus,
ac merito Athanasius Arianis hanc levitatem et inconstantiam
exprobrat, qui genuinus est haeresum character; cum Catholici
in eadem fide constantes permaneant.

Nihil non tentavit Haeresis, ut in Occidentem quoque irrue-
ret. Jam anno 353 Constantius devicto Magnentio, prosperis 353
rebus mirum in modum elatus Arelatem venit, et in eo loco
Synodum coëgit, in qua omnia vi et metu acta sunt. *Vincentius*
Capuae Episcopus et Liberii Papae legatus terrore victus sub-
scripsit. Verum Liberius rescissis actis novum Concilium petiit, 355
quod paulo post Mediolani congregatum est. Aderant summi
Pontificis legati, aderat et Constantius. Sed nulla suffragiorum
libertas: contra Catholicos fraude, tumultu, minis et fustibus
pugnatum. Legatus Pontificis verberibus dire caesus; qui Atha-
nasii damnationi subscribere noluerunt, in exilium pulsi. Inter
Arianos jam tum saevitia et veteratoriis artibus eminebant *Ursa-*
cius et *Valens* ambo in Illyrico Episcopi. Tunc et *Liberii* Papae
et *Hilarii* Pictaviensis Episcopi tentata constantia est; uterque

exilio datus. Contra Athanasium nova commovetur tempestas: in sedem Alexandrinam *Georgius* intruditur, homo obscurus, vita sordidus et immanitate barbarus, ad quem Alexandriam confluunt impiissimi quique fidei desertores; *Acacius* Caesareensis, *Aëtius* ex Antiochia pulsus et *Eunomius* ex Cappadocia. Sed *Liberius* multis afflictatus aerumnis tandem in Athanasii damnationem
358 consentit et Sirmiensem formulam subscribit. Quae vero illa fuerit, magna quaestio est. An secunda, quae conceptis verbis Arianam impietatem exprimit? Haec opinio nullo idoneo argumento probatur, multis et gravissimis refutatur. Baronius priorem ab eo subscriptam existimat, quae nihil habet saltem orthodoxae fidei contrarium; idque validis argumentis confirmat vitae S. Athanasii scriptor doctissimus. Et certe, eo tempore Basilius Ancyranus inter Homoiousianos praecipuus, qui in Ancyrana Synodo secundam Sirmiensem formulam damnaverat, Constantii animum regebat; et Sozomenus refert Liberio facultatem Romam redeundi non esse concessam, nisi cum Basilius Ancyranus rerum statum mutasset.

Constantius insigni levitate mox Semiarianis, mox iterum Anomaeis serviens, Concilium oecumenicum cogere constituit. Sed brevi mutata sententia est et Anomaeorum consilio duplex Synodus indicta, una ex Occidentis, altera ex Orientis Episcopis.
359 Igitur quadringenti et amplius Occidentates Episcopi *Ariminum* convenerunt. Ariani non amplius quam octoginta numerabantur, reliqui omnes Nicaenae fidei addicti erant. Hi ergo uno ore decreta Nicaenae Synodi confirmare, Haereticorum perfidiam repellere, Arianorum formulas nullo facto discrimine rejicere, Ursacium et Valentem, et quosdam alios gradu movere. Ariani, cum se condemnatos viderent, tracto ut semper in partes suas Constantio, nunc vi aggrediuntur, quod dolis et simulatione effîcere non poterant. *Tauro* praefecto mandatum, ut Synodum non ante laxaret, quam conscriptae ab Arianis fidei consentire se omnes profiterentur. Itaque nec minis nec vexationibus parcitum; donec Patres partim taedio ac molestia victi, partim subdolis fidei professionibus decepti communionem cum Arianis inirent, et in vocis ὁμοούσιος suppressionem consentirent, rati de caetero fidem in tuto esse. Ita Concilium, cujus laeta fuerant initia, foedo exitu est consummatum.

Nec minus turbarum in Oriente fuit. Centum quinquaginta Episcopi jussu Imperatoris apud Seleuciam Isauriae urbem congregantur. Ea tempestate S. Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens ad Concilium venit, et magno cum favore excipitur. In hoc Concilio primas tenuerunt Semiariani, quorum pars magna Nicaenae fidei adhaerebat. Acaciani hac strage incitati corruptis aulae principibus, quorum plerique ariana haeresi contracti erant, etiam Imperatorem depravant: quare res in majus quotidie exitium ruunt. Nova Constantinopolim Synodus 360
vocatur, in qua omnia Acacii, et Eudoxii auctoritate reguntur.

Interim in Occidente clarior post tot tempestates fides elucet. Liberius, quae Arimini acta fuerant, irritat. Episcopi, qui seducti subscripserant, fraude detecta, excussoque metu fidem Nicaenam publice profitentur, et diversis Conciliis Ariminensem formulam damnant. Causam fidei non parum adjuvit S. Hilarius; hic cum in Oriente adhuc versaretur, fidemque orthodoxam in extremum discrimen adductam cerneret; libello supplici ab Imperatore petiit, ut de fide coram adversariis disceptare sibi liceret. Verum Ariani non ausi cum illo congredi, persuaserunt Imperatori, ut eum redire in Gallias juberet. Quod non sine singulari Dei dispositione factum est; quum constet illius potissimum opera Gallias piaculo haeresis liberatas. — Cum haec agerentur, e vivis sublatus est Constantius anno aetatis 361
suae 45., ad extremum usque Haereticorum astutia delusus.

Epocha III.

Post Constantii Epocham, quae tota fere in agendis Conciliis et cudendis fidei formulis transacta est, alia sequitur non minus exitialis Catholicae fidei. Nova mala, nova pericula in Ecclesiam irruunt. Constantio in imperio successit *Julianus* apostata dictus, Constantini M. ex fratre nepos. Hic, ut Constantii memoriam invisam redderet, et discordias inter Christianos libertatis specie aleret, omnes Episcopos tum Orthodoxos, tum Arianos ab exilio revocavit; atque ita Ecclesiae bonum exiguo tempore etiam praeter animi sententiam promovit. Tum enim ab exilio redierunt *Meletius*, *Eusebius* Vercellensis, *Lucifer* Calaritanus, aliique fidei Catholicae assertores. Athanasius quoque ad suam sedem reversus est; verum idipsum nonnisi post necem Georgii

contigit, quem ipsi Ethnici multis excruciatum tormentis interemerunt. Mox Concilium Alexandriae convocatur, in quo, quae Ecclesiae vulneribus adhibenda essent remedia, diu est deliberatum. Placuit indulgentia utendum cum iis, qui vi et fraude aliorum decepti fuerant, si haeresin ejurare et orthodoxam fidem amplecti vellent. Hanc Concilii Alexandrini oeconomiam praeter caeteros laudat *August.*, et *Hieronym.* adversus Luciferianos ait, eam totius Occidentis consensu fuisse firmatam. *Eusebius* Ver-
362 cellensis huic Concilio interfuit, ejusque decreta probavit. At *Lucifer* Calaritanus longe diversam viam secutus, cum nimiam severitatem praeter totius Ecclesiae judicium affectaret, novi Schismatis auctor fuit. Cum Antiochiae versaretur a Meletii communione se sejunxit et Eustachianis Paulinum Episcopum praefecit.

Julianus cum rerum summa potitus esset, publice ad Paganorum sacra transiit; idque animo constituit, ut lenta et tecta magis, quam aperta persecutione Christianum nomen deleret. Athanasius Paganis non minus, quam Arianis infensus, Alexandria excedere cogitur. Sed fugam simulans, mox iterum in urbem rediit, ibique delituit usque ad obitum Juliani, qui paulo post, cum Persis bellum inferret, occisus est, cum annum aeta-
363 tis trigesimum secundum nondum implevisset.

Jovinianus a ducibus Imperator eligitur. Is orthodoxae fidei addictus, nihil antiquius habuit, quam ut veram Religionem pristino splendori restitueret; sed magno Ecclesiae damno moritur, cum octo tantum menses imperasset. Successorem habuit *Valentinianum*, quem Julianus, quod Christianus esset, gradu moverat. Hic *Valentem* fratrem suum in imperii consortium adscivit, eique Orientem tradidit. Valens, qui fidem Catholicam hucusque professus fuerat, mox ad Arianos defecit. Valentinianus Catholicis favebat quidem; sed in tuenda fide parum animi habuit, neque adduci unquam potuit, ut Auxentium insignem Arianum a Mediolanensi sede depelleret.

Liberius, in gradum suum repositus, susceptam Athanasii damnatione et formulae Sirmiensis subscriptione maculam fidei integritate et constantia abstersit; ac demum, postquam per quatuordecim annos Romanam Ecclesiam rexisset, anno 366 obiit. Successorem habuit *Damasum*, qui Auxentium in Synodo

Romana deposuit. Interim Valens Orientis Episcopos dire persequitur. Athanasius novam tempestatem subit et cum vim sibi parari non ignoraret, ex urbe egressus in paterno sepulchro per quatuor menses delituit. Cum autem nihilominus ferverent animi et plebs non longe esset a seditione, scripsit Valens, ut Ecclesiam suam repeteret; ubi invictus fidei Catholicae propugnator tot tempestatibus per 45 annos jactatus placida morte 373
decessit.

Florebat tum in Oriente S. *Basilius* Caesareae in Cappadocia Episcopus, qui Magni nomen accepit, nec immerito; illud enim egregiis, quae posteris reliquit, ingenii monumentis, tum infracta animi constantia in asserenda fide Catholica promeruit. Hujus Patris ea praeclara vox fertur. Cum *Modesio* praetorii Praefecto, qui ad labefactandam ejus constantiam missus fuerat, cum magna libertate respondisset, hicque tantum animum demiratus dixisset: nemo unquam tam audacter mihi locutus est; reposuit Basilius: *Fortassis nunquam in Episcopum incidisti.* Eodem tempore res Catholicorum non parum confirmarunt *Gregorius* uterque, unus *Nazianzenus*, cognomine Theologus, qui S. Basilio summa necessitudine devinctus erat; alter S. Basilii frater, *Nyssenus* dictus, quia Nyssae in Cappadocia Episcopus erat. Hic a Valente in exilium missus nonnisi eo mortuo ad sedem suam rediit. Sanctum *Ephrem* Edessenae Ecclesiae Diaconum, qui multa Syro sermone scripsit tam praeclara, ut graece versa, etiam in translatione acumen sublimis ingenii ostendant; S. *Cyrillum* Jerosolymitanum, qui primum sub Constantio, dein sub Valente varie vexatus est, vix nominare possumus, ne nimium diffundatur narratio.

Saeviente adhuc in Oriente Valentis persecutione novum Occidentali Ecclesiae sidus affulsit, cum S. *Ambrosius* post Auxen- 374
tii Ariani obitum Ecclesiae Mediolanensi praefectus est. Multa ille fecit et scripsit et tulit pro Catholica fide; neque Arianos tuto loco consistere passus est. Ambrosium sequuntur *Hieronymus*, qui sub Damaso illustrare Ecclesiam coepit; et *Augustinus*, qui vix adhuc Arianismi extrema vidit. Hos quoque, ut brevitate utamur, nominasse sufficiat.

Valens contra Gothos pugnaturus, antequam Antiochia discederet, cessare jussit a persecutione; et poena solvit jam con-

demnatos. Paulo post commisso cum hostibus praelio victus et vulneratus est, cumque in tugurium quoddam delatus esset,
378 immisso ab hostibus igne conflagravit.

Gratianus, qui jam in Occidente patri successerat, nunc
379 etiam Valentis patrui sui imperium colligit; cumque videret magnis turbarum fluctibus agitari Rempublicam, socium imperii sibi adjunxit *Theodosium* insignem belli ducem, eumque in Orientem misit. Sequente anno Imperatores solemni edicto sanxerunt, ut ii soli Catholici haberentur, qui fidem servarent, quam Petrus Apostolus Romanos docuit, quamque teneret Romana Ecclesia; reliqui omnes Haereticorum nomine haberentur, et poenas darent perfidiae. Sic Ariana Haeresis, quae humanis tantum artibus et viribus stetit, cum haec deficerent, brevi iterum extincta est.

Epocha IV.

Ariana Haeresis, antequam ex Imperio Romano pelleretur, jam ad barbaras nationes pervenerat. Ibi latius in dies propagata crevit viribus, nova mox iterum mala Imperio paritura. Sed longius exordium rei repetendum est. Primis statim Ecclesiae saeculis, cum in imperii provinciis dirae persecutiones saevirent, Christianum nomen ad exteras, et inaccessas Romanis regiones perlatum est; imprimis ex Gothorum gente, quam veteres nonnunquam cum Scythis et Sarmatibus confundunt, plurimi jam ante finem saeculi tertii Christianae fidei parebant; et inter Nicaeni Concilii Patres *Theophilus* quidam numeratur, Gothorum Episcopus. Sed quoniam oportet divinam Religionem inter supplicia et persecutiones incrementum capere, non potuit illi Ecclesiae haec quoque gloria deesse: nam ii, qui Christo nomen dederant, a Paganis omnibus modis afflicti sunt; multi e terris suis expulsi, multi etiam diris suppliciis interempti.

Anno 377 *Ulphilas*, Gothorum Episcopus, legatus ad Valentem Imperatorem missus est, et cum Constantinopoli versaretur, ad Arianorum partes accessit, sperans forsan, si eos intercessores haberet, feliciorem fore legationis exitum. Ulphilas apud suos in magna existimatione erat, quo factum est, ut exitiosa lues, quam ipse ex Arianorum consortio contraxerat, per totam gentem diffunderetur, atque sensim alias quoque barbarorum gentes per-

vaserit. Hac itaque contagione infecti erant omnes fere Germaniae populi, qui saeculo quinto, labente Occidentis Imperio, per Romanas provincias effraenatius grassati sunt. Omnia tunc barbarorum incursionibus patebant. *Wandali*, *Suevi*, *Alani* magnam 406
Galliarum partem caedibus cruentant; tum trajectis Pyrenaeis montibus Hispaniam occupant. *Gothi* sub *Alarico* rege primum per Italiam populationem faciunt, exinde in Gallias impressionem facientes omnia rapinis et caedibus pervastant; cumque in Hispania demum sedes ponerent, Wandali novis habitatoribus compressi trajecto mari Africam invadunt sub *Genserico* rege; Hipponem obsidione cingunt, cum jam extremo morbo decumberet S. *Augustinus*, qui imminente gravissima tempestate e vivis sublatus est, ne Religionis ruinam et populi mala videret. 430

Gensericus Arianus paululum confirmata auctoritate in Catholicos saevire coepit atrocissima persecutione. Haec persecutio, ait *Possidius a*), *omni saeviens crudelitate et atrocitate, cuncta quae potuit, exspoliatione, caedibus, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens aetati* .... *Hunericus* patri succedens, primum quidem moderatius agit, post 477
ita patrem aemulatus est, ut crudelitate in Catholicos superasse videretur: Episcopi supra CCXXX. partim in exilium pulsi, partim trucidati sunt. Nec minus in omnis aetatis, sexus et conditionis homines saevitum. Contigit tum, insigni miraculo, ut plures, quibus lingua radicitus excisa fuerat, perfecte, distincteque loquerentur. 484

Ab Hunerici successore *Gundabundo* mitius quidem habiti sunt Catholici; multa tamen a furentibus Arianis gravia passi. At mox atrocior tempestas exorta est sub *Trasemundo* rege. Hic edicto prohibuit, ne Catholici defunctis Episcopis alios sufficerent. Cum autem Catholici contra ac jussum erat, agerent, Rex in furorem actus Episcopos plus quam sexaginta in Sardiniam insulam relegavit. Inter eos S. *Fulgentius* eminuit, qui paulo ante Ruspensi Ecclesiae praefectus fuerat. Trasemundo successit *Hildericus*, «vir, ut *Procopius* ait *b*), subditis affabilis, et totus ad 523
mansuetudinem natus.» Is pacem tandem reddidit Ecclesiae.

---

a) In vita S. Augustini Cap. XXXVIII. *b*) De bello Vandalico. Lib. I.

At mox depulso penitus Arianismo per totam Africam restituta est orthodoxa fides; cum *Belisarius* devicto *Gelimere*, qui Hil-
533 dericum e throno dejecerat, omnes Africae provincias *Justiniani* piissimi Imperatoris imperio subjecit.

In Italia Romanae gentis imperium sub *Augustulo* periit, cum
493 *Odoacer* Herulorum Rex Arianus Roma potitus Italiae regnum instituit. Huic regnum cum vita eripuit *Theodoricus*, qui Ostrogothorum regnum in Italia fundavit. Tota Gothorum gens Arianae impietati serviebat; attamen, si pauca excipias, ab iniquis
552 vexationibus temperatum fuit. *Narses* Gothos omni expulit Italia, ac bello Gothico, quod jam in annos octodecim productum fuerat, finem fecit; Italiamque ad imperium Justiniani adjunxit. Sed mox nova iterum rerum conversio facta est, cum *Longobardi*, qui et ipsi Ariana labe foedati erant, ex Pannonia in Italiam irrumpentes omnia, excepta Roma et Ravenna, armis occuparunt, regnumque condiderunt, quod usque ad Caroli Magni tempora duravit.

In Hispania regnante *Leowigildo* Wisigothorum rege acriter
586 in Catholicos saevitum est; *Hermenegildus* regis filius in vincula conjectus et paulo post ob fidei constantiam patris jussu occisus est. At *Recaredus* mortuo patre fratris pietatem imitatus fidem Catholicam amplectitur et Arianismum ex Hispaniarum regno exterminat.

Haec de Haeresi Ariana paulo fusius dicta sunt, ut ex una noscatur, quae sit haeresum omnium ingenita indoles; quantis fallaciis, quanto simulationis artificio virus diffundant, antequam convaluerint: quam superbe se extollant, quanto odio, quanta crudelitate pugnent, cum vires sufficiunt.

Recentiores Antitrinitarii.

Veterum Haereticorum errores, per multas aetates vix nomine cognitos excitare et propagare aggressi sunt quidam Saeculi XVI. Novatores. Lutherus et Calvinus Trinitatis fidem retinuerant quidem, sed ambo abjecta auctoritate, ad novos, qui postmodum secuti sunt errores et omnem revelatae Religionis subversionem viam pararunt. Mox enim alii exorti sunt, qui eadem innovandi libidine incensi famam sibi novis erorribus quaesierunt; nec quidquam erat, quod nefas haberent, petulantia et omni lege soluta

ingenia. Jam Anno 1531 *Michaël Servetus* Hispanus nefandos errores contra SS. Trinitatem impudenter disseminavit. Viennae Allobrogum in carcerem conjectus est, ob librum editum, *de restituto Christianismo.* Cum inde evasisset, Genevas petiit, ut suos errores tutius spargeret; sed comprehensus, Calvini studio igni damnatus est anno 1553. *Serveto* successit *Valentinus Gentilis,* Italus, qui Genevae in carcerem missus est; postmodum simulata poenitentia libertate donatus in Sabaudium primum, dein in Poloniam confugit. Mox iterum Polonia excedere jussus ad Bernenses venit, ubi ad Senatum ductus cum ab obstinata pervicacia nulla ratione dimmoveri posset, capite plexus est, anno 1566. Sed omnium notissimi inter Antitrinitarios sunt ambo *Socini, Laelius* et *Faustus;* a quibus haec Secta nomen accepit. Cf. quae tom. II. in Synopsi historica habentur pag. 14. Quamvis *Socinianismus* omnium fere haeresum colluvies quaedam sit; potissimum tamen notus est, et omni semper execratione dignus habitus ob negatam Christi divinitatem. Hoc dogmate, quod Religionis caput est, sublato, mirum non est, quod omnia fidei mysteria funditus evertat. Docent Sociniani, Christum hominem tantum esse, ex Maria Virgine de Spiritu S. conceptum, Deum quidem appellari, sed gratia tantum et adoptione, ob excellentem potestatem, quam a Patre suo accepit. Imo non extitisse, antequam ex Maria nasceretur: in quo ab Arianis omnino dissentiunt, qui Christum non hominem tantum, sed et Mentem, et Verbum, et Sapientiam Patris, et quiddam omni alia re creata longe praestantius, ante mundi constitutionem a Patre factum aut genitum agnoscebant. — Inter Socinianismi defensores prae caeteris enituit *Joannes Crellius,* qui argumenta omnia contra SS. Trinitatem sive ex Scripturis sive ex ratione duobus voluminibus collegit; et ad evertendum divinum mysterium adhibuit, quidquid dialectica habet subtile et tortuosum. Hunc refutavit *Petavius,* qui eum *ferreum os* vocat, ejusque argumenta vanam syllogismi larvam, inanemque pompam. — Crederes forsan, auditis Socinianorum blasphemiis, nihil ultra contra Christum Domini proferre potuisse impiorum hominum audaciam. At falleris; nihil enim continere potest modernos perfectibilitatis praecones, qui opus suum ardenti studio prosequuntur, rati se summam perfectionem attingere non posse, nisi in summa impietate. Qui ad Protestan-

tium novam Theologiam attenderit, vix non religiosos dicet veteres Socinianos, qui partum ex Virgine crediderunt, et miracula a Christo Dei virtute patrata, et allatam e coelo Christi doctrinam, aliaque ejusmodi, quae hodiernae Protestantium Scholae explodunt. Horrendum dictu, quam impia, quam nefanda sint, quae nova secta evomit, cui id unum statutum firmiter, conspuere et conculcare, quidquid ex antiqua Christianorum fide superest. Quis non haec conspiciens impietatis molimina, portas inferi cogitat contra omne, quod divinum est, conjuratas? Scilicet, cum per octodecim fere saecula praevalere non potuit infernus contra Ecclesiam a Christo fundatam; hoc iniit consilium, ut operi divino novum Satanicum opus opponeret, quod omnis impietatis et pravitatis esset officina; et ecce! prodiit nova Ecclesia, quam, ut impietati ludibrium adderet, *Evangelico-Christianam* vocavit.

His breviter perstrictis, quae ad Historiam visa sunt pertinere, nunc id nobis faciendum, ut argumentis ex Scriptura et traditione ductis filium Patri consubstantialem, et unius cum eo naturae demonstremus, quaeque contra fidem Catholicam ab Haereticis afferuntur, diluamus.

§. I.

Probatur Filii, seu Verbi divinitas ex Scripturis.

Hoc sacratissimum Religionis Christianae dogma tam multis Scripturae locis et tam aperte traditum est; ut mirum sit extitisse homines, qui cum Christiani dici vellent, id tamen infitiari ausi fuerint. Neque omnia afferre hic possumus, sed ex innumeris optima quaeque et inexpugnabilia seligemus; eaque, ut simul claritati et ordini consulamus, in capita quaedam seu classes distribuemus, eam quam supra (pag. 146.) jam indicavimus methodum sequentes.

CLASSIS I.

Testimonia ex veteri Testamento petita.

Argum. I. Ex Psalmis deducitur, imprimis ex II. et CIX. — In II. v. 7. legitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Persona, quae loquens in-

ducitur, est ipse Dei filius, qui v. 10 et seq. reges terrae hortatur ad Dei timorem et sui adorationem, ne pereant. Verba enim v. 21., quae Vulgata ita vertit: *Apprehendite disciplinam,* viri hebraicae linguae peritissimi ita reddunt: *Adorate Filium.* Legi imprimis meretur Illustriss. *Bossuetii* interpretatio in hunc Psalmum *a*). — Psalmo CIX. primo statim versu ait Psalmista: *Dixit Dominus Domino meo.* Huic autem, quem David Dominum suum vocat, ait Jehova v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Quod aliter, quam de aeterna generatione intelligi non potest, qua Pater Verbum ex substantia sua genuit. Quemadmodum Michaeas quoque prodidit, egressum ejus esse *ab initio, a diebus aeternitatis.* Mich. V, 2. — Vid. iterum *Bossuet.* Tomo cit. tum in notis in hunc Psalm. pag. 420., tum in commentario pag. 619. — His non immerito additur locus Psalm. XLIV. v. 7. et 8. *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Hunc locum a contortis adversariorum interpretationibus egregie vindicat *Bossuetius b*). — Porro omnem controversiam, si qua superesse posset, dirimit Apostolus, qui cap. I. ad Hebraeos haec verba Filio applicat, quem ab aeterno a Patre genitum tum hoc, tum et illo insigni testimonio probat, quod ex Psalm. II. adduximus.

II. Ex libris Sapientalibus desumi potest. Primum occurrit insignis locus Proverb. VIII. v. 22. etc., ubi *Salomon,* postquam Sapientiam ab effectis ejus ac fructibus laudasset, ad originem ejus ascendit, aeternamque generationem; neque enim aliud est haec Sapientia quam *Verbum Dei in excelsis* (Eccl. I, 5.). Sed ipsam audiamus de se loquentem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum .... Ab aeterno ordinata sum .... Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram .... Ante colles ego parturiebar ...* etc.

---

a) Edit. de Lebel tom. I. p. 587. *b*) Tom. cit. pag. 205 et 605.

Notandum est, 1.° quod Sapientiae hoc loco omnes characteres verae personae attribuantur et quidem a prima Persona distinctae: *Dominus possedit me.* 2.° Quod haec Sapientia sit ipse filius Dei: id enim vox *possedit* in Scripturis exprimit. Sic Genes. IV. *Eva* ait: *Possedi hominem per Deum.* Vers. autem 24 et 25., expressis verbis *concepta* dicitur, *partu edita.* 3.° Quod de filio agatur ab aeterno genito: quid enim aliud haec verba indicant: *In initio viarum; antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum?* Totus hic locus mire concordat cum iis, quae Joannis I. de verbo Dei tam magnifice praedicantur. — Porro de hac ineffabili generatione aeterni Filii in eodem Proverb. libro cap. XXX. dicitur: *Quod nomen est ejus et quod nomen Filii ejus si nosti?* Jam autem necesse non est ea adducere, quae Sapientiae VII. et VIII. et Eccles. XXIV. occurrunt Sapientiae encomia; illa enim omnia dicta sunt ad exemplum Salomonis. Paria ibi occurrunt de aeterna verbi origine, de Sapientia creatrice, ejusque incorrupta nativitate. Unum praeterire non possumus ex Eccles. cap. LI., ubi v. 14. legitur: *Invocavi Dominum, Patrem Domini mei.* En Ecclesiasticus, vir tam sanctus et in lege versatissimus, ne quid dicam amplius, Dominum invocat *Patrem* alicujus Filii, quem ipse vocat Dominum suum; respiciens utique ad illa verba Psalm. CIX. *Dixit Dominus Domino meo.* Fusius haec omnia apud optimos interpretes. Vid. imprimis *Bossuetii* adnot. in libr. Salom. tom. II. Operum.

III. Ex omnibus illis locis conficitur, quae Messiae divinitatem attribuunt. Hunc enim si verum Deum esse semel constiterit, Filium Dei aut verbum vocare non repugnant adversarii. Verum testimonia plura in Scripturis V. T. habentur, quae futuri Messiae divinitatem clare indicant. Sic Michaeae V, 2. aperte de Messia agitur, qui dicitur ex Bethlehem oriturus: at de eodem ibid. additur: *Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Isaiae IV. *Parvulus* ille, cujus nativitas praedicitur, vocatur *admirabilis, Deus, Pater futuri saeculi* etc. Idem Propheta Messiam annuntians populo, ait cap. XXV, 9. *Et dicet in die*

illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum. Jerem. XXIII. nomen *Jehova,* quod soli Deo convenit, Messiae tribuitur, v. 5. et 6. *Suscitabo David germen justum .... In diebus illis salvabitur Juda .... Et hoc est nomen, quod vocabunt illum: Dominus justus noster.* In Hebraeo: *Jehova justitia nostra.* — Vid. *Huetium* prop. VII. Nro. 16.

IV. Aliud adhuc argumentum ex cap. III. Exodi eruitur; quod, licet omnium etiam Catholicorum Interpretum consensum non habeat, non est tamen omnino repudiandum. Efficitur autem hoc modo. Versu 2., ubi Vulgata habet: *Apparuit ei* (Mosi) *Dominus,* in Hebraeo legitur: *Angelus Jehovae;* in Graeco: ἄγγελος κυρίου. Idem et Samarit. habet et Chaldaeum, Syriacum et Arabicum. — Jam vero, in eo conveniunt omnes, quod, si Angelus ille Jehovae, ipse quoque Jehova sit, seu verus Deus, non possit esse alius quam filius: sed eum proprie et vere Deum esse ex toto illo capite constat; nam Angelus ille Jehovae dixit Mosi v. 14. *Ego sum, qui sum* etc. Et v. 16. *Dices ad eos: Dominus* (Jehova Elohe) *patrum vestrorum apparuit mihi.* Eundem Angelum Jehovae ea indicare videntur, quae cap. XXVIII. Exod. v. 20 et seqq. leguntur. Non enim vulgaris ille Angelus est, de quo dicitur: *Et est nomen meum in illo.* Siehe Schwarz Handb. I. B. 268.

CLASSIS II.

Testimonia N. T., quae directe Filii aut Verbi divinitatem probant.

I. *Joan.* V. haec Christus ad Judaeos locutus est, v. 22 et seqq.: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et Filius quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et v. 26.: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.*

II. Verbi divinitatem magnifice exprimit S. Joannes cap. I. Evangelii sui: *In principio erat verbum; et verbum erat apud Deum et Deus erat verbum. Hoc erat in principio*

apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et ibid. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Idem hic Apostol. in epist. I. cap. V. cap. 20. ait: *Scimus, quoniam filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna.*

III. Ex Apostolo pauca tantum hoc loco citabimus, quae ab eo de filio Dei in exordio Epist. ad Hebraeos dicta sunt. *Deus novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Huic Filio Apostolus postmodum applicat verba Psalm. II. et XLIV. jam citata; tum et haec ex Psalm. CI, 26. *Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt, tu autem permanebis etc.*

Argum. In his textibus Verbum, vel Filius dicitur expresse Deus, vel Dominus (Jehova); dicitur verus Deus; ipsi attribuitur creatio, omniaque Dei attributa, omnipotentia, immutabilitas, aeternitas; item potestas remittendi peccata, cultus adorationis, aliaque ejusmodi, quae soli Deo propria sunt. (4)

CLASSIS III.

Testimonia N. T. quae Jesu Christi divinitatem probant.

Argum. Jesum Christum in Scripturis N. T. a Verbo aut Filio Dei non distingui, sed unum idemque cum illo esse, res est tam aperta et cum tanta consensione ab omnibus, etiam Antitrinitariis concessa, ut probatione vix indigeat. Et vero; an non Jesus ipse frequenter Filium Dei se vocavit? An non accusatus in Concilio Judaeorum et a principe Sacerdotum interrogatus: Tu es Filius Dei? palam respondit: *Vos dicitis, quia ego sum.* Nonne id centies Apostoli repetunt? *Joan.* I. post praedicatam tam splendide Verbi divinitatem, v. 11. additur: *Et Verbum*

caro factum est et vidimus gloriam ejus ... et v. 15. *Joannes testimonium perhibuit de ipso* ... et alia, quae clare Jesum Christum indicant. Qui ea, quae *Joan.* V. a versu 17. usque ad finem dicuntur, vel obiter tantum perpenderit, intelliget Jesum de se ipso loqui, cum Filii potestatem et excellentiam extollit. Sic et I *Joan.* Cap. I. dicitur: *Quod audivimus et vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.* Ibid. Cap. V. ubi multa de Filio Dei dicuntur, ut omnes sciant quisnam ille Filius Dei esset, vers. 5. praemittitur: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei?* Eadem Apostolus docet pluribus in locis. II Cor. I, 19. *Dei Filius, Jesus Christus.* Ad Galat. IV, 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Et alia multa.

Constat ergo in omnibus Scripturis N. T. Jesum Christum eundem esse cum Verbo et Filio Dei. Ex quo et hoc necessaria consecutione deducitur; quod omnia illa Scripturae loca, quae Jesu Christi divinitatem probant, legitime et pleno jure ad nostrae assertionis probationem adhiberi possint. Unde stricta et accurata est nostra disserendi ratio; ipsique adversarii id fatentur, quod, si probari possit Christum Jesum vere et proprie Deum esse, eo ipso confectum sit, verbum seu Filium personam esse divinam Patri consubstantialem.

Jam, cum vere innumera sint N. T. loca, quae Christi divinitatem probant; ne omnia confuse permisceantur, argumentum ita proponimus: Ille est verus Deus Patri consubstantialis, de quo I. dicitur, quod eandem cum Patre naturam et potestatem habeat; qui II. expressis Verbis Deus, verus Deus, Filius Dei proprius appellatur; cui III. opera et perfectiones soli Deo propriae tribuuntur, cui IV. reddi jubetur cultus et adoratio soli Deo debita; de quo V. in N. T. exponnntur, quae in veteri habentur de unico et vero Deo Israël. Atqui haec omnia ita de Jesu Christo in N. T. dicuntur. Ergo etc.

Probatur minor per partes.

Pars I. *Christus Jesus eandem habet cum Patre naturam et potestatem.*

I. Jesus sibi eandem cum Patre naturam et potestatem aperte attribuit, idque pluribus in locis. *Joan.* V, 17. ad Judaeos ait: *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Quae verba Judaei ita intellexerunt, quod Patrem suum diceret Deum. Jam vero, si falsa fuisset haec Judaeorum opinio, certe Christus aut Evangelista admonuissent, ne in tanta re erraremus. At non tantum non contradicunt, sed Christus eam magis confirmat v. 19. *Amen, amen dico vobis ... quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Vid. supra dicta. Huc illa quoque Christi verba pertinent *Joan.* X, 30. *Ego et Pater unum sumus.* Patres passim urgent locum istum contra Arianos, neque aliter intelligi ille potest, quam de naturae et potestatis aequalitate; atque ita verba Christi intellexerunt Judaei. *Intellexerunt,* ait August. eum locum explicans, *quod non intelligunt Ariani: ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: Ego et Pater unum sumus; nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.* Christus autem Judaeos a sua opinione adeo non deterret, ut eandem sententiam magis confirmet; addit enim v. 38.: *Ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.* Similia et in aliis locis occurrunt a Christo ipso prolata. *Joan.* XIV, 9. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem ...* v. 10. et 11. *Non creditis, quia Ego in Patre et Pater in me est?* et Cap. XVI, 15. *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt.* Vid. etiam Matth. XII, 6. 8.

II. Ex Apostolo pauca seligimus ad hanc probationis partem pertinentia. 1.° In Epist. ad Philipp. Cap. II. de Christo ait: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* Forma Dei est ipsa Dei natura, quemadmodum humana natura per ea, quae sequuntur, exprimitur. *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* 2.° Ad Coloss. II, 9. iterum de Christo scribit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ...* id est: In Christo permanenter habitat plena et tota divinitas, non per gratiam tantum et virtutem, sed

vere et substantialiter. Notandum in graeco haberi κατοικεῖ, quod permanentem inhabitationem significat, non παροικεῖ, quod transitoriam exprimit. 3.° Ad Hebraeos I. Christus, seu Filius Dei decitur: *Splendor gloriae et figura substantiae ejus.* Graece: χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, Character ejus subsistentiae vel viva et permanens expressio ejus personae.

Pars. II. *Christus expressis verbis Deus, verus Deus, aut Filius Dei proprius appellatur.*

I. Praecipuum et maxime decretorium testimonium est illud, quod de se ipso Christus edidit, cum in Concilio staret Sacerdotum et Seniorum. Nullum hic effugium permittitur Socinianis. Id unum in illo concilio agebatur, ut causa mortis inveniretur adversus Jesum; cum convenientia testimonia non essent, surgens summus Sacerdos in medium cum auctoritate supremi judicis Jesum interrogavit, adjurans eum per Deum vivum, an ipse esset Christus, Filius Dei benedicti. Jesus autem absque omni verborum ambiguitate, clare et definite respondit: *Ego sum.* Moxque, quae palam et solenni modo confessus fuerat, confirmans addidit: *Et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.* Marc. XIV, 61. 62. — Matth. XXVI, 63. Ex toto loci hujus contextu apparet, non de alio Dei Filio hic quaestionem fuisse, quam de proprio et naturali. Hinc audito Christi testimonio omnes exclamarunt, eum reum esse mortis; hinc illa coram Pilato vociferatio: *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* (*Joan.* XIX, 7.) Et tamen Christus non diluit hanc accusationem, sed eam tanquam veram admisit et in ea confessione mori voluit.

Ad hoc Christi testimonium merito alia quaedam referuntur, quae ipse, cum a Discipulis prolata fuerunt, probavit et probando sua fecit. Quis non proprium Dei Filium cogitet, cum Petrum audit Matth. XVI. in haec verba erumpentem: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* At haec vere dicta fuisse statim declarat Christus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* Ita cum Thomas viso et attrectato

Domino admirans exclamasset: *Dominus meus et Deus meus!* respondit ei Jesus: *Quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt.*

II. *Luc.* I. Angelus ad Zachariam de Joanne ait v. 16.: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum* . . . statimque addit v. 17. *Et ipse praecedet ante illum.* Sed Joannes Christi praecursor fuit; hic est ergo ille Dominus Deus. Confer, quae Zacharias ipse repletus Spiritu sancto prophetavit, ibid. imprimis v. 76. et 78.

III. Ex Apostolo haec sufficiant. 1.º *Actor.* XX, 28. Majores natu Ecclesiae ita alloquitur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Hic Deus, qui Ecclesiam acquisivit sangnine suo, non potest esse alius, quam Christus. 2.º Ad Rom. IX, 5. de Judaeis loquens ait: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* In hoc textu Christus Deus appellatur praefixo articulo emphatico ὁ et quidem Deus benedictus super omnia. *Omnes stabimus ante Tribunal Christi* . . . v. 2. additur: *itaque unusquisque pro se rationem reddet Deo.* Huc et ea referri possunt, quae idem Apost. ad Tit. II. repetitis vicibus ait — v. 10. *Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus* . . . v. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri.* v. 13. *Expectantes adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Pars III. *Christo attribuuntur opera et attributa soli Deo propria.*

I. Opera Dei alia naturalia sunt, alia supernaturalia. Ad opera Dei naturalia imprimis pertinent creatio et conservatio rerum; idque ne Adversarii quidem negant et Scriptura clare eloquitur. Isai. XLIV. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram et nullus mecum.* Opera autem gratiae, quae in Scripturis soli Deo tribuuntur, sunt: *Remissio peccatorum, — Miraculorum effectio, — Redemptio et Sanctificatio, — Gratiae et Gloriae largitio.* — Atqui haec omnia Christus sibi

attribuit; haec omnia a Scriptoribus sacris ipsi attribuuntur. Ergo etc.

1.° *Joan.* V, 17. Christus generatim ait, nulla facta inter opera Dei distinctione: *Pater meus usque modo operatur et ego operor . . .* et v. 19. *Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Quod autem opera supernaturalis ordinis sibi attribuerit, ex Evangelii lectione cuilibet manifestum est. Peccata propria auctoritate dimittit. Matth. IX, 2. ait paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua . . .* et v. 6. *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terris dimittendi peccata; ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Attribuit sibi redemptionem et salutem ipse largitur. Joan. III. *Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ibidem ait se missum a Deo, ut mundus salvetur per ipsum. Et *Joan.* X. *Oves meae sequuntur me et ego vitam aeternam do eis.* Miracula demum efficit non aliena, sed sua potestate. Apostoli invocato ejus nomine miracula patrabant: *In nomine Jesu Christi surge et ambula.* Actor. III, 5. Ipse nunquam alio, quam suo nomine: *volo, mundare.* Matth. VIII, 2. *Puella tibi dico: surge.* Marc. V, 41. etc. Imo resurrectionem, quae omnium miraculorum praecipuum est, expressis verbis sibi attribuit Joan. II, 19. 21. *Solvite templum hoc et tribus diebus excitabo illud. Id autem dicebat de templo corporis sui.* Et Joan. X, 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.*

2.° *Apostoli testimonia.* Quoad opera naturalia. Ad Coloss. I, 15. 16. 17. *Primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia etc. Omnia in ipso et per ipsum creata sunt; et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant.* Ad Hebr. I. *Quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula . . .* v. 3. dicitur: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Quoad opera gratiae. Ad Hebr. I. *Purgationem peccatorum faciens.* I Timoth. II, 5. 6. *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Eph. V, 25.

Christus seipsum tradidit pro ea (Ecclesia), *ut illam sanctificaret.* I Cor. VI. *Sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi . . . etc.*

II. Quaenam praecipua sint Dei attributa, jam vidimus *a*): atqui haec Christo propria esse ubique Scriptura loquitur. Ergo etc.

Prob. min. 1.° Jesum sibi Dei attributa vindicasse manifesta testimonia probant. Asserit se e coelo in has terras descendisse. *Si videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* Joan. VI. Se apud Patrem fuisse antequam mundus esset: *Clarifica me claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Imo aeternum *esse* cum Patre se habere. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Joan. VI, 12. In quae verba ita commentatur S. *August.* Tract. XLIII. in Joan. *Intellige fieret ad humanam naturam; sum vero ad divinam pertinere substantiam. Fieret; quia creatura erat Abraham. Non dixit: Antequam Abraham esset, ego sum; sed antequam Abraham fieret, quia nisi per me, non fieret. Ego sum . . . nam in principio erat Verbum. Antequam Abraham fieret, ego sum. Agnoscite creatorem, discernite creaturam.* Sicut Christus aeternitatem sibi vindicat, ita et omnipotentiam et immensitatem et omniscientiam. Matth. XXVIII. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Joan. III. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelo. Sicut me novit Pater et Ego agnosco Patrem.* Huc quoque referri possunt illa S. Petri ad Christum verba Joan. XXI.: *Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te.* Haec quippe adinstar testimonii a Christo ipso prolati haberi possunt; nam Christus non tantum Petri sententiam non correxit; sed ejus fidem et amorem remunerans respondit: *Pasce oves meas.*

2.° Scripturae dein de Jesu Christo ita loquuntur, ut nihil sit divinitati tam proprium, quod Christo non tribuant, nam aeternum dicunt et immensum et omnipotentem et omniscium etc. Sic S. *Joan.* in Apocalyp. Jesum ita de

---

a) Lib. I. de Deo et divinis attributis.

se loquentem inducit: *Ego sum primus et novissimus.* Cap. I, 17. et II, 8. et XXII, 13. *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis.* Item Cap. II, 23. *Et scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes et corda.* Eadem et alia Scripturae loca loquuntur. Lucae VI. *Ipse sciebat cogitationes eorum.* Ad Coloss. II. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Ad Hebraeos I. Filio, seu Jesu Christo illa Psalmi CI. verba applicantur, quae omnipotentiam Dei et immutabilem naturam clare exprimunt: *Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis . . . Mutabuntur; tu autem permanebis . . . Mutabuntur; tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.*

Pars IV. *Christo exhibetur cultus soli Deo debitus.*

Prob. Cultus supremo numini debitus imprimis consistit in adoratione, in fide, spe et charitate, in glorificatione, invocatione etc. — atqui haec omnia Christo deberi ex libris N. T. manifestum est. Ergo etc.

Prob. min. 1.º Christo saepe cultum supremum adorationis impensum fuisse legimus, quin eum unquam repulerit, tanquam sibi indebitum; quod tamen ab Apostolis factum fuisse legitur Act. X, 25. et XIV, 14. — et ab Angelo Apocalyp. XIX, 20. ubi adorationem a S. Joanne sibi delatam recusavit. *Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu Christi. Deum adora.* Porro quidquid ad cultum soli Deo debitum pertinet, ipse sibi attribuit. Vult ut in eum credamus. Joan. XIV, 1. *Creditis in Deum et in me credite.* Joan. XIV, 11. 25. *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Vid. etiam Joan. III, 13. 16. 18. — Vult ut ad eum preces dirigamus auxilium ab eo expectantes: *Siquid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Joan. XIV, 14. Demum sicut Patris sui gloriam quaerit; ita et suam: neque vult a Dei et Patris gloria suam separari. Joan. XI, 4. *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei*

per eam. Et Joan. V. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

2.° Addimus testimonia quaedam discipulorum Jesu huc pertinentia. Actor. VII. S. Stephanus moriens precatur: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Ibid. Cap. IX, 14. Ananias ad Christum, qui illi in visu apparuit, ait: *Domine, audivi a multis de viro hoc* (Paulo) . . . *hic habet potestatem a principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.* Paulus, qui gloriabatur se nihil scire, nisi Jesum et hunc crucifixum; quidquid ad divinum cultum pertinet, huic Domino ac Deo suo attribuit. *Adorationem* Philipp. II, 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.* Ad Hebraeos I. *Cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus . . . Spem et fuduciam.* I. Timoth. I.: *Paulus Apostolus Jesu Christi, secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Christi Jesu, spei nostrae . . . . Charitatem.* I Corinth. XVI, 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum sit anathema.* Et ad Rom. VIII, 35. *Quis nos separabit a charitate Christi?*

Pars V. *Argumenta ex veteris testamenti cum novo conjunctione.*

Plurima ex V. T. loca jam supra attulimus, quae de Filio Dei agunt Patri consubstantiali, aut de Messiae, quem Judaei expectabant, divinitate *a*). Aliud est, quod nunc conficimus, argumentum, ex utriusque Testamenti collatione desumptum: seu ex eo, quod multa V. T. loca, in quibus de supremo Deo, seu Jehova sermo est, in N. T. Christo attribuantur. Non est hic nobis scrupulosius examinandum, an testimonia illa in sensu proprio et litterali Christo conveniant; neque enim hoc ad praesentem quaestionem necessarium est: quidquid enim dicatur, integrum manet nostrum argumentum; nam si ea, quae in V. T. de solo proprio et summo Deo dicta leguntur, in N. T. Christo

a) Supra pag. 150 seq.

Domino applicantur; manifestum est, Christum in novo Testamento tanquam verum et supremum Deum declarari. Rem paucis selectisque testimoniis comprobabimus.

I. Isaias Cap. VI. ait: *Vidi dominum sedentem super solium excelsum etc.* Nemo dubitat ibi de summo Deo agi, cujus majestas tam magnifice describitur. Tamen Joan. Cap. XII. ea de Christo exponit et postquam v. 39. Isaiae verba ex Cap. VI. posuit: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excaecavit oculos eorum etc....* subjungit v. 41. *Haec dicit Isaias, quando vidit gloriam ejus et locutus est de eo.*

II. Isaiae XL. dicitur: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini etc.* Totus hic textus, ut patet, de uno vero Deo intelligendus est. Sed testantur Evangelistae, vocem illam clamantis in deserto, esse Joannem, qui viam Christo paravit. Vid. Matth. III. Marc. I. Luc. I. Joan. I. — Malachiae quoque III. ait Dominus ex ore Prophetae: *Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam.* Sed Christus ipse Matth. XI. ait, Angelum hunc esse Joannem Baptistam, qui praeparavit viam ante faciem Christi. Et Luc. I. Zacharias ait: *Praeibis ante faciem Domini, parare vias ejus.* Quid clarius, ait *Bellarm. a)*? Cui enim Joannes viam paravit nisi Christo?

III. Numer. XXI. *Locutus est,* inquit Moses, *populus contra Dominum. Quam ob rem Dominus immisit in populum ignitos serpentes.* At in N. T. I Cor. X, 9. expresse dicitur: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt.* Vide praeterea Isai. XXXV, 4. collat. cum Matth. XI, 4. — Isai. VIII, 13. 14. coll. cum Lucae II, 34. — Rom. XI, 32. — et I Petri II, 6. — Item Isai. XLV, 24., collat. cum Rom. XIV, 11 etc. — Cf. *Bellarm.* loco citato. *Tournel.* de Trinit. Quaest. VI. etc.

ARGUMENTA CONTRARIA DILUUNTUR.

Argumenta adversariorum ad duo capita revocari possunt. Primo loco ea veniunt, quae ad eludendam et infringendam vim

a) De Christo Lib. I. Cap. IV.

illorum testimoniorum afferuntur, quibus nos ad probandam Christi divinitatem utimur. Haec indirecta vocatur objiciendi ratio. Secundo loco argumenta illa ponuntur, ex Scripturis petita, quibus directe Filii aut Christi divinitas impugnatur.

ARGUMENTA PRIMI ORDINIS.

Objic. I. Illud Christi Joan. VIII.: *Antequam Abraham fieret, Ego sum,* hunc habet sensum: Antequam Abraham fieret pater credentium; ego sum Christus, seu Messias. Scilicet Abraham ibi sumi potest pro patre credentium et vox γένεσθαι melius per praesens intelligitur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Sensus graeci infinitivi determinatur per verba: *Antequam* — et, *Ego sum.* Abraham autem toto illo capite pro persona sumitur, ut ex contextu patet. Quando Judaei Christo responderunt: *Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti etc.*, an non absurda et plane illusoria fuisset haec Christi responsio: Amen dico vobis, antequam Abraham per conversionem gentium pater credentium fiat, ego sum?

Objic. II. Haec Christi verba: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X.), unitatem tantum consensus, seu voluntatis indicant; sicut illa Joan. XVII.: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut et nos.* Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quod verba, quae Joan. XVII, 11. leguntur, unitatem animorum tantum et mutuam Apostolorum charitatem significent, tum ex ipsa rei natura, tum ex contextu clarum est. Contra Christum Joan. VIII. de naturae unitate loqui, manifeste liquet totam sermonis seriem perpendenti. Illa enim verba Christus protulit, ut probaret oves suas in aeternum non esse perituras, neque fieri posse, ut quisquam eas de manu sua raperet.... Rationem affert: *Quia Pater, qui* (eas) *dedit mihi, major omnibus est,* ut in Graeco legitur. Et quia: *Ego et Pater unum sumus.* Idem evincitur, si lectionem Vulgatae admittimus; sensus enim est: Ne miremini, quod dixerim vitam et salutem ovium mearum in potestate mea esse: majora his dedit mihi Pater, imo id, *quod majus omnibus est,* propriam naturam: unde cum nemo possit quidquam rapere de manu Patris mei, neque de mea quis poterit; quia *Ego et Pater unum sumus.*

Instant. Ex ipso orationis contextu Joan. X. clarum est, Christum sibi summam et proprie dictam divinitatem non attribuere, sed tantum insignem aliquam potestatem et dotes quasdam eximias, ob quas improprie Deus diceretur, quo quidem modo etiam magistratus dicuntur Dii. — *Ego dixi, Dii estis.* Psalm. LXXXI. Hunc enim locum Christus ibidem adhibet, cum Judaei eum lapidare vellent, quod se ipsum Deum faceret. Ergo etc.

Resp. Illa Christi responsio adeo non favet Socinianis, ut eos maxime refellat. Nam facile fuisset Christo, Judaeis satisfacere, si is Deus non fuisset; imo omnino debuisset eos a tanto errore revocare plana et definita declaratione. At Christus id tam parum egit, ut eorum sententiam magis confirmarit. Utitur primum argumento a minori ad majus: Quodsi Dii vocantur illi, in quibus auctoritas quaedam elucebat et judicandi potestas; quanto potiori ratione is Deus dicendus est, quem Pater tot miraculis signavit et Filium suum probavit? Tum ad id redit, quod prius dixerat, idque denuo declarat vers. 38.: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et Ego in Patre.*

Objic. III. *Contra Argum. ex Joan. I. desumptum.* 1.° Verba ista: *In principio erat Verbum* mundi initium, seu creationem non designant, sed exordium Evangelii, quando Joannes venit praedicans regnum Dei. 2.° Si Joannes aeternam Verbi originem designare voluisset, non dixisset, *in principio*, sed: *ante principium.* 3.° Quae sequuntur, ita legi debent: *Verbum erat apud Deum, et Deus erat. — Verbum hoc erat in principio apud Deum.*

Resp. Haec aliaque Socinianorum argumenta aperte probant, eos veritatem in Scripturis non quaerere, sed ad id unice esse intentos, ut verba Scripturae ad libidinem torquentes, vim argumentorum aliquo modo elidant.

Ad I. Inauditum est, ut vox *principii*, quoties absolute et simpliciter in Scripturis usurpatur, aliud significet, quam temporis initium, seu exordium rerum.

Ad II. S. Joannes manifeste alludit ad illa verba Genesis: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Ac si diceret: In principio rerum, quando creavit Deus coelum et terram, Verbum

jam erat. Et, cum quaeri posset, ubi ergo tum fuerit Verbum, respondet: *Et Verbum erat apud Deum.* Ne autem hoc Verbum factum crederes et productum a Deo ante mundi constitutionem, statim addit: *Et Deus erat Verbum.* Ergo necesse non erat dicere: *Ante principium;* nam vocum illarum complexus: *In principio erat*, aeternitatem Verbi clare ostendit.

Ad III. Interpunctio a Socinianis primum invecta absurda est et ante illorum tempora inaudita. Quid enim necesse fuit Evangelistae dicere: *Et Deus erat.* An forsan Dei existentiam probandam suscepit?

Objic. IV. *Contra textum Joan. XX.* Illa verba S. Thomae: *Dominus meus et Deus meus*, non diriguntur ad Christum, sed affectum admirantis exprimunt; ac si diceret: O bone Deus, quid video! Ergo etc.

Resp. Misera haec Socinianorum evasio ex ipsa textus inspectione diluitur; nam in graeco non legitur particula ὦ, quae exclamantis et admirantis nota est, sed simpliciter art. ὁ. Caeterum quae praecedunt et sequuntur, sensum illum exigunt, quem nos adstruimus et quem Patres et interpretes communi consensu illis verbis tribuunt. Verba S. Thomae ad eum referenda sunt, quem videbat, quem palpabat, quem alloquebatur: dicitur autem expressis verbis: *Respondit Thomas et dixit ei.*

Objic. V. *Contra locum ex Cap. II. ad Philipp.* Verba Apostoli hunc habent sensum: Cum Christus summam a Deo potentiam acceperit imperandi mari et ventis, aliaque stupenda opera exercendi, atque ita formam aliquam Dei prae se tulerit: hanc tamen cum Deo aequalitatem non retinuit, ac si eam propriis viribus et quasi per rapinam quaesivisset: sed eam ultro deposuit, servilem prorsus conditionem suscipiens, cum se capi, vinciri, caedi, in crucem agi et occidi passus est. Ergo etc.

Resp. Vix ad finem usque sustineri potest tam insulsa Scripturae sacrae contorsio. 1.° Vox μορφή seu *forma* nusquam actionem significat transeuntem, sed semper aliquid constans et permanens. Id praeterea in textu Apostoli suadet verbum ὑπάρχων *existens*, quod aliquid indicat rei permanenter inhaerens, praesertim quando verbo λαβών opponitur, quo Apostolus utitur, cum ait Christum accepisse formam servi. Forma Dei ipsi erat

naturalis et propria; *in ipsa erat existens:* forma servi ipsi erat adventitia, *ipsam accepit.* 2.° Tam forma Dei pro natura divina accipi debet, quam forma servi pro natura humana sumitur: hoc secundum non inficiantur Sociniani; fatentur enim Christum verum hominem fuisse: ergo et primum admittere debent. Porro legenti cuilibet obvia est utriusque membri connexio. Formae Dei opponitur forma servi. In forma Dei Christus dicitur, propter aequalitatem cum Deo: *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* Formam servi habuit propter aequalitatem cum hominibus: *In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.*

Objic. VI. Testimonium, quod ex Cap. XI. ad Rom. eruitur, vim nullam habet; nam, ut *Erasmus* observat, post haec verba: *ex quibus est Christus secundum carnem,* ponendum est punctum, et quae sequuntur referenda sunt ad Deum Patrem. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Erasmi interpretatio levissimis conjecturis innititur, neque valere potest ejus auctoritas contra unanimem Patrum et codicum lectionem, qui laudatum versiculum, qualis nunc extat, omnes exhibent. Certe vel ipse Socinus, licet hujusmodi argutiis maxime delectetur, rei tamen evidentia coactus, lectionem quam Vulgata habet retinuit, et verba: *qui est super omnia Deus benedictus etc.* ad Christum referenda censuit. Quod ibidem notat *Erasmus,* non esse scriptum a Paulo ὅς ὤν, sed ὁ ὤν, nimis frigidum est: nam nemo ignorat, unum articulum saepe poni pro alio. Dein quid impedit, quominus ita legamus: *Ex quibus est Christus secundum carnem, hic est super omnia Deus etc.?* — Vid. *Bellarm.* loco cit.

Objic. VII. In illo textu I Joan. V, 20. *Ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus etc.* haec verba: *Hic est verus Deus,* non referuntur ad Filium Dei, de quo proxime sermo fit, sed ad Deum Patrem, seu summum Deum. Ergo etc.

Resp. En nova Socinianorum contorsio, sicut aliae omnes inepta prorsus et absona. Ridicula esset S. Joannis oratio, si pronomen *hic* Patrem designaret, non Filium; sensus enim esset: *Ut cognoscamus verum Deum ... hic est verus Deus etc.* Multum interesse debuit Christianis, ad quos haec Epistola directa fuit, ut scirent, verum Deum esse verum Deum! Frustra igitur

exemplis nonnullis probare nituntur Sociniani, quod pronomen *hic* non semper ad illum referatur, de quo proxime sermo habebatur: tum enim contextus et significatio verborum, et ipsae Grammatices regulae sensum determinant. At in loco citato sensus, quem adversarii obtrudunt, non tantum regulis Grammatices, sed et contextui, et sanae rationi repugnat.

CLASSIS II.

Argumenta, quae directe Verbi seu Christi divinitatem impugnant.

Objic. I. Multa in Scripturis occurrunt, quae solum Patrem verum Deum essé probant. Ergo etc.

Prob. ant. Praeter ea, quae superius ex Joan. XVII. et I. ad Corinth. VIII. citata sunt, haec pauca hic sufficiant. 1.° In veteri Testamento Deus vocatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: sed Filius, aut quod idem est, Jesus ab hoc Deo Abraham expresse distinguitur, ut Actor. III.: *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob glorificavit Filium suum Jesum.* 2.° I ad Timoth. II, 5. ait Apostolus: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Id autem generatim observandum, quod ubi Patris simul, et Christi mentio occurrit, solus Pater Deus vocetur. Ergo etc.

Resp. ad utrumq. Deus Abraham, de quo Petrus loquitur Actor. III., est unicus et summus Deus in tribus personis subsistens: quod autem dicatur glorificasse Filium suum Jesum, illud utique de Filio intelligi debet, *qua homo est.* Eodem modo intelligenda sunt, quae Apostol. I ad Cor. habet. Nam cum ait: *Unus Deus*, non excludit Personas, quae unitatem non tollunt, sed falsos Deos, quos quisquis admitteret, eo ipso plures Deos diceret. Cum autem subjicit: *Unus et mediator etc.*, Christum ut hominem considerat; nam Mediatoris partes in humana natura obiit, etsi totus Christus mediator sit, et, quae humana natura gessit, vim et meritum ex eo habeant, quod haec cum divina in una persona contineatur. Caeterum si Pater in quibusdam locis speciatim Deus appellatur, nihil exinde contra Christi divinitatem concludi potest, quam omnes N. T. paginae praedicant. Magna tum adhibenda erat cautio, ne dogma unitatis Dei labefactaretur, et homines nuper a gentili superstitione conversi, se ad Deorum pluralitatem, unde recesserant, denuo

delapsos esse putarent. — Huic responsioni et alia addi potest communis et pervulgata, nempe Patrem quasi κατ' ἐξοχήν Deum vocari, quia fons est divinitatis. Ipse etiam ratione personae *a se* est; aliae autem personae ab ipso originem habent.

Objic. II. Christo multa denegantur, quae a vero Deo abesse non possunt: atque iterum multa de eo affirmantur, quae cum Dei natura non cohaerent. Ergo etc.

Prob. prima pars ant. Joan. V. Christus de se ipso ait: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Joan. VII.: *Mea doctrina non est mea.* Marc. X. adolescenti, qui eum bonum appellavit, respondit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.* Matth. XX. ad Discipulos ait: *Sedere ad dexteram et sinistram non est meum dare vobis.* Demum Marci XIII. fatetur, quod ne ipse quidem noverit diem judicii: *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.* Ergo etc.

Resp. Facilis est ad haec argumenta responsio. Ista pene omnia de Christo, ut homo est, intelligi possunt; imo nihil prohibet, quominus nonnulla de eo, ut Filius Dei est, dicantur, cum nihil sit in Filio, quod a Patre non acceperit per generationem. Unde neque est, neque operatur a semetipso, sed utrumque a Patre accepit. Sic doctrina ejus non adversatur doctrinae Patris, nec voluntas ejus Patris voluntati contraria est, sed cum ea plane consentit. Cum ergo Christus ait: *Doctrina mea, non est mea,* utrumque ait, ut S. *Augustinus* observat, et suam esse doctrinam et non suam: suam quidem, quia ipse est veritas, quia in ipso omnes thesauri sapientiae absconditi sunt; non suam: quia ut Deus omnia a Patre habet; ut homo autem scientiam habuit a Deo sibi communicatam, ut, quae audivit a Patre, nota faceret nobis.

Quae Christus adolescenti respondit Marc. X. hunc tantum sensum habere possunt.... Cur tu, qui in me nihil praeter hominem vides, me vocas bonum, cum solus Deus bonus sit? Ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse confitere. Ita *August. a*), *Ambros. b*) etc. — Quis sibi persuadeat Christum, ut Deus est, potestatem non habere dandi regni coelestis? Ipse

---

a) Lib. III. contra Maximin. *b*) De fide Cap. I.

enim ait (Matth. XXVIII.) datam sibi esse omnem potestatem in coelo et in terra; ipse Lucae XXII. ad Discipulos inquit: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Id ergo indicare voluit Christus, non posse discipulis concedere, quod affectu carnali ab eo, tanquam ab homine sibi affinitate carnis conjuncto petebant. Nulla quoque etiam divina potestate aeterna illa divinae Sapientiae decreta immutari poterant, quibus praemia regni coelestis non ambitiose petentibus, sed certantibus et ad finem usque perseverantibus constituta sunt.

Ad illud, quod ultimo loco dicitur, Christum ignorasse diem judicii, respondemus, haec de Christo dici non posse eo sensu, quod ipse diei illius notitiam non habuerit. *Quomodo enim,* ait *S. Ambrosius a), nescivit judicii diem, qui horam judicii, et locum, et signa expressit et causas?* Quomodo nescivit ille .... *qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum?* (Act. X.) Sensus ergo est se ignorare diem illum, in quantum Dei ad homines legatus erat; quia illum non ita sciebat, ut revelare posset hominibus. Sic legatus, cum interrogatur de secretis regis sui, vere respondet se ea nescire, etiamsi illa sciat; quia illa nescit ut legatus; neque enim in mandatis principis habet, ut ea revelet, sed ut reticeat.

Instant *probando secundam partem antecedentis.* 1.° Christus creatus dicitur et factus. Proverb. III. ubi Hebraeum et Vulgata habent: *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* in graeca versione LXX. interpr. legitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Actor. II, 35.: *Et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum.* Joan. I, 15.: *Qui post me venturus est, ante factus est.* Ad Coloss. I. Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturae.*

2.° Christus se Patre minorem esse fatetur, ejusque mandatis subditum. Joan. XIV.: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* I ad Cor. XV.: *Cum subjecta illi fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit ei.* Joan. XV.: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sicfacio.*

3.° Deus Pater non tantum simpliciter Deus vocatur, sed Deus Christi: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum,*

---

a) Lib. V. de fide Cap. XXI.

Deum meum, et Deum vestrum. Joan. XX, 17. Ad Ephes. quoque Cap. I, 17. dicitur: *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae det vobis Spiritum Sapientiae.* Mirum igitur non est, si Christus Deum orasse dicitur *cum clamore valido et lacrymis.* Hebr. V, 7. Ergo etc.

Resp. Loca N. T. quae in speciem divinae Christi naturae adversari videntur, si propius inspiciuntur, nihil habent, quod divinitati repugnet, vel hac sola distinctione diluuntur, quod duplex sit in Christo natura, divina et humana. *Pia mens*, ait *S. Ambros. a), quae leguntur secundum carnem divinitatemque distinguit; sacrilega confundit, et ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum.* Unde

Ad I. Proverb. VIII. praeferenda est lectio Vulgatae, quae cum Hebraeo concordat. Facillime fieri potuit, ut loco ἔκτησε *possedit*, ἔκτισε *creavit* in textum Graecum irrepserit, levi mutatione unius litterae η in ι. Accedit altera quoque solutio, vocem κτίζειν *creare* apud Graecos pro generatione passim usurpari. Idipsum docet *Hieronym.* in Cap. IV. ad Ephes. et *August.* Lib. de Fide et Symbolo. — Quae Actor. II, 36. leguntur, ad humanitatem Christi pertinent. Illud Joan. I.: *Ante me factus est*, non significat, Christum productum fuisse ante Joannem, sed Joanni praelatum et antepositum. Ita explicat *Ambros.* aliique Patres. Cfr. *Bellarmin.* Lib. I. de Christo Cap. XVIII. Unde cum *Primogenitus omnis creaturae* vocatur, non factum cum intelligamus et creatum, sed a Patre genitum ante omnem creaturam; nam statim additur: *Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra.* Quo et illud pertinet Joan. I.: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* In quae verba optime S. *August.* ait *b*): *Liquido apparet ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia: et si factus non est, creatura non est*; et iterum *c*): *Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus et dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia?*

---

a) Lib. VII. de fide Cap. VIII. *b*) Lib. I. de Trinitat. Cap. I. *c*) Tract. I. in Joan. circa med.

Ad II. Veteres quidam tum Graeci tum Latini crediderunt, Patrem majorem dici Filio, quia principium est filii. Verum necesse non est ad hanc solutionem confugere; sufficit illud Symboli Athanas.: *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Christus ait: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Ex quo ita concludit *Bellarmin. a*): « In ea natura est Filius minor, in qua vadit ad Patrem; non autem ibat ut Deus, sed ut homo. » Hoc ipso sensu, ratione scilicet humanitatis assumptae Christus Patri subditus est, ejusque praecepta ex vera obedientia exsequitur. Secundum humanitatem ea etiam intelligenda sunt, quae Apostol. ad Corinth. habet: *Tunc et ipse subjicietur ei.* Id est: Quamdiu praesens hoc saeculum durabit, omnia in potestate Filii sunt, non tantum qua Deus, sed etiam qua homo est. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Actor. IV, 12. *Unus mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus* I Tim. II, 5. ipse tandem veniet judex vivorum et mortuorum, reddere unicuique secundum opera sua. *Potestatem dedit ei* (Pater), *judicium facere, quia Filius hominis est.* Joan. V. — Post hoc autem universale judicium cessabit Ecclesia militans, cessabit quoque Mediatoris officium; et erit *Deus omnia in omnibus.*

Ad III. Jam ostensum est, multa in Scripturis de Christo dici, quae ad humanam ejus naturam pertinent. Hoc sensu ipse Patrem Deum suum vocat, hoc sensu Apostolus Deum Caput Christi appellat; et ad Ephesios scribens, Deum D. N. J. Christi, Patrem gloriae invocat; hoc sensu ad Hebraeos V. dicitur, *in diebus carnis suae* preces supplicationesque obtulisse Patri: nam, cum tanquam Deus esset Patri aequalis, homo factus est. *Et cum* (in Graeco καίπερ, quamvis) *esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam.* Clare hic duplex Christi natura exprimitur, eo fere modo, quo ad Philipp. II.: *Cum in forma Dei esset.... exinanivit semetipsum.... factus obediens usque ad mortem.*

CONCLUSIO.

Notandum est, quaestionem nobis non esse cum Deistis, qui omnem revelatam Religionem respuunt, neque Scripturae aucto-

a) Lib. I. de Christo Cap. XVI.

ritate commoventur. Hi siquidem, siquos offendimus, ad ea reducendi sunt, quae in I. Institutionum nostrarum volumine de Revelationis possibilitate, et de Christianae Religionis divina origine diximus. Contra eos hic disputamus, quorum non paucos hac nostra aetate reperire est, qui cum Scripturis se credere affirmant, et ad Scripturas constanter appellant; omnem tamen in eo operam ponunt, ut dogma divinitatis Christi vel palam, vel obliquis artibus et simulata Religione demoliantur. Nihil est in Scripturis tam clarum et obvium, quod illi non detorqueant violentis et affectatis interpretationibus. Toti in verborum apicibus haerent, in levissimis et puerilibus Grammaticorum adnotatiunculis ludunt, aut subtilibus Dialecticae tricis implicantur. Haec cum agunt, exquisitam Scripturae intelligentiam se habere, et non communis tantum, sed et altioris Critices et Philologiae semitas sese persequi jactitant: revera autem fraudem et malam fidem produnt suam. Optime de ejusmodi effugiis, et Scripturae non interpretationibes sed depravationibus ait *Tertull. a)*: *Hae sunt argutiae et subtilitates Haereticorum, simplicitatem communium verborum torquentes in quaestionem.* Sed in hoc ipso magnum est Catholici dogmatis firmamentum, quod ad ineptias ejusmodi et miserrimas artes confugiendum sit adversariis, cum econtra sincero animo quaerentibus ubique se offerat veritas, tam clare expressa, ut nihil ultra a diligentissimo indagatore desiderari possit. Atque scite ait *Petavius b)*: «Si nullae adhuc exstarent Scripturae, et id in deliberationem veniret, quemadmodum fides nostra de Christi divinitate, et ejus Incarnatione scriberetur; quibus aliis verbis ea conciperetur? Siquidem et proprius Filius, et unigenitus et verus Filius, et verus Deus, et vita aeterna et magnus Deus, et super omnia Deus nominatur.» Neque id praetermittendum est, multos hodie reperiri subdolos impietatis propagatores, qui cum Christum divinitate spoliant, magnam tamen affectant tanti hominis reverentiam. Contendunt igitur Christum nunquam sibi divinitatem attribuisse, imo longe eum fuisse ab hac impietate remotum. — Verum ludunt nos simulatores isti. Non potest illis ignotum esse, Christum et saepe, et publice se Filium Dei et Deum dixisse, atque ita

---

a) Lib. adv. Hermog. Cap. XXVII. *b)* De Incarn. lib. XVI. Cap. I.

dixisse, ut aliter quam de vera divinitate intelligi non possit. Vide, quae a nobis in propositione allata sunt testimonia; imprimis autem pag. 156 sq. — Unde consequens est, Christum, si Deus non est, summae impietatis reum fuisse, et inter omnes, qui unquam fuerunt impostores audacissimum, multum ipso Mahumede pejorem. — Non ergo manet viris istis effugium. Ad hanc usque dementiam eos pervenire necesse est, nisi de Christo ea, quae nos sentiant. Nihil est inter haec medium: Qui se ipsum Deum facit, is aut Deus est, aut homo omnium flagitiosissimus. (5)

§. II.

Probatur Verbi divinitas ex constanti Patrum antenicaenorum traditione.

OBSERVANDA.

I. Argumenta ex Scripturis depromta nunc a nobis sunt fusius explicata; superest, ut eadem veritas Sanctorum Patrum traditione muniatur. Nam cum nihil tam apertum in Scriptura sit, quod non sciant Haeretici perversa interpretatione corrumpere; an non recta ratio suadet, ut eum sensum ratum habeamus, qui a primis saeculis ad nostra usque tempora non interrupta successione manavit? Aut an res tanta committenda erit Novatoris cujusque opinioni? Praeclare in hanc rem disserit *Tertullianus a)* contra Haereticos sui temporis, quae quam accommodate ad recentiores Scripturarum corruptores dicta sint, facile quisque intelliget. *Quoniam*, ait, *proficit nihil congressio Scripturarum, nisi plane, ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et siquas recipit, adjectionibus, et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: et si recipit, non recipit integras; et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.*

II. Si adversarii, cum quibus nobis hic res est, cum hodiernam Ecclesiam recusant, saltem auctoritate stare vellent

---

a) Lib. de Praescript. Cap. XVII.

veteris Ecclesiae, brevi finita esset controversia. Neminem enim antiquae traditionis seriem persequentem, dummodo absit omnis cavillatio et pravae contentionis studium, latere potest, ea quae nos pro Christi divinitate attulimus, Scripturae testimonia, ab omnibus Patribus per consequentes aetates usque ad Concilium Nicaenum eodem modo fuisse intellecta et ex illis eandem Trinitatis fidem fuisse deductam. — Diximus: *usque ad Concilium Nicaenum.* Id enim ne Sociniani quidem in dubium vocant, an Patres, qui post Nicaenum Synodum floruerunt, quique inter Catholicos et Sanctos numerantur, fidem illam tenuerint, quam haec Generalis Synodus contra Arianos definivit. Verum solemne illis est, Patres Nicaenos tanquam antiquae fidei corruptores traducere: ideoque libenter ad Patres trium primorum saeculorum appellant, eosque contendunt Personarum distinctionem et aequalitatem cum unitate naturae conjunctam non agnovisse. Ita *Socinus* in II. ad Raderium Epistola ait, Trinitatis dogma ignotum fuisse ante Concilium Nicaenum, a quo in fide fuit innovatum. «Quod liquet, inquit ille, ex omnium, qui tunc extiterunt, scriptis.» Eandem cum Socino sententiam tenent auctor libri, cui titulus: *Irenicum Irenicorum; Christoph. Sandius* in lib. *Nucleus historiae;* aliique plures ex omnibus Novatorum sectis. *Jurieuum* jam nominavimus *a*), virum magis ex oppugnatoris sui fama, quam ex propria notum; nam quae ille contra Patrum Antenicaenorum fidem scribere ausus est, haec penitus confregit et evertit illustriss. *Bossuetius* in sexta ad Protestantes admonitione. Eodem quo Bossuetius tempore fuse et erudite hoc argumentum prosecutus est doctiss. *Bullus* Presbyter Anglicanus in libro, cui titulum fecit: *Defensio fidei Nicaenae.*

Nemini jam mirum videbitur, quod multi temporis nostri Scriptores Socinianorum commentum, quamvis explosum dudum et confutatum, certatim recudant. In hoc tamen ab antecessoribus suis differunt, quod nunc neque ad Catholicorum argumenta attendant, neque ea curent, quae veteres Sociniani magno studio et immenso prope labore in sententiae suae defensionem congesserunt. Tanti hi scientiam non emunt! Facilius illis

---

a) Vid. Pag. 145. hujus volum.

videtur, audacter affirmare, quae non didicerunt, atque eo audacius, quo minus ea intelligunt. Quid enim prodesset illis, quod in plena luce versentur clarissimi Saeculi, si labore adhuc indigerent et doctrina?

PROPOSITIO.

Verbum Dei, seu Filium verum Deum esse Patri consubstantialem probatur ex Traditione primorum saeculorum.

Prob. I. *Argumento Praescriptionis.*

Fides Consubstantialitatis Verbi in tota Ecclesia viguit, quando ineunte Saeculo IV. Arius incepit perversa sua dogmata spargere: Ergo haec fides ab Apostolis tradita et in Ecclesia omnium saeculorum traditione fuit conservata.

Antecedens ex historia Arianismi certum est. Vix enim impietatem suam spargere coepit Arius, cum totus statim Christianus orbis in eum surrexit, paucissimis tantum Episcopis exceptis, qui haeretica pravitate infecti erant. In Concilio Nicaeno ex omnibus Ecclesiae partibus congregato a trecentis Episcopis magna consensione definitum est, Filium Patri esse consubstantialem: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem ... et in Filium ... consubstantialem Patri.*

Consequentia ex iis patet, quae Cap. I. §. IV. Argumento II. dicta sunt. — Et certe Patres Nicaeni novam doctrinam contra publicam Ecclesiae fidem fidelibus obtrudere nec voluissent, nec potuissent: sed, quae ipsi a Patribus acceperant, tanquam fideles commissi sibi depositi custodes solenni decreto sanxerunt. Ergo vel Nicaena fides eadem ipsa fuit, quam fideles ab Apostolis acceperunt: vel dicendum est, post Apostolorum aetatem mutationem doctrinae factam fuisse in re omnium gravissima, et quidem cum tanta omnium Ecclesiarum consensione, ut nullum hujus mutationis vestigium appareat, quod quam absonum sit et ab omni specie veri alienum, nemo est, qui non videat.

Prob. II. *Argumentis generalibus.*

I. Ante Concilii Nicaeni tempora Patres Alexandrini in Epist. ad Paulum Samosatenum fidem Catholicam de

Filii divinitate explicantus testantur, ita docuisse sanctos Patres, idque sibi credendum et profitendum tradidisse. *Decrevimus fidem scripto edere et exponere, quam a principio accepimus et habemus traditam et servatam in Catholica Ecclesia usque in hodiernum diem, a beatis Apostolis, qui viderunt ipsi et Ministri fuerunt Verbi, praedicatam ex lege et Prophetis, ac novo Testamento.*

II. Certum est Patres, qui adversus Arianos pugnabant, confidenter ad Tribunal anteriorum Patrum appellasse; Arianos autem constanter declinasse Traditionis auctoritatem, quamvis plures inter illos reperirentur in historia Ecclesiastica et Patrum scriptis versatissimi. 1.° Jam ante Concil. Nicaenum, ubi primum serpere coepit Ariana haeresis, de Ario ejusque asseclis ita scribit S. Alexander Alexandrinus Episcopus *a*): *Nullos ex antiquis sibi comparari volunt, nec eos, quibus nos ab ineunte aetate Magistris usi sumus, coaequari sibi patiuntur. Solos dogmatum inventores, solos se esse jactantes, sibique solis ea esse revelata, quae nemini mortalium in mentem venerint.* 2.° Post Nicaenam Synodum S. Athanasius *b*) ita Arianos audacter compellat: *Ecce nos demonstramus vobis, nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o novi Judaei, quos Patres, qui vestris voculis favent, exhibere potestis? Nullum certe profertis, omnes a vobis abhorrent.* 3.° Quod Arianis ipsis persuasum fuerit, nullum sibi in veterum Doctorum auctoritate praesidium esse, ex illo insigni facto probatur, quod *Socrates* refert Lib. V. Hist. Cap. X. Cum Theodosius Imperator suadente Nectario Arianorum aliorumque Haereticorum principes convocasset et ab iis quaesivisset, utrum vellent Patrum illorum auctoritate stare, qui ante ortam dissensionem floruissent; in varias et discordes abierunt sententias, ac re infecta discesserunt.

III. Inter argumenta generalia illud quoque non immerito numeratur, quod ex ipsa Socinianorum et Incredulorum confessione deducitur: ipsi enim non raro confitentur

---

a) In epist. ad Alexand. Byzantin., apud Theodoretum Lib. I. Cap. IV. *b*) Lib. de decretis Nicaen. Syn.

rei evidentia coacti, diu ante Arianorum tempora, atque ab ipsis Ecclesiae incunabulis fidem divinitatis Christi ubique invaluisse. *Julianus* Apostata S. Joannem auctorem fuisse ait hujus doctrinae; *Celsus,* quem Origenes confutavit, *Tryphon* Judaeus apud *Justinum,* id Christo ipsi objiciunt, quem dicunt ideo ad mortem damnatum, quod se Deum fecisset; in quo utique melius Scripturas se intellexisse probant, quam nostri interpretes Deistae. Inter recentiores instar omnium sit Socinus ipse, qui postquam in secunda ad Raderium Epistola apertis verbis edixisset, dogma Trinitatis ante Concilium Nicaenum ignotum fuisse; parum sibi constans in tertia Epistola ad eundem ait, ab ipso ferme nascentis Ecclesiae exordio tot viros non minus pietate, quam doctrina clarissimos, tot Christi sanctissimos Martyres errorem illum gravissimum secutos fuisse, Christum nempe unum illum esse ac summum Deum, qui omnia creavit.

Prob. III. *Veterum Patrum testimoniis.*

Opus esset nimis diffusum, si vellemus omnia testimonia producere ex tribus prioribus saeculis, quae constantem Ecclesiae tum Graecae, tum Latinae fidem in Christi aut Verbi divinitatem probant. Qui haec legere desiderant, Theologos adeant, qui fusius et enucleatius hanc materiam tractarunt; ut *Bellarmin., Petavius, Tournel., Zimmer, Bergier a*) etc., et quos supra nominavimus *Bullus* et *Bossuetius.* Nos praeter ea, quae jam citavimus, cum de SS. Trinitate in genere ageretur, pauca seligamus, quae speciatim de Filii divinitate agunt.

Saeculum I. *Hermas* in Lib. Pastoris, qui Apostolorum tempore scriptus est, inter alia similitudine IX. haec habet: *Nomen Filii Dei magnum est et immensum, totus ab eo sustentatur orbis.*

Ignatius Martyr, qui teste Chrysostomo Apostolorum manibus ordinatus est Antiochenus Episcopus, in Epistola ad Ephesios scribit: *Unus est medicus carneus et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vera vita et ex Deo.* Plura ejusmodi in genuinis hujus

---

a) Diction. Théol. voce: *Verbe* etc.

Patris scriptis reperiuntur; unum adhuc adjicimus ex Epist. ad Magnesios: *Unus est Deus, qui se ipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum sempiternum, non post silentium progressum.* Quo Verbi aeternitatem contra Gnosticos defendit, qui illud ex silentio processisse somniabant.

Saeculum II. *Polycarpi* insigne testimonium jam vidimus supra. *Irenaeus* Polycarpi discipulus fuit et vicinus Apostolorum temporibus. Is in opere adversus haereses conscripto Verbi divinitatem saepius et ex professo demonstrat. Lib. II. Cap. XXXV. ait: *Semper est coëxistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem.*

Justinus Philosophus et Martyr pluribus in locis tres SS. Trinitatis personas distincte nominat. De Filii aeterna generatione inter alia ita loquitur Apolog. I. *Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum eo ante creaturas et existens et nascens.*

Athenagoras de unitate Patris et Verbi in natura perspicue loquitur in legatione, aut Apologia pro Christianis. Sufficiat hoc unum: *Quantum potui pro rei dignitate, demonstravi nos non esse a Deo alienos, qui universitatis hujus opificem, verbumque ejus et verum Deum veneramur.*

Tertullianus, quamvis tam dure saepe et ambigue loquatur, ut vix ejus sententiam assequi liceat, ea tamen habet loca et plurima, quae ejus doctrinam in hac materia ab omni suspicione liberent. In Lib. imprimis contra Praxeam totus in hoc versatur argumento. Cap. XXV. ait: *Ego et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet etc.*

Saeculum III. Quaenam hoc saeculo fides fuerit SS. Patrum, satis constat ex Sabellii et Pauli Samosateni damnatione. Synodus Antiochena contra Paulum congregata in Epistola ad eundem directa ita Catholicum dogma exprimit: *Hunc Filium genitum, unigenitum Filium, imaginem invisibilis Dei, primogenitum omnis Creaturae, Sapientiam et Verbum et Virtutem Dei, qui et ante saecula, non praescientia, sed substantia et hypostasi Deum, et Dei Filium in veteri et novo Testamento agnoscentes confitemur.* Jam

ante hujus Concilii tempora *Dionysius Alexandr.*, cum apud *Dionysium* Rom. Pontificem postulatus fuisset, quod tres et naturis et Personis diversos induceret, ad suam defensionem Apologiam scripsit ad Rom. Pont., in qua clare et dilucide fidem suam exponit et Filium expressis verbis Patri *consubstantialem* appellat et *coaeternum*.

His concordant alii quamplurimi, qui saeculum illud non eruditione minus, quam vitae sanctitate illustrarunt; ut *Cajus* Presbyter Rom., S. *Hippolytus* Martyr, SS. *Cyprian.*, *Dionys.* Rom., *Gregorius* Neocaesariensis, qui et *Magnus* et *Thaumaturgus* dictus est: item *Minutius Felix*, *Arnobius*, *Lactantius*, quorum testimonia apud majores Theologos reperiuntur.

CONTRARIORUM CONFUTATIO.

Argum. I. 1.° Vox *Consubstantialis*, quam Patres Nicaeni Symbolo inseruerunt, nec in Scripturis reperitur, nec in Antenicaenis Patribus. 2.° In Antiochena Synodo contra Paulum Samosatenum coacta vox illa repudiata fuerat. 3.° Etiam in Nicaena Synodo multis valde displicuit. 4.° Demum non defuerunt post Nicaenae Synodi decretum pii et orthodoxi viri, qui ab hac voce abstinuerunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Vocem quidem ὁμοούσιος Scripturae non continent, sed rem hac voce expressam, prout §. 1. luculenter probatum est. Id utique juris habet Ecclesia, ut contra pullulantes haereses novis vocabulis uteretur, quibus fides Christiana accuratius exprimatur, et via praecludatur Haereticorum cavillationibus; et optime *Gregor. Nazianz.* ait *a*): *Si ita credendum, cur non ita dicendum?* Merito quoque hoc argumentum in Arianos convertunt *Ambros.*, *August.* aliique PP. Dicant illi, in quo Scripturae loco Filius dicatur ὁμοιούσιος, vel ὅμοιος, aut ἀνόμοιος? *Decernis similem Patri Filium*, ait S. Hilarius contra Constantium Arianorum fautorem, *Evangelia non praedicant, quid est, quod non refugis hanc vocem! In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi occasio impietatis patet, novitas admittitur; ubi autem Religionis maxima et sola cautela*

a) *Gregor. Naz.* Orat. XL.

est, excluditur. Quod additur, vocem ὁμοούσιος ab antiquis Patribus non fuisse usurpatam; illud quidem, etiamsi verum esset, nihil probaret; deinde quam id falso asseratur, vel solum Eusebii Caesariensis testimonium probat; qui cum primum vocem hanc cum Arianis rejecisset, fateri postea coactus fuit, eam ab antiquis Episcopis fuisse usurpatam. *Novimus*, ait in Epistola ad suos, *quosdam ex Veteribus, doctos et illustres Episcopos et Scriptores, qui de Patris et Filii divinitate disserentes nomine ὁμοούσιος usi sunt.*

Resp. ad II. Cur vox illa ὁμοούσιος rejecta fuerit in Concilio Antiocheno, quidam hanc afferunt causam: quod Paulus Samosatenus Filium ex parte quadam substantiae paternae conditum esse contenderet. Verum non videtur, quomodo haec cum haeresi illa cohaereant. Melius rem explicat S. Basilius Epist. 300. Ait enim, vocem *Homoousios* a Catholicis olim usurpatam fuisse, postmodum autem ab Antiochena Synodo eam ob rationem repudiatam, quia Paulus ex ea occasionem arripuerat fidem Catholicorum calumniandi, quasi hoc vocabulo significarent substantiam divinam in Patrem et Filium distributam. Caeterum valde dubium est, an vox ὁμοούσιος revera in Concilio Antiocheno fuerit damnata, cum nemo hujus rei mentionem fecerit ante Concilium Ancyrae anno 358 a Semiarianis habitum.

Resp. ad III. Vox ὁμοούσιος in Nicaena Synodo eos omnes infensos habuit, qui Arianae impietati favebant: sentiebant enim hac sola voce haeresin a fundamentis ipsis convelli, et omni simulationi effugium intercludi. *Quum omnia*, ait *Athanasius a), queant fucis, lenociniisque sophismatum adulterare, et pro libidine mutare, hanc solam vocem adaperientem ipsorum haeresin reformidant, quam Patres pro munimento et arce contra illorum impias commentationes in Scripta retulerunt.* Vide *August.* Lib. II. contr. Maxim. Cap. XIV. *Ambros.* Lib. III. de fide Cap. VII. ubi ait, verbum ὁμοούσιος in tractatu fidei posuisse Patres, ut eo tanquam evaginato gladio caput nefandae haeresis amputarent. Sed plurimis etiam Catholicis Episcopis vox illa non placuit. Id quidem verum est, eam ab initio non omnibus fuisse probatam, timebant enim, ne naturae divinae quandam divisionem et sec-

a) *Athan.* Lib. de Synod.

tionem inducere viderentur: verum brevi omnis excussa est dubitatio, cum Concilium sensum vocis determinavit, addita explicatione, ut scite Bullus observat, qua omnis divisionis suspicio amota est.

Resp. ad IV. Non negamus, fuisse quosdam inter eos, qui Semiariani vocantur, qui, quamvis a professione *homoousios* abstinendum esse putarint, a labe tamen ariana fuerint immunes. Equidem *Epiphanius* existimat, eos omnes Filium Dei non aliud quam creaturam, ab aliis longe diversam omnino credidisse; et si sententiam suam interdum ita exprimebant, ut Catholici viderentur; id eos ita locutos, ut simplicioribus fucum facerent. Verum credendum est *Athanasio* et *Hilario*, quorum nulli in hac re testes magis idonei reperiri possunt. Primus in Lib. de Synodis N.° 41. scripsit: *Non ut Arianos aggredimur homines, sed disputamus velut fratres cum fratribus, qui eadem qua nos sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto.* Alter in Lib., quem pariter de Synodis inscripsit, tum *Homoousianos*, tum *Homoiousianos* promiscue ita alloquitur: *O studiosi Apostolicae, atque Evangelicae Doctrinae viri!* Itaque dubium non est, eos, qui supresso ὁμοούσιος Filium Patri ὁμοιούσιον dicebant, caeterum autem se Nicaenae fidei adhaerere profitebantur, Catholicos fuisse, nec pro Haereticis habitos. Inter hos erant *Eusebius Ancyranus*, *Meletius Antiochenus*, *Cyrillus Jerosolymitanus*, *Eusebius Samosatenus* aliique, qui consultius putabant a voce ὁμοούσιος abstinere, cum pacis et concordiae fovendae causa, tum propter Arianorum clamores, qui contendebant Personae unitatem voce illa significari. Multa hi gravia ab Arianis passi sunt; ac tandem ad *Homoousianos* penitus accesserunt imperante *Joviniano*; et in Concilio anno 363 Antiochiae habito fidei Nicaenae subscripserunt. Sed ne hi quidem omnes videntur puri fuisse ab omni labe haeretica; imprimis suspecta habetur sinceritas *Acacii* Caesariensis, et eorum qui eum veluti ducem sequebantur, quosque constat semper ad eam fidem amplectendam paratos fuisse, quam princeps profitebatur. Fuerunt etiam inter Concilii illius subscriptores *Macedonius*, et quidam alii, qui postmodum Spiritus S. divinitatem impugnarunt, verum de hoc dogmate quaestio tunc non movebatur.

Argum. II. *Artemon*, qui initio Saeculi III. vixit, teste *Eusebio a)* affirmavit: *priscos omnes, ipsosque Apostolos docuisse, Christum esse purum hominem, et praedicationis veritatem esse custoditam usque ad tempora Victoris: a tempore autem Zephyrini Papae, qui Victoris successor fuit, immutatam fuisse antiquam fidem.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Id quidem asseruit Artemon Haereticus, sed insani hominis calumniam illo adhuc vivente confutavit *Cajus* Presbyter Romanus, qui tractatum scripsit contra Artemonis haeresin. De hoc Cajo sic habet Photius *b)*: «De Christo vero Deo aptissime loquitur: quando et ipsam Christi appellationem ipsi tribuit, et inenarrabilem ex Patre generationem.» Vid. etiam *Euseb.* loco cit. Porro praecipua argumenta, quae Cajus contra Artemonem urget, haec sunt: Christi divinitas clare in sacris litteris et scriptis antiquissimorum Patrum adstruitur. Celebratur in Hymnis et canticis longe ante Victoris tempora conscriptis. Victor ipse Theodotum coriarium, qui primus Christum nudum hominem esse asseruit, a communione Ecclesiae ejecit.

Argum. III. Patres, qui ante Nicaenam Synodum floruerunt, ita loquuntur de Christo vel Verbo Dei, ut clarum sit, eos veram illi, et proprie dictam divinitatem non attribuere; nam 1.° Filium dicunt a Patre seu supremo Deo productum; Patrem autem conditorem aut causam Filii nominant. 2.° Patrem dignitate, et potentia Verbo superiorem esse arbitrati sunt. 3.° Filium administrum vocant Dei universi conditoris, ac ejus veluti instrumentum. 4.° Aeternitatem Filio abjudicant, nam tunc tantum prolatum a Patre dicunt, quando res universae per Verbum conditae sunt. Atqui haec omnia a fide Nicaena prorsus aliena sunt. Ergo etc.

Resp. I. generatim. dist. min. Haec a fide Nicaena aliena sunt, si verba in eo sensu sumuntur, in quo postmodum ab Arianis adhibita fuerunt, *concedo*; si in sensu illorum Patrum sumuntur, *nego*. Non possumus in hoc brevi compendio singula Patrum testimonia explanare, quae aliquid videntur continere fidei Nicaenae contrarium: breviter tamen et summatim quaedam adnotabimus, quae sufficere possunt, ad ea, quae obscu-

---

a) Lib. V. Histor. Cap. XXVIII. *b)* Codice XLVIII.

riora sunt, elucidanda; ad emollienda aut excusanda, quae sunt durius, aut minus caute dicta. Primum quidem ad ea remittimus, quae priori capite jam observata fuerunt, cum de fide Veterum circa Trinitatem in genere agebatur (vid. pag. 127 et seq.); quibus haec pauca adjicimus. Cum ad eloquendum ineffabile Mysterium nulla humana verba suppetant, et, qua ratione divina dogmata exprimi debeant, nondum usu et judicio Ecclesiae determinatum fuerat; libere illi et innocenter multa locuti sunt; cum ea, quae mente conceperant, effari pro suo quisque modo satagebant. Quae autem nobis nunc obscuriora videntur et ambigua, ea tunc temporis ex Episcoporum institutione et publica Ecclesiae fide optime intelligebant fideles.

Neque praetermittenda est haec Theodoreti observatio *a*), Patres nimirum, cum disputant contentiosius, saepe videri in alteram partem propendere: quod hac similitudine illustrat: *Hoc et iis, qui arbores colunt, evenire solet. Cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt; sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur.*

Resp. II. *Speciatim ad quamlibet argum. partem.*

Ad I. Veteres Theologi ante Concilium Nicaenum per κτίσιν non creationem tantum proprie dictam, sed omnem productionem intellexerunt. Sic et facere apud Graecos idem est ac gignere; imo inter Latinos *Tertullianus* haec verba, nasci, et condi, promiscue usurpat. Cum ergo legimus Filium *opus* esse Patris, a Patre *factum* esse; illud improprie dictum putemus, neque aliud quid significare, quam Filium originem a Patre habere. Sic quoque Patrem *causam* filii dicunt, quae impropria est locutio Graecis familiaris, qui plerumque causam cum principio confundunt.

Ad II. Si Veteres dixerunt Filium Patre minorem esse, vel de Filio incarnato loquuntur, vel de sola Personarum proprietate intelligendi sunt, qua Persona Patris aliis eminet, quia in ipsa est fons divinitatis. Pater ingenitus est, ex se habens omnia; filius autem genitus est, et quidquid habet a Patre per naturae communicationem accepit.

---

a) *Theod.* Dialog. III.

Ad III. Verum equidem est *Justinum*, *Irenaeum* et alios quosdam temporum illorum Patres dixisse, Verbum Dei in rerum creatione Patri ministrasse: sed ministrasse, ut Verbum et Sapientiam Patris, non ut merum instrumentum. Quodsi aliquando dicunt, Patrem usum esse Filio ut instrumento, aut ministro: cave, ne instrumentum intelligas Deo externum aut administrum inferiorem Deo universorum conditori. Longe id erat a Patrum illorum doctrina. Sic *Justinus* Epist. ad Diognet. ait: *Omnium conditor Deus Verbum suum inter homines locavit . . . non quemadmodum aliquis conjicere possit, misso hominibus ministro aliquo, sive Angelo: sed ipso opifice et creatore omnium . . . tanquam rex mittens filium regem, misit tanquam Deum. . . . Irenaeus* contra Gnosticos, qui mundum ab Angelis fabricatum esse dicebant, idque praeter summi Dei voluntatem, probat mundum a summo Deo conditum esse per suam ipsius progeniem. Praecipit igitur Verbo, ut mundus fieret, non ut Dominus servo, sed ut Pater filio. Unde lib. II. cap. 55.: *Hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum et Sapientiam suam.*

Ad IV. Quidam Antenicaeni Patres duplicem Verbi generationem distinguunt, unam internam, ac proprie dictam, qua Verbum ab aeterno erat veluti in sinu Patris inclusum; alteram prolatitiam, externam et improprie dictam, quando Verbum quasi ex Patre foras prodiit in rerum creatione. Haec videtur *Athenagorae*, *Theophili Antiocheni* et *Tertulliani* sententia fuisse. Comparatio a creatis sumpta est. Sic in homine existit cogitatio, seu Verbum in mente conceptum: quod tamen proprie Verbum aut sermo non appellatur, nisi quando exterius profertur, quod in mente latebat. Sic homo in utero matris latens verus quidem homo est et propriam habet subsistentiam; at filius proprie non dicitur, nisi dum fuerit per partum editus.

Scholion. Si quis ulterius objiciat, nos sensum alienum in Patrum scripta inferre, hunc vehementer rogamus, ut mente recta, et ab omni praejudicio aliena Patrum opera ipse perlegat, ea sedulo animo retinens, quae de illis Patribus in genere observavimus; atque illud imprimis, quod constet Arianos nunquam ad illos Patres provocasse. Profecto nunquam se hinc eripient Antitrinitarii nostri. In saeculo IV. cum maxime ferveret con-

troversia de Christi divinitate; cum recens adhuc esset virorum illorum memoria, qui traditam ab Apostolis doctrinam ad posteros transmiserunt; cum omnes Ecclesiae publice fidem profiterentur, quam ab illis Patribus acceperant; cum multa adhuc illorum scripta existerent, quae postmodum injuria temporum perierunt; tunc, inquam, nemo Patres illos in Arianismi suspicionem vocavit; Ariani eos reformidabant, Catholici ad eos provocabant: et nunc post quindecim saecula Sociniani et moderni Protestantes vident, quod nemo antea viderat, nempe illos Patres Ario praelusisse.

Argum. IV. Epistolae, quae sub S. *Ignatii* nomine circumferuntur, non sunt genuinum hujus sancti opus. Ergo testimonia ex illis deprompta nullius sunt roboris.

Resp. Quindecim sub nomine S. Ignatii feruntur epistolae; plures ex his merito suppositiae habentur: ut Epistola una ad B. Virginem et duae ad S. Joan., quae latine tantum editae sunt; et aliae quinque, graeco quidem idiomate conscriptae, sed quas sicut et priores S. Ignatio perperam adscriptas fuisse jam passim convenit inter Eruditos. Verum longe aliud judicium ferendum est circa septem alias hujus Patris epistolas, primaevae pietatis, disciplinae ecclesiasticae et episcopalis regiminis documentis plenissimas, quae sunt: ad *Ephesios* — ad *Magnesios* — ad *Trallenses* — ad *Romanos* — ad *Philadelphios* — ad *Smyrnaeos* et ad S. *Polycarpum*. Has quoque magno quidem, sed irrito conatu impugnarunt Sociniani, et quidam Presbyterianae et Calvinianae sectae homines, ut *Blondellus*, *Dallaeus*, *Salmasius* etc. Nam frivolas eorum conjecturas prolixis Dissertationibus confutarunt non Catholici tantum Doctores, sed et viri inter Protestantes doctissimi, *Usserius*, *Vossius*, *Pearsonius* etc. En quaedam argumenta, quibus septem illarum Epistolarum authentiam probant. Istarum Epistolarum meminit S. *Polycarpus* ad Philippenses scribens: *Epistolas Ignatii ... quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis.* *S. Irenaeus* lib. V. cap. 28. ait: *Sicut quidam dixit ex nostris, pro martyrio Christi damnatus ad bestias: Frumentum ego sum Dei; dentibus bestiarum molar ...*; quae verba extant in Epistol. ad Rom. Testes insuper habemus *Origenem a*), *Athanasium b*), *Eusebium c*), *Hieronymum d*). Duo

a) Hom. VI. in Luc. et in Prol. commentarii in Cant. *b*) De Synodis. *c*) Lib. III. hist. cap. 36. *d*) Catalog. Scriptorum Eccles.

ultimi Epistolas nominatim recensent. Cf. *Natal. Alex.* Dissert. XXIII. in saecul. I.

Instant. Illae etiam septem Epistolae, quae genuinae esse dicuntur, multa continent ab usu et moribus illius aetatis discrepantia: loca autem a Patribus ex Ignatio citata vel nullatenus continent, vel omnino aliis verbis. Ergo etc.

Resp. Vera haec sunt de epistolis, quales in bibliotheca Patrum leguntur, et quas in quibusdam interpolatas fuisse concedimus. At nos de Epistolis illis loquimur, quas *Isaacus Vossius* ex manuscripto Graeco bibliothecae Florentinae graece edidit; et quarum antiquam versionem latinam jam antea ex duobus codicibus manuscriptis publici juris fecerat *Usserius* Archiepisc. Armachanus. Uterque cum aliis summae eruditionis viris Epistolarum illarum veritatem tam invictis argumentis stabilierunt, ut nihil amplius habeant adversarii, quod contra objiciant. Vide Opera Patrum Apostolicorum a Doctiss. D. *Cotelier* edita duobus Vol. in folio.

ARTICULUS II.

De divinitate Spiritus Sancti.

OBSERVANDA.

I. A primis Ecclesiae Christianae incunabulis fuerunt Haeretici, qui sicut de Christo et Filio Dei, ita de Spiritu sancto perverse sentiebant. Ignatius Martyr *a)* plures commemorat, quorum alii Spiritum S. omnino negabant, alii eundem esse dicebant cum Patre et Filio, alii demum, ut *Valentius*, Filium et Spiritum Sanctum ad Angelorum sortem et conditionem deprimebant. Ab initio Arianae haeresis nulla de Spiritu sancto mentio facta est. Hinc et Synodus Nicaena nihil fere de Spiritu S. constituit; superfluum enim videbatur, hac de re multa disputare, quamdiu dogma divinitatis Christi in tuto non esset. Nam cum Ariani omnem impetum in Filium Dei converterint, atque iisdem fere rationibus et Spiritus S. majestas, et Filii cum Patre aequalitas impeteretur, merito tota virium contentione in asserenda Filii divinitate versati sunt Patres. Diu ergo quaestio de Spiritus sancti divinitate illi, quae de Filio agebatur, ita innexa fuerat,

a) Epistol. ad Trall.

ut hac stabilita et ipsa consisteret; hac collapsa et ipsa dilaberetur.

II. *Macedonius* primus fuisse legitur, qui cum ab Arianis defecisset, uno errore deposito, qui maxime tunc in quaestione fuit, alterum retinuit. Nam cum Filium Patri per omnia similem esse profiteretur, Spiritum S. non modo a consortio divinitatis exclusit, sed eum Patris et Filii creaturam esse contendit. Hic Macedonius ad Semiarianorum sectam pertinebat. Mortuo *Eusebio* Nicomediensi, qui sedem Constantinop. ejecto *Paulo* invaserat, ab Arianis favente Constantio urbis regiae Episcopus creatus, et non sine multa Catholicorum caede in hanc sedem inductus est. Erat in eo cum arrogantia conjuncta saevitia, qua brevi se omnibus ita invisum reddidit, ut anno 260 ab Acacianis, quos Imperator tunc fovebat, in Conciliabulo Cp. Episcopatu depulsus fuerit. Ex urbe migrare jussus in vicinum praedium se recepit, ibique diem ultimam obiit. Cum Macedonio multi ex Semiarianis sentiebant; Monachos quoque non paucos in partes suas traxit. Praecipuus autem haeresis fautor effectus est *Marathonius* Episcopus Nicomediensis et Macedonii discipulus, vir opulentus et liberalis, qui non auctoritate tantum sua, sed et opibus sectam ita propagavit, ut ab eo sicut a Macedonio nomen acceperit, et qui vulgo *Macedoniani* dicebantur, ii et *Marathoniani* appellati sint. Vocati sunt etiam *Pneumatomachi*, quia contra Spiritum sanctum pugnabant.

III. Quamvis *Nazianz.* varias fuisse dicat inter Haereticos de Spiritu sancto opiniones; cum alii eum meram energiam esse dicebant, alii creaturam, alii Deum, alii cuinam attribuendus esset generi ignorabant: communis tamen veterum Pneumatomachorum error in eo fuit, quod Spiritum sanctum personam quidem dicerent, sed alterius a Deo naturae, et Patri ac Filio dignitate inferiorem. Vid. *Basil.* de Spirit. S. cap. X. — Prima Synodus, in qua damnati sunt, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicerent, fuit Alexandrina, cui *Athanasius* praefuit, anno 362. Teste *Theodoreto a*) sub Valentiniano habitum est Concilium in Illyrico, in quo Spiritus sancti divinitas stabilita fuit. Ea Synodus habita est anno 367, et paulo post *Liberius* Papa obiit. Idem *Theodoretus*

---

a) Vid. *Theod.* lib. II. hist. cap. XXII. et lib. V. cap. XI.

testatur *a*), *Damasum* Papam paulo post Concilium Romae habuisse adversus *Auxentium*, ubi Spiritum sanctum unius esse cum Patre substantiae declaravit. Demum anno 381 Synodus ex 150 Episcopis Constantinopoli coacta est sub *Theodosio Magno*, in qua Macedoniana haeresis denuo proscripta fuit. Haec Synodus totius Orientis generalis fuit, atque accedente Damasi Papae et totius Occidentis consensu, auctoritatem Concilii oecumenici adepta est. Theodosius Imperator Concilii decreta sua auctoritate firmavit, et legem tulit, ut Ecclesiae traderentur Episcopis SS. Trinitatem profitentibus. Ita sensim cum Ariana impietate, et illa Macedonii extincta est impiae matris perdita soboles.

Sociniani, et qui cum eis sentiunt, moderni Protestantes, in hoc differunt a plerisque antiquioribus Pneumatomachis, quod hi fere omnes docuerint, Spiritum sanctum personam quidem esse, sed creatam, et Deo longe inferiorem: Sociniani autem eum personam esse negent, et virtutem Dei tantum et energiam esse contendant.

IV. Post eam, quam de Verbi divinitate instituimus quaestionem, nulla gravior esse potest, et cum tota salutis nostrae dispensatione intimius connexa, quam praesens de Spiritu sancto tractatio. Unde non magis licet hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis, qui Christum concernunt, articulis existimandum est. Certe, quidquid ad humani generis reparationem, ad aeternae beatitatis consecutionem pertinet, in Scripturis non minus Spiritui S. ac Patri et Filio tribuitur. Ille docere veritatem dicitur, et virtute roborare mentes hominum; illi propagatio Evangelii adscribitur, et institutio Ministrorum, et miraculorum patratio; ille Ecclesiam regit et fecundat; ille spiritualis vitae auctor est, et membra Ecclesiae continuo influxu gratiae et bonitatis suae ad omnem sanctitatem informat; ille mentes luce divina illustrat, charitatem in cordibus nostris diffundit, et animos erigit ad coelestia desideria. Neminem itaque latere potest, quantum ex hac doctrina fructum capere possimus, si eam tamen cum pietate et magno veritatis et virtutis amore amplectimur. Nam, ut Sapiens ad Deum precatur *b*), *sensum tuum*

---

a) Vid. *Theod.* lib. II. hist. cap. XXII. — et lib. V. cap. XI. *b*) Sapient. IX, 16. 17. 18.

quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis; et si correctae sint semitae eorum, et quae tibi placent, didicerint homines?

Probandum nunc est, Spiritum sanctum esse 1.° veram et subsistentem personam, 2.° verum Deum Patri et Filio consubstantialem.

PROPOSITIO I.

Spiritus sanctus est vera et per se subsistens persona.

ARGUMENTUM I.

Multis jam argumentis tum ex Scriptura, tum ex Traditione probavimus, tres esse in Deo personas realiter distinctas *a*), atque allata a nobis testimonia contra Socinianorum argutias vindicavimus, qui, ubi de Spiritu S. agitur, meram Dei efficaciam, aut effusam Dei in homines beneficentiam intelligi volunt. Spiritus sanctus a Patre et Filio distinguitur in formula baptismi, quam Christus ipse Matth. XXVIII. praescripsit et tota Ecclesia semper religiose custodivit; distinguitur in omnibus illis Scripturae et traditionis Testimoniis, in quibus tres personae conjunctim nominantur. Nam cum Pater et Filius verae sint et distinctae Personae, fatentibus Socinianis; insulsum et ridiculum esset in precibus publicis, in baptizandi formula, in doxologiis etc. ens abstractum, meram Dei energiam conjungi cum personis vere subsistentibus.

ARGUMENTUM II.

Ex Scripturis.

I. Spiritui sancto tribuuntur operationes, quae personarum sunt: Ergo vera est et subsistens persona, nam *actiones sunt suppositorum*, ut commune habet Scholae effatum.

Prob. ant. Scriptura Spiritui sancto tribuit: 1.° *Docere;* Joan. XIV, 26. *Ille vos docebit omnia.* 2.° *Testari;* Joan XV, 26. *Ille testimonium perhibebit de me.*

---

a) Hujus I. Part. Cap. I. §§. 3 et 4.

3.° *Scrutari profunda Dei*, I Cor. II, 20. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 4.° *Deputare ad ministerium Ecclesiae.* Actor. XIII, 20. *Dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos.* 5.° *Operari pro arbitrio et dona largiri.* I Cor. XII, 11. *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* 6.° *Adjuvare infirmitates nostras et orare pro nobis.* Roman. VII, 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram ... ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* His addi possunt, quae Actor. XIX. leguntur; ubi Paulo Ephesi quosdam ex discipulis roganti, num Spiritum sanctum recepissent? isti responderunt: *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus.* An forsan Deum vim habere efficiendi, aut donorum supernaturalium auctorem esse ignorarunt?

II. Spiritus sanctus dicitur a Patre procedere, a Patre et Filio mitti, alius esse a Filio. Ergo etc.

Prob. Joan. XIV, 16. *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis.* Ibid. XV, 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me ...* et XVI, 7. 8. *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Quis haec et similia legens non personam cogitat, si cogitat?

III. Spiritus sanctus sub specie visibili apparuisse legitur: nusquam autem invenitur donum aliquod supernaturale, aut attributum divinum formam visibilem induisse. Ergo etc.

Prob. Lucae III, 22. dicitur: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Graece ἐπ' αὐτὸν, *supra eum.* — Actor. II, 3. Spiritus S. descendit sub specie linguarum, quae visae sunt dispertitae instar ignis super capita Apostolorum. Ne autem putes, per linguas nihil aliud indicatum fuisse, quam dona gratiae in Apostolos effusa. Non enim gratia tantum et rerum divi-

narum cognitione repleti dicuntur, sed Spiritu sancto, qui manifeste a donis distinguitur, eorumque auctor dicitur v. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

ARGUMENTUM III.

Ex Traditione.

Paucis hoc argumentum complectamur. 1.° Ex iis, quae de Trinitate generatim disputavimus, evidenter apparet, constanter in Ecclesia traditam fuisse illam fidem, quam postea Patres Constantinopolit. sanxerunt: et si vetera monumenta deficerent, illud unum argumentum sufficeret, quod *praescriptionis* vocamus. Scilicet ex Macedonianismi et Sabellianismi historia patet, quarto, imo tertio jam saeculo Ecclesiam universam in possessione fuisse illius doctrinae de Spiritu S., quam hodie contra Socinianos defendit. Unde consequens est eam ab Apostolis descendere, neque enim aliter intelligi potest, qua ratione per totum orbem propagari potuisset et ita in omnes Ecclesias irrepere, ut hae ne suspicatae quidem fuissent factam ab Apostolica traditione discessionem. 2.° Sociniani in praesenti quaestione ne unum quidem Patrem citare possunt, nos omnes, qui de Spiritu sancto locuti sunt. Sufficiat *Tertull.* contra Praxeam Cap. XIII.: *Duos definimus, et jam tres de Spiritu sancto secundum rationem oeconomiae, quae facit numerum.*

PROPOSITIO II.

Ex Scripturis probatur Spiritum sanctum verum Deum esse Patri et Filio consubstantialem.

Iisdem pene argumentis Spiritus sancti divinitas adstrui potest, quibus Verbi deitas probata fuit. Primum quidem ex illis Scripturae locis, ubi Deus et Dominus appellatur: deinde ex attributis, quae cum soli Deo sint propria, in Scripturis Spiritui sancto tribuuntur: postremo ex illius operatione et efficientia.

Pars I. *Deus et Dominus dicitur.*

I. Jesaiae VI, 8. et 9. ait Propheta: *Audivi vocem Domini dicentis: Vade et dices populo huic: Audite audien-*

tes et nolite intelligere etc. Nemo certe dubitat a vero Deo haec dicta fuisse Prophetae. Sed Deum hunc Spiritum sanctum esse expressis verbis declarat Apostol. Act. XXVIII, 25.: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Jesaiam: Vade ad populum illum et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis.* Ergo Spiritus sanctus verus est natura et substantia Deus. Huc ea quoque pertinent Scripturae loca, in quibus Deus dicitur locutus per Prophetas; at in N. T. passim iidem Prophetae Spiritu sancto afflati perhibentur. II Petri II, 21. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Actor. I. *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David.*

II. Spiritus sanctus vocatur absolute Deus Actor. V, 3. 4. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

III. I. ad Corinth. III. ait Apostol.: *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* Ac ne dubitemus spiritum hunc Dei esse ipsum Spiritum sanctum, expressius id declarat Cap. VI, 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Et mox v. 20. *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Ex his optime probat S. *August.* Epist. LXVI. *a*), cultum latriae Spiritui sancto deberi ut vero et summo Deo: *Si templum facere, sicut Salomon fecit, ex lignis et lapidibus juberemur, utique faciendo templum latriam exhibere convinceremur: quanto magis latriam debemus, qui non templum facimus, sed sumus?*

IV. Accedit illud non omittendum, nusquam in Scripturis Spiritum sanctum creatum quid, aut servum appellari; cumque res omnes creatae ad Dei laudes celebrandas invitantur, nullam Spiritus sancti fieri mentionem. Quin etiam Christus ut homo de Spiritu sancto conceptus et unctus et sanctificatus dicitur; neque is ab alio, quam a Deo tantum dignitatis et splendoris consequi potuit, cum Christus, quem Sociniani merum hominem fuisse dicunt, ipsis tamen faten-

---

a) Vid. etiam Lib. III. contra Maxim. Cap. III. — Lib. I. de Trinit. Cap. VI.

tibus uno Deo inferior sit. Ergo concedant necesse est, Spiritum sanctum, si Persona est, necessario esse Personam divinam: sed Personam esse Prop. I. probavimus. Ergo etc.

Pars II. *Habet attributa, quae uni Deo propria sunt.*

Spiritus sanctus immensus dicitur, omnipotens, omniscius, summae dignitatis et majestatis. Ergo etc.

Prob. 1.° Immensus dicitur Sapient. I, 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Actor. II. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Nemo,* ait *Didymus a), sive in Scripturis, sive in consuetudine sermonis plenus creatura dicitur.* 2.° Omnipotentia ex iis quam maxime elucet, quae de Spiritus sancti operationibus dicenda sunt. 3.° Omniscium Scripturae passim praedicant. I Cor. II, 10. *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. XVI, 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 4.° Summam et divinam majestatem facile est colligere ex peccati, quod contra Spiritum sanctum admittitur, atrocitate. Marc. III, 28. 29.: *Omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum.*

Pars III. *Spiritui sancto tribuuntur operationes divinae.*

Spiritui sancto tribuitur 1.° Operatio miraculorum. I Cor. XII, 11. *Haec omnia operatur unus atque idem spiritus.* 2.° Remissio peccatorum. Joan. XX. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 3.° Sanctificatio et Justificatio. I Corinth. VI. *Abluti estis, sanctificati estis in nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri.* Joan. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.* 4.° Unctio et adoptio, Ad Ephes. I, 13. *In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae.* 5.° Effusio Charitatis. Ad Rom. V. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 6.°

---

a) Lib. I. de Spiritu S.

Ecclesiae gubernatio. Actor. XIII, 2. *Dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumsi eos.* Et Actor. XX, 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ubi non minus Spiritus sancti, quam Christi divinitas adstruitur.

Has utique rationes paucis complectitur *Fulgentius* libro III. ad Trasimundum regem cap. XXXV. *Dicatur igitur, si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? Si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? Si potest charitate imbuere, qui non est Deus? Si potest in credentibus habitare, qui non est Deus? Si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus? Et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea, quae de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua Creatura facere? et digne Spiritus sanctus dicetur creatura.*

PROPOSITIO III.

Ex traditione probatur Spiritum sanctum verum Deum esse, Patri et Filio consubstantialem.

PROB. I. *Ex argumentis generalibus cap. I. allatis.*

PROB. II. *Argumento Praescriptionis;* nam cum Saeculo IV. Macedonii haeresis exorta est, tota tum orientalis tum occidentalis Ecclesia in ejus damnationem consensit, et in Concilii Constantinopolitani decreto fidem totius Ecclesiae agnovit: ergo hanc fidem Ecclesia semper habuit.

CONSEQUENTIA jam alio loco probata est.

PROB. III. *Ex testimoniis antiquissimorum Patrum.* Plura jam supra attulimus *a*), quibus haec pauca adjicimus. S. *Irenaeus* lib. I. adversus haereses cap. XXII.: *Nihil indiget omnium Deus . . . per Verbum, per Spiritum sanctum omnia faciens . . . et omnibus esse praestans.* Lib. autem V. ait Spiritum sanctum in eo differre ab afflatu, quo Adamus animatus est; quod afflatus iste temporalis sit et factus; Spiritus autem increatus et sempiternus: *Afflatus*

a) Cap. I. pag. 138 seq.

igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus. Ex *Tertull.* jam quaedam protulimus, quibus Ecclesiae traditio illustratur: sed innumera sunt ejus testimonia. Sic contra Praxeam CXXIV. *Connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus . . . ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.* S. *Cyprianus* Epist. 73. negat baptismum in solo Christi nomine collatum quidquam efficere, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena atque adunata Trinitate. Multa alia Veterum loca exhibent non Theologi tantum, sed etiam ex Patribus plurimi, qui post exortas Arianorum et Macedonianorum haereses de SS. Trinitate, aut speciatim de Spiritu sancto scripserunt. Ut *Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianz. Ambrosius* et *Basilius* etc.

ARGUMENTORUM ADVERSANTIUM DISSOLUTIO.

Opponunt contra I. propositionem. 1.° in Scripturis operationes non raro iis rebus tribuuntur, quae omnium judicio non sunt verae personae; ergo ex illis certo inferri non potest, Spiritum sanctum veram et subsistentem personam esse. Sic I. ad Cor. de Charitate dicitur, quod patiens sit, benigna etc. Sanguis Abel clamat ad Deum, Genes. IV. Lex loqui dicitur, Rom. III, 19. atque alia ejusmodi multa leguntur. 2.° Spiritus sanctus in Scripturis saepe vocatur donum Dei. Actor. II. *Accipietis donum Spiritus sancti*, et Cap. VIII. *Pecunia tua tecum 'sit in perditionem, quoniam donum Dei* (Spiritum sanctum) *existimasti pecunia possideri.* 3.° Multa de Spiritu sancto dicuntur, quae cum persona non conveniunt; ut cum distribui et effundi dicitur, ad mensuram dari, et cum divisione quadam; item minui, extingui etc. Ergo etc.

Resp. ad I. Si Socinianorum argumentum valeret, ne Patrem quidem personam esse constaret. In exemplis, quae citantur, apertum est verba, quae operationem significant, in propria significatione sumi non posse. Verum non ita se res habet relate ad Spiritum sanctum. Primum enim Spiritui sancto actiones illae tribuuntur, quae puris qualitatibus aut accidentibus nusquam adscriptae leguntur; v. g. intelligere, velle etc. Nec quidquam

adest, quod tropum suadeat; deinde de Spiritu sancto tot et tam diversae operationes enuntiantur, et tam constanter sine omni tropi indicio, ut si in sensu proprio accipiendae non essent, vel inviti in errorem duceremur.

Ad II. Spiritus sanctus hinc inde pro donis spiritualibus ponitur, quia eorum causa est, et auctor: ponitur enim causa pro effectu. Est autem et ipse donum Dei, sed donum substantiale, neque id divinae illius majestati repugnat; nam et Christus donum Dei dicitur, quem Sociniani non negant esse personam. Joan. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Ad III. Cum Spritus sanctus auctor gratiae sit, et munerum dator, mirum non est, quod interdum pro ipsa gratia nominetur, posita, ut diximus, causa pro effectu. Unde effusio aut imminutio et extinctio Spiritus ad illius gratiam et charismata pertinent.

Contra II. propositionem. Argum. I. 1.° Spiritus sanctus in Scripturis nusquam directe Deus appellatur. 2.° Saepe in Scripturis nominantur Pater et Filius, nulla facta Spiritus sancti mentione. Sic Paulus in Epistolis gratiam fidelibus apprecatur et pacem a Patre et D. N. J. C., ubi altum de Spiritu S. silentium. Imo Christus Dominus, cum de objecto beatitudinis, quod Deus est, sermonem habet: *Haec est*, inquit, *vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joan. XVII.) Ubi iterum Spiritus sanctus omittitur. Ergo etc.

Resp. ad I. Etiamsi verum esset, quod ab adversariis objicitur, nihil exinde consequeretur. Quam multa ad fidem spectant, quae obscurius in sacris litteris continentur. *Ex iis, quae legimus,* ait S. *Augustinus a*), *aliqua etiam, quae non legimus, intelligimus.* Et Nazianzenus Arianis haec eadem objicientibus respondit *b*): *Quomodo ita serviliter adhaeres litterae, et Judaicam sapientiam amplecteris, et omissis rebus syllabas consectaris?* Sed vide malam fidem Socinianorum. Multa illi tuentur, quae in propriis, ut ajunt, terminis nusquam in sacris litteris leguntur. Sic Deum esse incorporeum, aut ex nihilo omnia creasse utique et ipsi admittunt, quamvis id in suis Scripturis non reperiant. Sic

---

a) Lib. III. cont. Maxim. cap. 3. *b*) Orat. XXXVII.

Christum *creaturam* esse asserunt; *Deum* esse perfricte negant: quamvis primum scriptum non reperiatur; secundum vero non semel in libris sacris expressum inveniant. Haec utique sufficiunt ad diluendas ratiunculas ex Scripturae silentio depromptas; quamvis ex iis, quae diximus, satis liquet, Spiritum sanctum perspicue in Scripturis Dei nomine insigniri.

Ad II. 1.° Apostolus etiam a Spiritu sancto salutem fidelibus apprecatur, ut a Christo Domino. II Cor. XII. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Ad id autem, quod minus frequenter de Spiritu sancto mentio fiat, respondemus 1.°, temere et impudenter agere Haereticos, cum Deo loquenti legem praescribunt. *In divinis rebus*, ait Hilarius, *non frequentius dicta, sed tantum dicta sufficiunt.* Et si Scripturae longe frequentius Spiritus sancti divinitatem commendarent; an non ea etiam loca in suos sensus detorquerent? — 2.° Cur Scriptura Spiritum sanctum non semper commemoret, cum de Patre et Filio sermo instituitur, ratio in promptu est. Plerumque hoc non erat Apostolis propositum, ut fideles in mysteriis Christianae Religionis instituerent, quae ore melius tradebantur: sed ut illis fidem in Christum inculcarent, quae omnia doctrinae Christianae capita continebat. Quod Christus Joan. XVII. ait, non est de visione beatifica intelligendum, sed de ratione eam consequendi, et vita bene instituenda. Scilicet brevi compendio docet, ad vitam aeternam necessarium esse, ut homines relicto Idolorum cultu solum verum Deum agnoscant, et ejus se doctrinae submittant, qui solus . . . *salvare in perpetuum potest ascendentes per semetipsum ad Deum.* Hebr. VII, 25. — Quodsi verba illa de visione Dei intelligere velis; dicimus, Spiritum sanctum Dei nomine comprehendi; nam quod et ipse visionis beatificae objectum sit, ex Petro Apostolo liquet, qui Epist. I. cap. I. v. 12. ait, Apostolos evangelizasse *Spiritu sancto, misso de coelo, in quem desiderant Angeli prospicere.*

Argum. II. Nonnulla in Scripturis de Spiritu sancto dicuntur, quae in Deum cadere non possunt. Ergo etc.

Probat. ant. Ad Rom. VIII. orare dicitur. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Joan. XVI. de eodem Spiritu dicitur: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur.* Matth. XI, 27. a cognitione Patris et Filii excluditur.

Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.

Resp. In primo textu iterum causa pro effectu sumitur, nam Spiritus facit nos orare; facit, ut secundum Deum postulemus. Christus Matth. X. Apostolis inquit: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* . . . id est, qui suggerit vobis, quae loquenda sunt. Ad secundum respondet *Augustinus a*): *Ab illo audiet, a quo procedit: audire illi scire est, scire vero, esse.* Ad tertium, illud Christi: *Nemo novit Filium, nisi Pater etc.* . . . . non magis excludit Spiritum sanctum, quam illud Apostoli *b*): *Quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei,* Filium a cognitione Patris excludit. Nec necesse est, ut dum unius aut alterius Personae fit mentio, simul omnium habeatur.

Contra III. propositionem. 1.° Certum est, antiquiores Patres Spiritum sanctum Deum non appellasse, quamvis de divinis Personis contra Arianos disputaverint: ut *Hilarius*, qui XII. libros de Trinitate scripsit. *Basilius* quoque in libro, quem integrum de Spiritu sancto conscripsit, non audet eum Dei nomine signare. 2.° Synodus Nicaena, quae Filium in symbolo Deum de Deo declarat, nihil ejusmodi de Spiritu sancto decernit. Sed ne II. quidem Synodus, quae ut dignitatem Spiritus sancti tueretur, coacta est, eum appellat Deum. Ergo etc.

Resp. ad I. Jam illud a nobis probatum fuit, eandem fuisse Veterum de Spiritus sancti divinitate sententiam, quae posteriorum temporum fuit; quamvis aliqui ex prudenti oeconomia a Dei appellatione abstinendum putaverint eo tempore, quo animi nimium jam fervebant ob exortam cum Arianis controversiam. Timebant enim, ne, cum tantum jam incendium excitatum esset, novam igni materiam subjicerent. Interim tamen ea de Spiritu sancto praedicarunt, quae nonnisi Deo convenire possunt; atque sedato paululum animorum fervore, aperte, quod sentirent, professi sunt. Inter alios S. *Basilius* sub finem libri in Matth. dum verba illa Christi enarrat: *Euntes docete omnes gentes etc.*, sic ait: *Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus est Deus.*

---

a) Tract. XCIX. in Joann. *b*) I Corinth. II, 11.

Ad II. Concilium Nicaenum in causa Arii congregatum est, neque de Spiritu sancto mota erat quaestio. Concilium Constantinop. divinitatem Spiritus sancti satis exprimit, cum eum *Dominum vivificantem* appellat, *qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur*. Porro iidem Patres in Epistola synodica ad Damasum Papam clare et explicate de Spiritus sancti divinitate loquuntur, eumque esse Patri et Filio consubstantialem asserunt.

Quo propius inspicitur hoc argumentum, eo magis apparet, illud tanti momenti non esse. Usque ad Macedonii tempora non videtur, causam Spiritus sancti ab ea Filii fuisse disjunctam. Nemo unquam repertus est, qui divinitatem Filio denegaret, et Spiritui sancto tribueret: qui autem de Filio recte sentiebant, ii quoque ingenui erant sanctae et individuae Trinitatis cultores. Omnis ergo controversiae cardo in Christi divinitate positus erat; hac admissa manebat praecipuum Religionis Christianae fundamentum, manebat integra Trinitatis fides. At quando Semiariani post Constantii mortem ad Nicaenos tandem accesserunt, tunc demum contigit, ut quidam, quorum princeps Macedonius erat, ne se omnino victos darent, discrimen facerent inter Filium et Spiritum sanctum, atque ita una erroris parte deposita, alteram retinerent. Vix autem impietas haec ita in lucem emissa fuerat, ut jam non pars esse videretur, aut consequentia alterius erroris, sed sola et separatim se proderet; cum statim reclamarit Ecclesia, eamque primum in particularibus Conciliis, tum in Constantinop. I. solemni Decreto configerit.

Similem omnino controversiae statum posteriora haec saecula ostendunt. An non cum Antitrinitariis de sola Christi divinitate agimus? Et quamvis de Spiritu sancto perverse doceant, contra fidem expressam Ecclesiae Catholicae; de hoc tamen dogmate vix unquam cum ipsis disceptatur. Omnibus quippe persuasum est, eos, si semel Christi divinitatem admiserint, Trinitatis fidem illico amplexuros. Pone autem exsurgere aliquos, qui Filium tenentes Spiritum negarent, tunc tota statim controversia in hanc partem converteretur.

CAPUT TERTIUM.

DE NATURAE IN TRIBUS PERSONIS PERFECTA UNITATE.

OBSERVANDA.

I. Sicut Trinitatem in unitate veneramur, sic unum Deum in Trinitate agnoscimus, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Ita igitur a Sabellii errore recedendum est, ut in oppositam Tritheitarum haeresin non incurramus, qui plures admittendo Personas, plures quoque Deos statuerunt. Non est nobis cum illis concertandum, qui Tritheitae crassiores vocantur, et tres Deos inaequales commenti sunt. Haec impietas hoc ipso depulsa fuit, quod ostensum fuerit tres esse Personas consubstantiales. Arii hic error fuit, et deinde Apollinaris, de quo S. *Gregorius Nazianz.* ait *a*): Eum *ex magno, majori et maximo, hoc est, ex Spiritu sancto, et Filio et Patre, tanquam ex splendore, et radio et sole, Trinitatem constituere: quod quidem, ut ipse scribit, Deitatis scala est; at non in coelum subvehens, sed e coelo dejiciens.*

II. Tritheitae subtiliores tres in tribus personis naturas admittunt, distinctas quidem, sed perfecte aequales, et ita intime unitas, ut nec scientia, nec voluntate, nec operatione possint dissentire; hanc autem intimam perfectamque conjunctionem sufficere putant, ut recte unus Deus, aut una Deitas vocari possint. . . . . Auctor hujus systematis inter veteres *Joannes* quidam fertur cognomine *Philoponus* ex Acephalorum Secta, homo in rebus Theologicis parum versatus, sed supra modum audax et temerarius. Id certum, ejus Sectatores, illos imprimis, qui *Cononitae* a quodam *Conone* dicti sunt, in hoc errore haesisse. Vid. *Nicephor. Callistum* Lib. XVIII. histor. *Conon* Saeculo VIII. Episcopus Tarsensis fuit, eidem ac *Philoponus* Acephalorum Sectae addictus.

Errorem Cononitarum Saeculo XVII. renovavit Auctor Gallus *Petrus Faydit*, in opere Gallice conscripto: *Altération du dogme Théologique sur la Trinité par les fausses idées des Scholastiques*, in quo numericam naturae divinae identitatem tanquam Scholasticorum figmentum explodit. Quaesitus: An ergo tres sint Dii?

---

a) Epist. I. ad Cledon.

respondit, id in rigore dici posse, sed ex prudenti oeconomia ab eo abstinendum; ne videamur Paganismo favere, aut crassiori Tritheismo. Vid. *Tournel.* de Trinit. *Wiest* Op. M. Tom. IV. §. 217. — *Petrus Faydit* jussu Regis in domum S. Lazari inclusus est, ubi, qui parum sanae mentis sunt, includi solent. Novissime in Germania eandem doctrinam sibi tuendam sumserunt *Placidus Stürmer* ex Ordine S. Bened. ac doctiss. *Antonius Oehmbs*, Theologus Trevir. in Opere anno 1789 Moguntiae impresso, contra numericae identitatis sententiam, quam Evangelio et Ecclesiae Traditioni contrariam esse contendit.

PROPOSITIO.

Tres Personae Trinitatis unam habent, eandemque individuam naturam.

ARGUMENTUM I.

Deum unum esse et simplicissimum lib. I. multis argumentis confecimus; idque vel ratio ipsa demonstrat et apud omnes Christianos in confesso est. Ergo omnem omnino compositionem, aut collectionem ab eo excludi necesse est: hanc autem sola specifica unitate non excludi, cuilibet rem attentius consideranti patet. Nam si tres naturae forent, improprie tantum unus diceretur Deus; re autem tres haberentur Dii; non secus ac Petrus, Paulus et Andreas tres homines sunt. Ergo etc.

ARGUMENTUM II.

Scripturae et Patres unam in tribus Personis distinctis naturam ita agnoscunt, ut nonnisi de unitate numerica intelligi possint. Hujusmodi sunt illa Matth. XXVII. *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* I Joan. V. *Hi tres unum sunt.* Et Joan. X. *Ego et Pater unum sumus.* Et illud Joan. XVII. *Mea omnia tua sunt et tua mea sunt . . .* et alia multa etc. In illa Christi verba: *Ego et Pater unum sumus,* ita commentatur S. *Hilarius* Lib. IV. de Trinitate: *Absolute Pater Deus et Filius Deus unum sunt, non unione personae, sed substantiae unitate,* ubi apprime duo ista vocabula distinguit, *unionem*

et *unitatem;* ita ut unio personas, unitas vero naturam ipsam respiciat. Huic S. Hilarii testimonio alia innumera ex Patribus adjungi possent. Pauca tantum afferamus. *Gregorius Nyssen.* Lib. ad Ablat. ait: *Natura una est, ipsa secum unita, ac prorsus unitas individua, quae non una cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur.* Pulchre quoque *Nazianzenus* Oratione XL. *Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo: vix tria distinguere incipio, cum ad unum statim sublimis feror.* Basil. aliique Graeci Patres utuntur μονάδος et ἑνάδος vocabulo ad exprimendam perfectissimam Deitatis unitatem. S. *August.* lib. XV. de Trinit. Cap. XXIII. *In illa summa Trinitate,* inquit, *quae incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut, cum Trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus et dicatur, et sit: nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus.* Accedit, quod Patres passim naturam divinam vocent *individuam, singularem, unam unitate sine numero, unam unitate ex identitate;* quae omnia, nisi consulto in alium sensum detorqueantur, unitatem numericam significant; ita ut Patres aliis vocibus non utantur ad confutandam in Sabellii dogmate personae singularitatem, neque aliter personae unitatem in Christo exprimant. Finem huic argumento facimus *Sophronii* Patriarchae Jerosolymit. testimonio, qui Philopono fere coaevus fuit et diu ante Scholasticos vixit, qui, postquam aliis Haereticis anathema dixisset, addit: *Cum quibus omnibus . . . et super omnes sit anathema Joannes grammaticus, cognomento Philoponus, id est, studiosus, imo Mataeoponus, id est, irritus laborator: Conon quoque et Eugenius; hi tres Tritheitae, h. e. triplicis Theitatis maledicti propugnatores.*

ARGUMENTUM III.

Ex auctoritate Concilii Lateranensis IV.

Concilium Lateranense IV. inter Oecumenica XII. anno 1215 sub Innocentio III. habitum nostram de unitate numerica sententiam tam clare proposuit, ut nemo Catholicus possit absque summa temeritate ab hac deflectere. Post

damnatam Joachimi Abbatis doctrinam, qui unitatem in divinis, non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam statuit, ita prosequitur Concilium Cap. *Damnamus: Nos sacro et universali Concilio approbante credimus et confitemur cum Petro* (Lombardo), *quod una quaedam summa res est incomprehensibilis et ineffabilis. Et quaelibet trium Personarum est illa res . . . ut distinctiones sint in Personis et unitas in natura.* Concilium addendo haec verba: *Confitemur cum Petro . . .* declarat, se *Petri Lombardi* sententiam suam facere; sed Petrum Lombardum, et qui eum ducem secuti sunt Theologos unitatem numericam docuisse, ne adversarii quidem inficiantur.

ARGUMENTUM IV.

Ex rationibus Theologicis.

I. Patres passim docuerunt, fidem Catholicam mediam inter duas haereses Arii et Sabellii incedere, atque sublato eo, quod utraque habet sanae doctrinae contrarium, retinere quod verum est. Ergo ex Sabellii dogmate rejecta unitate personae retinet naturae unitatem. Atqui Sabellius unam numero naturam profitebatur: Patres ergo eandem unitatem naturae non specificam modo, sed individuam constituunt.

II. Idem aperte colligitur ex dissensione, quae inter Catholicos per aliquod tempus efferbuit de trina hypostasi. Qui unam in Deo ponebant hypostasin, ea voce naturam intelligebant; eos autem, qui tres hypostases admiserunt, ideo putabant a recta fide alienos, quod tres viderentur distinctas et subsistentes naturas admittere. Cum autem ab his personas tantum distingui, non naturam perspectum fieret, tum pacem inter se inierunt.

III. Ecclesia in Concilio Florentino anno 1438 in decreto unionis docet, Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, tanquam unico principio; atqui id dici non posset, si in Patre et Filio essent naturae numero distinctae. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Dicunt I. Sententia numericae unitatis est ipsa Sabelliana haeresis; siquidem illa unitate semel admissa tres personae nihil aliud sunt, quam tres modi unius ejusdemque naturae: atqui hoc ipsum est, quod Sabelliani docent. Ergo etc.

Resp. I. neg. min. Patres Sabellianis nunquam objecerunt, quod naturam numerice unam dicerent: quod grandi iterum argumento est, Patres nunquam Tritheitas fuisse. Caeterum nemo ignorare potest, haereses circa SS. Trinitatem ex eo ortas esse, quod Haeretici ea, quae obscura sunt et rationi impervia, ad se deducere voluerint, et ita complanare, ut nihil remaneret, quod superbam mentis curiositatem offenderet. Verum in sententia Adversariorum mysterium invenissent Sabelliani, non sustulissent.

Resp. II. dist. maj. Tres personae sunt tres modi substantiales, *conc.* Accidentales tantum, *nego.* Sabellianis tres personae merae erant denominationes extrinsecae, seu Deus tres personas repraesentans; quemadmodum in hominem eundem diversa cadere possunt nomina, et idem simul Scriptor esse potest, et Judex, et Paterfamilias. Neque dicas, hac ratione Personas adorari non posse, cum nemo modum aliquem adoret. Nam ideo divinae Personae adorantur, quia quaelibet propter suam cum natura identitatem est ipse Deus. Adorari autem non potest personalitas, quae a natura sejuncta aliquid mere abstractum est.

Dicunt II. 1.° Si vetus Ecclesia unam numero naturam docuisset, non potuisset tantam vim ponere in voce ὁμοούσιος, quae hanc unitatem non significat; sed contra, ut *Petavius* ipse observat *a*), apud auctores profanos pro specifica tantum unitate sumitur. Adfuissent utique alia vocabula, magis ad exprimendam numericam identitatem accommodata, ut μονοούσιος — ταυτοούσιος — etc., sed haec repudiata sunt a Patribus. 2.° Concilo Lateranensi id unum propositum fuerat, ut errorem damnaret Abbatis *Joachimi:* verum Joachimi sententia longe distabat ab illa, quae specificam naturae identitatem adstruit. Ergo etc.

Resp. ad I. Praedictas voces naturae identitatem melius exprimere non diffitemur, sed ab illis consulto abstinuerunt

---

a) Lib. IV. de Trinit.

Patres, quia Sabelliani illis abutebantur. Quod vox ὁμοούσιος apud profanos auctores specificam tantum unitatem significet, ratio est, quia in creatis, quae sola ipsis cognita erant, nulla alia, quam specifica unitas existere potest inter plures personas.

Resp. ad II. Quaecunque fuerit Abbatis *Joachimi* sententia, de qua disputare superfluum esset; sufficit nobis, quod Concilium ex occasione erroris, qui Joachimo attribuebatur, identitatis numericae doctrinam clare expresserit.

Dicunt III. Patres passim de Personarum distinctione et naturae unitate ita loquuntur, ut apertum sit, eos non numero unam naturam, sed specie duntaxat eandem agnoscere. Dicunt enim, Personas esse unum juxta oeconomiam, per similitudinem aut aequalitatem. Imo contra Arianos et Macedonianos pugnantes, nihil ultra exigunt, quam ut Filius et Spiritus sanctus crederentur Patri per omnia, et secundum essentiam aequales. Ergo etc.

Resp. Non est, cur nos testimonia quorundam veterum terreant, quae primo aspectu, et iis, qui in cortice haerent, Tritheitarum doctrinam continere videntur. Omnis cito evanescet difficultas, si ad haec pauca attendimus. 1.° Mens antiquorum Patrum non tam ex verbis colligenda est, quam ex sensu, qui ex contextu et tota doctrinae quam tradebant compage, et fine, et scribendi occasione eruitur. Si Patres cum Arianis et Macedonianis disputantes, nihil ultra exigebant, quam ut perfectam Filii et Spiritus sancti cum Patre aequalitatem faterentur, illud ideo factum est, quia omnibus firmiter persuasum fuit, aliam praeter numericam unitatem in Deo cogitari non posse, atque ideo in divinitate ex perfecta aequalitate necessario sequi naturae identitatem. Distinctius tamen Patres locuti sunt, ut semper contingit, post exortam Tritheitarum haeresin. 2.° Siquid esset a Patribus dictum obscurius, illud utique interpretandum esset ex sequentium Patrum doctrina, et Ecclesiae decisionibus. Nam cum vera Christi doctrina in traditione potissimum et publica Ecclesiarum fide conservetur; quis quaeso Catholicus asserere audebit, Patres et Concilia, et omnes per orbem Christianum Doctores in re tanti momenti subito a praedecessorum doctrina recessisse; atque ita recedendo, sibi tamen persuasum habuisse, se aliam non tenere fidem, quam eam, quam a Patribus acce-

perant? Haec utique sufficiunt ad concilianda Patrum testimonia, quae nostrae sententiae adversari videntur, et quae D. *Oehmbs* cum magno eruditionis apparatu congessit opusculo I. et II. in sua tractatione de Deo uno et trino.

Dicunt IV. Nemo est, qui non videat assumpta semel specificae unitatis sententia facillime responderi posse ad argumenta Socinianorum: atqui hoc solum ad ejus commendationem deberet sufficere. Ergo etc.

Resp. 1.° neg. maj. Si ex una parte quibusdam Socinianorum argutiis occurrere possemus, majores ex altera parte nascerentur difficultates; tunc enim non sine fundamento Tritheismi notam nobis inurerent. En, cum distinctas in Deo personas adstruimus, unitatem Dei, quae primarium omnis verae Religionis dogma est, a nobis subverti clamitant. Quid, si tres in Deo naturas admitteremus?

Resp. 2.° ad min. Multo facilius omnis com Socinianis controversia solveretur, si retenta numerica naturae unitate tolleretur realis Personarum distinctio. Num igitur tollenda est?

Instant. Falluntur illi, aut certe fallere volunt alios, qui doctrinam a recentioribus quibusdam, et imprimis a doctissimo D. *Oehmbs* propositam cum Tritheitarum sententia confundunt, aut eam adeo haeresis insimulant.

Resp. Ultro concedimus illam doctrinam longe esse a crassiore Tritheismo remotam: verum, quidquid contra dicatur, ad subtiliorum Tritheitarum opinionem ita accedit, ut inter utramque sententiam, etiam post diligentissimum examen, nulla inveniatur differentia. Probavimus specificae unitatis systema principiis Catholicis contradicere; nostrum autem non est, contra illud damnationis sententiam proferre. Multo minus ea nobis mens est, ut velimus eruditum auctorem jam citatae tractationis tanquam Haereticum traducere, cum in fronte operis declaret, se discussionem suam Ecclesiae judicio demississime submittere. Vid. in hanc materiam doctissimum *Tournelium* de Trinit. pag. 53 et 246. — *Bauer* tom. II. de Deo Trino §. VII. impr. Coroll. pag. 507. — *Wiest* Op. M. Tom. IV. §. 213 et seqq.

PARS SECUNDA.

DE QUIBUSDAM SANCTISSIMAE TRINITATIS PROPRIETATIBUS.

Explicatis iis, quae ad ipsam Mysterii substantiam visa sunt pertinere; nunc quaedam subjicienda sunt, quae ad divinas Personarum origines, earumque relationes inter se et admirabilem connexionem pertinent, et quasi proprietates efficiunt inenarrabilis Mysterii. De his a Theologis Scholasticis multa fuerunt acriter et subtiliter disputata, quo factum est, ut, cum omnia accuratius explicare voluerunt, simplicitatem fidei multis quaestionibus et inutilibus controversiis implicaverint. Diligenti itaque cautione opus est, ut neque immoremur iis, quae scire inutile, aut scrutari periculosum esset; neque etiam aliquid eorum omittamus, quae Ecclesiae fides tenet et Scripturae et Traditionis auctoritas commendat. Tractabimus igitur I. De Personarum divinarum processionibus. II. De Personarum Missione. III. De aliis quibusdam hujus Mysterii proprietatibus, quae ex praecedentibus quasi quaedam consectaria fluunt.

CAPUT PRIMUM.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

OBSERVANDA.

I. *Processio*, apud Graecos προβολή, seu *prolatio*, est emanatio unius ab alio. Duplex vulgo statuitur, *immanens* et *transiens*. Cum processionis terminus exit extra suum principium, *transiens* dici solet. Ita homo ab homine producitur. *Immanens* appellatur, quando terminus intra suum principium remanet. Sic cogitatio intra mentem manet, a qua nascitur. Rursus Processio alia *perfecta* est, alia *imperfecta*. Dicitur *perfecta*, quando terminus est subsistens et ejusdem cum principio naturae: *imperfecta* est, cujus terminus vel non est subsistens, ut cogitatio a mente producta;

vel non ejusdem naturae cum principio, ut Filius in creatis. Processiones in Deo esse nemo unquam negavit, nisi qui in ipsam Trinitatis substantiam peccarunt. Verum circa modum, quo processiones in Deo existunt et inter se distinguuntur, graves ortae sunt controversiae inter Theologos; quaedam etiam ex Revelationis principiis deducuntur, quae probe sunt a Scholae quaestionibus secernenda.

II. In omni processione tria spectari possunt: Actio, principium et terminus. — *Principium* est illud, a quo terminus procedit: *actio* est ipse actus principii producentis, seu ipsa productio, quae est via quaedam ad terminum. *Terminus* autem est illud ipsum, quod producitur. Principium iterum duplex est, principium *quod*, ut vocant, et principium *quo*. Primum est ipsa persona, quae agit; secundum est quasi forma, seu virtus, per quam agit persona; atque rursus in proximum et remotum distinguitur. Quando de divinis processionibus quaestio instituitur, omnes consentiunt principium *quod* Personam, et principium *quo* remotum naturam esse. Sed gravis inter veteres Scholasticos controversia orta est, quodnam sit divinae processionis principium *quo* proximum; an ipsa natura seu essentia, sua infinitate foecunda, ut *Durando* placet; an solae relationes originis, quae opinio S. *Bonaventurae* adscribitur; an potius intellectus et voluntas, ut Veteres fere omnes et recentiores contendunt.

III. Praeter haec generalia, alia adhuc sunt, quae processionem filii, aut Spiritus sancti speciatim concernunt, quorum alia ad fidem pertinent, alia in disceptatione sunt: sed et haec, quamvis non possint diffusius tractari, non sunt tamen penitus praetermittenda. Agemus itaque I. de processionibus in genere; II. de processione Filii et Spiritus sancti speciatim..

§. I.

De processionibus divinis in genere.

PROPOSITIO.

Duae sunt in Deo processiones.

Prob. I. *Ex Script. et Traditione.* Christus de se ipso ait Joan. VIII, 42. *Ego ex Deo processi.* Et Joan. XVI, 28. *Exivi a Patre et veni in mundum.* De Spiritu sancto

autem inquit, Joan. XV, 26. *Cum venerit Paracletus . . . qui a Patre procedit.* Concilium Nicaenum definivit credendum esse in *Filium Dei unigenitum, ex Patre natum — Deum de Deo, lumen de lumine.* Constantinopolitanum autem I. decrevit, Spiritum sanctum a Patre procedere. Ergo duo sunt procedentes; ergo duae processiones.

Prob. II. Tres sunt in SS. Trinitate Personae actu et revera distinctae; inter has porro Personas datur ordo subsistendi et operandi. Atqui haec sine duplici processione cogitari non possunt. Ergo etc.

Prob. I. maj. Tres esse in Deo distinctas Personas tota fere prima parte hujus libri probatum est. Ex iisdem autem argumentis manifestum est, divinas Personas non promiscue collocari, sed dari inter eas certum fixumque ordinem subsistendi: Pater constanter primo loco nominatur, post Patrem Filius, tum Spiritus sanctus post Patrem et Filium. Ita Matth. XXVIII. I Joan. V. etc. Ita postmodum in formula Baptismi, in Doxologia etc. Ita in Symbolo Apostol., Nicaeno, aliisque. Ita in Patribus passim, quando de tribus Personis loquuntur.

Prob. II. min. Non potest alia hujus distinctionis et ordinis assignari ratio, quam processio unius Personae ab alia. Fundamentum in natura esse non potest, quae est in tribus Personis eadem: ergo necesse est oppositionem aliquam admittere inter Personas, quae facit, ut una non possit esse altera, et ut una ante aliam cogitari debeat. Nulla autem inter Personas divinas oppositio esse potest, praeter relativam; relationes autem in Processionibus fundantur. Sunt igitur in Deo origines, aut processiones; et quidem duae; nam cum tres sint Personae per oppositionem relativam distinctae, necesse est duos admittere gradus ordinis a primo distinctos.

CONTRA OBJICIUNT.

Objectio I. Omnis processio arguit imperfectionem; nam omne, quod producitur, est producente posterius, et a suo principio dependet, eoque indiget, ut existat. Ergo etc.

Resp. I. ad argum. Concedimus processiones, quales in creatis sunt, transeuntes, temporales et accidentales, imperfectionem involvere. At non ita de rebus divinis sentiendum est. Processiones divinae sunt immanentes, aeternae, substantiales et necessariae; atque ita omnem excludunt imperfectionem. Duae personae procedentes ex divina substantia producuntur, et in divina substantia permanent; quidquid autem in Deo est, aeternum est, necessarium, et perfectissimum. Ita Scriptura et Patres docent, ita docet vel ipsa Revelationis luce illustrata ratio.

Resp. II. ad prob. 1.° In divinis illud, quod producitur, non potest esse suo principio posterius, nisi ratione tantum et origine. Nam idipsum, quod communicat, non diversum quiddam a sua natura communicat: at si naturam communicat suam, non potest esse prius eo, quod communicat. 2.° Processiones divinae nullam supponunt dependentiam aut indigentiam proprie dictam; quia Personae ex naturae necessitate et perfectione producuntur, et eandem habent cum Patre naturam independentem et improductam, cujus haec prima perfectio est, quod sit a se. Neque obest, quod Lateran. IV. definierit, naturam divinam nec generare, nec generari: nam licet Pater generando proprie et formaliter non naturam, sed Filium producat; tamen *identice*, ut ajunt, dici potest generare Deum; quia generat Filium, qui Deus est, et quia Persona re idem est cum natura.

Objectio II. Dici non potest, quodnam sit processionum divinarum principium; ergo admitti non possunt.

Resp. I. neg. conseq. Quam multa sunt, quae nobis per Revelationem innotescunt, quamvis quo modo illa sint, ratione nostra assequi non valeamus.

Resp. II. neg. ant. Omnes, ut diximus, consentiunt, Personam esse principium *quod*; naturam autem principium *quo* remotum et mediatum. Si autem quodnam sit principium *quo* proximum, quaeritur; nobis illa sententia magis probatur, quae intellectum et voluntatem assignat; adeo ut processiones divinae per intellectionem et volitionem fiant. Haec quippe sententia in communi Christianorum persuasione fundatur, difficultates melius explicat, et Scripturarum auctoritate, et ratione ipsa videtur subnixa. In Scripturis Filius passim dicitur *Verbum*, *Sapientia*, *imago Patris:* Spiritus sanctus autem appellatur *Charitas*, aut

Donum, aut *Paracletus;* quae utique vix explicari possunt, si Filius et Spiritus sanctus ab essentia divina immediate procedant, et non ab intellectu et voluntate. Neque alia afferri potest ratio, cur duae praecise processiones in Deo sint. Nam si processiones immediate a natura divina desumantur, cur non plures sunt? Cur non infinitae? Aut potius, cur non una tantum, cum processio quaecunque divina necessario sit infinita, et totam communicet naturam? At si ab intellectione et volitione processiones desumimus, palam est, cur duae esse possint, et duae tantummodo. Licet enim processio quaecunque totam naturam communicet, eam tamen non communicat omni modo, quo communicari potest. Prima communicat naturam Filio per intellectum, estque in genere intellectionis unica, quia infinita. Secunda naturam communicat Spiritui sancto per voluntatem, et est pariter in genere volitionis unica et infinita.

Instant. Si intellectus et voluntas sunt principium processionum, non intelligitur, cur non et Filius et Spiritus sanctus alias Personas producant, cum ipsi eundem habeant cum Patre intellectum et voluntatem. Ergo etc.

Resp. Theologi, Filium produci per intellectionem, quatenus in Patre est; Spiritum sanctum autem per volitionem, quatenus est in Patre et Filio. Nam neque essentia sola potest producere, quia nulla potest esse relationis oppositio, ubi est essentia communis: neque sola relatio principium proximum esse potest et adaequatum processionis divinae, quia relatio, ut v. g. Paternitas, non potest commnicari. Ergo utrumque requiritur, natura scilicet, cum relatione conjuncta. Hinc ajunt, principium proximum divinarum Processionum esse intellectum, ut affectum Paternitate, et voluntatem, ut affectam Spiratione activa. Sed haec sufficiant. Multa alia in hanc rem ingeniose et subtiliter disputata sunt, non tantum ab obscuris, uti vocantur Scholasticis, sed a Theologis doctissimis praeclara eruditione, et bonarum litterarum studiis perpolitis. Unde necessarium duximus ea leviter saltem attingere, ut Theologiae Candidati notitiam aliquam habeant ejusmodi quaestionum, et Docentibus locus detur explicatius, si velint, de iis disserendi.

§. II.

De processione Filii et Spiritus sancti.

OBSERVANDA.

I. Omnes, qui tres Personas admittunt in una natura distinctas, ii etiam relationes admittere coguntur, et Filii et Spiritus sancti processiones. Verum ardua est et implicata nimis quaestio, quando utriusque processionis proprietates et differentias investigamus. Hinc Patres eo contenti, quod in sacris litteris proditum, aut Ecclesiis ab Apostolis traditum fuit, periculosum duxerunt, rerum divinarum modum, vel rationem curiosius quaerere; atque Haereticos, qui ineptis et impiis cavillationibus Verbi generationem, aut Spiritus sancti divinitatem irridendo aggressi sunt, hoc maxime argumento confutarunt: credenda esse, quae revelata sunt, non investiganda, quae occulta sunt. Sic *Basilius* de Filio ait *a*): *Credis genitum esse, ne quaere, quomodo.* Et S. *Ambros. b*): *Licet scire, quod natus sit; non licet discutere, quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quaerere metus est.*

II. Una est Graecorum et Latinorum sententia, Filium esse a Patre per generationem; Spiritum sanctum non generari, sed simpliciter procedere. Verum alia est circa processionem Spiritus sancti controversia, quae Graecos a Latinis dividit, utrum scilicet a Filio quoque procedat. Haec contentio ad Schisma usque pervenit, quo Graeca Ecclesia a Latina haec usque tempora scinditur. Photius, qui anno 858 pulso per ignominiam S. Ignatio sedem Constantinopolitanam invaserat, cum se a Rom. Pontifice damnatum videret, varia contra Romanam Ecclesiam accusationis capita congessit. Inter illa hoc erat praecipuum, quod doceret Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere. Hic ergo primus dogma Catholicum aperte oppugnavit, et ex Graecis quamplurimos in suam sententiam pertraxit. Photio sub Leone IV. Imperatore expulso unitas aliquo modo cum Latinis restituta quidem fuit; sed saeculo undecimo tota recruduit concertatio sub Michaële Caerulario, et Graeci pro sua levitate et inconstantia in pristinum errorem relapsi sunt.

---

a) Homil. XXIX. *b*) Lib. VII. de Trinit.

III. Illud quoque Graeci cum Latinis expostulant, quod Symbolum Constantinop. corruperint, addentes vocem *Filioque*. Quibus temporibus haec additio facta fuerit, non omnino constat. Photius, quamquam acerbe Nicolaum Pontificem arguat in duabus quas ad ipsum scripsit epistolis, tamen additionem symboli ipsi non objicit, quamvis in encyclica epistola, quam ad primarias Orientis sedes scripsit, id crimini det Latinis, quod Symbolum falsare aggressi sint. Hoc saltem indubitatum, non multo post hanc particulam additam fuisse, quia Michaël Caerularius Anno 1054 eam ob causam acerrime in Leonem IX. invehitur. — Cfr. *Bellarmin.* Lib. II. de Christo Cap. XX.

PROPOSITIO I.

Filius a Patre procedit per generationem, non item Spiritus sanctus.

Prob. Ex Fide certum est secundam Trinitatis personam esse Filium, eumque unigenitum. Ergo ad Fidem pertinet, processionem Filii esse generationem, non vero processionem Spiritus sancti.

Prob. ant. manifestis Scripturae testimoniis. Psalm. II. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psalm. CIX. *Ex utero ante luciferum genui te.* Nihil frequentius in N. T. libris occurrit, quam Filii Dei appellatio. — Idem autem qui Filius dicitur etiam *unigenitus* vocatur. Joan. I, 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Ibid. III, 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* I Joan. IV. *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* Praeterea Spiritus sanctus nullibi Filius vocatur, nullibi genitus dicitur, sed simpliciter procedens.

PROPOSITIO II.

Spiritus sanctus non a Patre tantum procedit, sed etiam a Filio.

Processionem Spiritus sancti a Patre omnes semper admiserunt, qui Spiritum sanctum Deum esse confessi sunt. De Eunomio quidem ait S. Basilius *a*): *Ut Spiritum aufert a Patre, ita eum unice unigenito attribuit.* Verum Haere-

a) Lib. II. advers. Eunom.

ticus ille Filium et Spiritum sanctum meras creaturas esse docuit et Filium a solo Patre, Spiritum vero a Filio factum asserebat. Itaque hoc unum nobis hic contra Graecos probandum est, Spiritum sanctum a Filio procedere.

ARGUMENTUM I.

Ex Scripturis.

Triplicis generis testimonia afferri possunt ex Scriptura.

I. Sententiam nostram probant ea Scripturae loca, in quibus Spiritus sanctus accipere a Filio dicitur. Cum enim Filius eo ipso, quod a Patre accipit, ab eo procedat; certe et Spiritum sanctum a Filio procedere intelligitur, cum ab eo accipit; neque enim alio modo una Persona in Deo ab alia accipere potest. Jam vero de Spiritu sancto dicitur Joan. XVI, 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed quaecunque audiet, loquetur.* Et v. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Cur autem a Christo accipiat, dicitur v. 15. *Omnia quaecunque habet Pater mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Quo et illa spectant Joan. XVII, 10. *Mea omnia tua sunt et tua mea sunt.* His omnino evincitur, nihil esse in Patre, excepta oppositione relativa, quod Filius non habeat: sed vis spirandi, quae in Patre est, nullam habet oppositionem relativam cum Filio; ergo est Filio communis.

II. Spiritus sanctus a Filio mitti dicitur: constat autem personae unius ab alia missionem supponere unius ab alia processionem. Inde est, quod Pater a nemine mittatur; Filius autem a solo Patre. Jam vero Spiritum sanctum a Filio mitti Scriptura aperte docet. Joan. XV, 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam a Patre.* Et Joan. XVI, 7. *Si non abiero, Paracletus non veniet; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

III. Idem non obscure probant loca, quibus Spiritus sanctus passim Spiritus Filii dicitur. Actor. XVI, 7. *Non permisit eos Spiritus Jesu.* Rom. VIII, 9. *Siquis Spiritum*

Christi non habet, hic non est ejus. Galat. IV, 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Hinc prorsus apposite observat *August.* a): *Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque sit Spiritus?* Et iterum cum locum illum exponeret Joan. XX., ubi Christus Discipulis suis insufflans dixit: Accipite Spiritum sanctum; *quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus et de ipso?*

ARGUMENTUM II.

Ex Patribus.

I. Ex latinis Patribus paucos tantum proferemus et tales, quos Concilia ipsa in Oriente celebrata commendant. *Hilarius* lib. II. de Spiritu S. ait: *Loqui de eo non necesse est, quia de Patre et Filio auctoribus confitendus est.* Eadem habet lib. VIII. — *Ambrosius* lib. de Symbolo cap. III. *Spiritus autem sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio: sed non est ipse Filius, quia non generatur; neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus.* Idem S. *August.* pluribus inculcat locis. Vide quae supra citavimus. S. Leo Magnus Epist. XCIII. *Alium,* dicit, *esse qui genuit, alium qui genitus est; alium qui de utroque processit.*

II. Sed praestat Patrum Graecorum testimonia recensere: horum enim, quoniam cum Graecis nobis controversia est, major est auctoritas. Neque necesse est omnia adducere, quoniam permulta sunt; sed aliqua ex multis seligimus, ut videatur, Graecos recentiores a Patrum suorum doctrina recessisse. S. *Athanasius* Orat. IV. sic de Filio loquitur: *Ipse, ut dictum est, Spiritum dat, et quaecunque habet Spiritus, haec habet a Verbo.* Et lib. de Incarnatione in haec Psalm. XXXV. verba: *Apud te est fons vitae* ... ait: *Norat David apud Deum Patrem Filium esse fontem Spiritus sancti.* S. *Basilius,* quem Graeci fere omnibus aliis anteponunt, longe erat a sententia Graecorum

a) Vid. *August.* de Trinit. lib. IV. et lib. XV. et tract. XCIX. in Joan.

recentiorum, quod ex multis ejus locis in Concil. Florentino probatum est. Sic lib. II. contra Eunomium probat, non *solum Filium* esse causam Spiritus sancti, sed etiam Patrem; quia omnia, quae habet Filius, habet Pater. *Omnia*, inquit, *mea tua sunt et tua mea sunt: quomodo igitur Spiritus causam soli unigenito attribuit?* S. *Epiphanius* haeres. LXII. *Ex Patre et Filio et cum Patre ac Filio subsistens semper Spiritus sanctus.* S. *Cyrillus* Alexand. Epistola ad Nestorium haec habet: *Spiritus non est a Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est; et proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.*

ARGUMENTUM III.

Ex Conciliorum testimoniis.

I. Clarissima est et apertissima sententia S. Cyrilli, quam modo ex ejus ad Nestorium Epistola protulimus: at illa Cyrilli Epistola lecta et approbata fuit in Oecumenicis Conciliis *Ephesino, Chalcedon.*, Constantinopol. II. et III., quae omnia ante Schisma Graecorum in Oriente celebrata fere integra ex Graecis Episcopis collecta fuerunt.

II. Praeter Concilia ista Graeca, extant et alia recentiora apud Latinos ex utraque Ecclesia congregata. Primum apud *Barum* celebratum est a Graecis simul et Latinis sub *Urbano* II. anno 1097, in quo S. Anselmus evidentissimis rationibus Graecos convicit; qui et insignem tractatum de processione Spiritus sancti edidit. Secundum est *Lateranense* IV. anno 1215 sub *Innocentio* III., in quo consentientibus Graecis ita definitum est cap. I. *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter absque initio semper et fine.* Tertium est *Lugdunense* II. sub *Gregorio* X., in quo symbolum cum additione *Filioque* ter Graece et ter Latine cantatum fuit. Quartum dein *Florentinum* fuit, ubi rursus idem definitum est post longissimas disputationes. Definitioni omnes Graeci uno excepto Marco Ephesino subscripserunt.

ARGUMENTUM IV.

Ex theologicis rationibus.

I. Secundum Patrum doctrinam non potest unum alteri esse consubstantiale, nisi inter ea sit relatio principii ad id, quod est ex principio, seu, nisi unum ex altero procedat. Sic ait S. *Basil.* epist. CCC. *Non enim, quae fraternam cognationem habent invicem, consubstantialia inter se dicuntur, ut quidam existimant: sed tunc, cum principium et quod est a principio ejusdem naturae sunt.* Sed Graeci omnes Spiritum sanctum Filio consubstantialem profitentur; ab eo igitur procedere fateantur necesse est.

II. Non est alia ratio distinguendi unam Personam ab altera, quam relationes, quibus se invicem respiciunt, juxta illud *Augustini a): Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.* Atque hinc tritum illud axioma: *In divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Verum ex relatione nulla potest oriri distinctio personarum, nisi una habeat relationem principii ad aliam. Ergo ut Spiritus S. a Filio distinguatur, necesse est, ut alter alterius sit principium. Jam vero Graeci fatentur, Spiritum sanctum non esse principium Filii; ergo reliquum est, ut Spiritus S. a Filio procedat. Hanc rationem fuse prosequitur S. Anselmus lib. de Spirit. sancti processione contra Graecos.

III. Ratio hinc depromitur, quod Pater Filio omnia communicaverit, excepta Paternitate, quod non Patres modo, sed Christus ipse diserte testatur. Joan. XVI, 15. Quare, quidquid est in Patre, excepta proprietate Patris, est in Filio: sed vis spirandi non est Paternitas, alioquin Spiritus sanctus esset Filius. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Ecclesia Latina particulam Filioque jure ac merito addidit Symbolo Constantinopolitano.

Prob. Latinis omnino licuit hanc particulam *Filioque* symbolo Constantinopolitano adjicere; atque ut adjiceretur gravissimae rationes suadebant. Ergo etc.

---

a) Tract. XXXIX. in Joan.

Prob. I. pars. Semper licuit, semperque licebit Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, addere aliquid ad fidei symbolum, cum illud necessarium judicaverit ad fidem vel illustrandam, vel adversus novos errores vindicandam. Id juris Ecclesia semper exercuit. Sic in Nicaena Synodo plura addita sunt symbolo Apostolorum, ad asserendam Christi divinitatem contra Arianos; cum autem se proderet Macedonianorum haeresis, Concilium Constantinopol. novis additamentis auxit Nicaenum Symbolum. Quod autem additio particulae *Filioque* Ecclesiae auctoritate facta sit, extra omne dubium est. Initium quidem in Hispania factum est a particularibus Synodis; Hispanos secuti sunt Galli et Germani. Sed mox et forsan jam saeculo IX. mos ille a Romana Ecclesia receptus et approbatus fuit; eumque Orientalis quoque Ecclesia tum in Concilio Lugdunensi, tum in Florentino probavit.

Prob. II. pars. Superest, ut ostendamus Latinos debuisse vocem illam symbolo addere; ut in tuto poneretur dogma de processione Spiritus sancti a Filio. Nam cum verba Concilii Constantinopolitani: *qui a Patre procedit,* a plurimis imprimis in Orientali Ecclesia eo sensu intelligerentur, quod Spiritus sanctus a Patre solo procederet; necesse erat pravae interpretationi occurrere per explicationem illorum verborum. Quapropter Concilium Florentinum hanc additionem legitimam declaravit in sua Fidei definitione, cui omnes Graeci et Latini subscripserunt. *Definimus,* ajunt Patres, *explicationem illorum verborum, Filioque, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*

Porro propos. II. probatum est, Spiritum sanctum a Patre et Filio simul procedere, unde merito cum S. *Gregorio Nazianz.* dicimus: *Si ita credendum, cur non ita dicendum?*

CONTRARIA SOLVUNTUR.

Objiciunt *contra* I. *propos.* Nemo explicare adhuc potuit, cur Filii processio generatio dicatur, aut in quo haec generatio differat a processione Spiritus sancti. Ergo etc.

Resp. I. neg. conseq. Quae fides divina docet, credenda sunt, non scrutanda: rem ita se habere ex Revelatione cognoscimus, quamvis quomodo illa sit, non intelligamus.

Resp. II. Theologi in solvenda difficillima hac quaestione magno studio sese exercuerunt. Inutilis ut plurimum labor, quia nimius: si autem sobrius sit, et ab omni vana curiositate alienus, non est omnino vituperandus. Ut lumen aliquod huic materiae affunderetur, necesse erat primum accuratam generationis notionem quaerere, quae apta sit, ut in Verbi divini generationem transferretur. Generatio proprie sumta definitur a S. Thoma *a*): *Origo viventis, a principio vivente conjuncto, secundum naturae similitudinem.* Dicitur 1.° *Origo viventis a vivente;* unde quae vitam non habent, non generant; neque generari dicuntur, quae etsi ex vivente oriantur, vitam tamen ipsa non habent, ut capilli, ungues etc. 2.° *A principio conjuncto;* id est, vel decisa aliqua parte substantiae, ut in generatione animali, vel per naturae totius communicationem, ut in divinis, quae generatio longe est perfectior. 3.° Dicitur *secundum naturae similitudinem,* atque in hac similitudine praecipue consistit generationis notio.

Praemissa nunc hac genuina generationis definitione, dicunt Theologi, Processionem Filii ideo generationem vocari, quia per intellectum producitur: intellectus enim ex propria sua virtute tendit ad producendum terminum similem objecto cognito, et quidem tanto perfectiori similitudine, quo intellectus perfectior est. Contra, cum voluntas per se non tendat ad expressionem similitudinis, sequitur Spiritum sanctum non esse similem suo principio vi processionis, sed vi naturae, quam habet a Patre et Filio sibi communicatam. Intellectio autem, ut diximus, per se, et ex generis sui proprietate est similitudo rei cognitae.

Haec et alia multa Theologi de ineffabili Mysterio disserunt. Nos iis, quae penitus ignorare Theologo non licet, quantum potuimus breviter delibatis ad primam responsionem redimus, totum propositionis nostrae fundamentum in Revelatione collocantes. *Sive capias, sive non capias,* ait S. Augustinus *b*), *de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus est, iste*

---

a) I. Parte Quaest. XXVII. Art. II. *b*) Lib. II. cont. Maxim. Cap. XIV.

procedens: quid autem inter nasci et procedere intersit de illa excellentissima natura loquens explicare quis possit? Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur. Haec scio: distinguere autem inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Et *S. Ambros. a)* in haec verba Domini: Duc in altum: *Etsi non licet mihi scire, quomodo natus sit, non licet tamen nescire, quod natus sit. Seriem generationis agnosco. Non interfuimus, cum ex Patre Dei Filius nasceretur, sed interfuimus, cum a Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credamus?*

Imprimis cum de divinis agitur, necesse est animo removere omne imperfectum, seu humanum generationis modum; et mentem abstrahere a sensibus et humana philosophandi ratione. Miro et ineffabili modo haec in Deo sunt, quem si quis vult a nobis curiosius sciscitari, respondemus cum S. Hilario *b)*: *Ego nescio, non requiro; et consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, saecula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit . . .* et in eodem libro: *Dicturus de inenarrabili generatione Filii aestuo, differor, hebesco et unde incipiam nescio.*

Objiciunt *contra* II. *propos.* 1.° In Scripturis, cum de processione Spiritus sancti agitur, disserte asseritur, eum a Patre procedere, nulla de Filio facta mentione. Joan. XV, 22. 2.° Quarto adhuc saeculo Patres Constantinop. hoc unum definierunt, Spiritum sanctum a Patre procedere. 3.° In Concilio Ephesino lectae sunt Theodoreti confutationes contra Cyrillum, in quibus negat Spiritum sanctum a Filio procedere; idem in symbolo Nestoriano traditur; nec tamen in Synodo Ephesina haec symboli Nestoriani et Theodoreti sententia damnata est. Ergo etc.

Resp. ad I. Hoc argumentum ex iis, quae jam dicta sunt, facillime diluitur. Minime eo loco negatur Spiritum sanctum a Patre procedere: imo contrarium potius insinuatur, sicut in argumento ex Scripturis petito supra ostendimus. Unde temere omnino Photius *c)* hoc argumentum vocat acutum et inevitabile telum. Illud jam everterat *Augustinus d)*: *Si de Patre et Filio*

---

a) In Lucam. Lib. IV. N. 71. *b)* Lib. II. de Trinit. *c)* Lib. contra Nicol. I. *d)* Lib. II. de Christo Cap. XXIII.

procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? A quo autem habet Filius, ut sit Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Praeterea notum est ea, quae pluribus Personis communia sunt, in Scripturis de una tantum praedicari, ita tamen ut aliae non excludantur.

Ad II. 1.° Hic et ea responderi possunt, quae modo dicta sunt, ad illa verba Christi Joan. XV. *Qui a Patre procedit.* 2.° Cur Concilium non adjecerit, *ex Filio*, sed satis esse censuerit dicere: « qui a Patre procedit, » ratio est certissima, quia eo tempore dubium non erat, an Spiritus ex Filio procederet; id enim Haeretici concedebant, ut constat ex Basilio Lib. II. in Eunomium; sed de Patre potius controversia erat, a quo alienum omnino Spiritum S. tanquam solius Filii creaturam Haeretici esse dicebant. Concilium ergo ut remedium morbo adferret, id posuit in Symbolo, quod necesse erat. Ita *Bellarmin. a*).

Ad III. In Ephesina Synodo Epistola S. Cyrilli ad Nestorium lecta est, et laudata, in qua Spiritus sanctus Filii proprius, et ab eo procedens statuitur. Unde dubia esse non potest Concilii sententia; noluit tamen tunc expresse disputare de ista quaestione; tum quia propter aliud negotium convenerat; tum etiam, quia removenda erat omnis suspicio haeresis Macedonianorum, qui his verbis: *Spiritus sanctus est proprius Filii:* vel: *Habet suam substantiam a Filio*, frequenter utebantur, ut significarent Spiritum S. a Filio fuisse creatum. Unde quae in Nestorii aut Theodoreti scriptis processionem Spiritus a Filio spectabant, a Concilio sumi poterant, tanquam contra Macedonianos dicta. Notum enim est, Nestorium ejusque asseclas magnum adversus omnes, qui ante eos fuerant, Haereses zelum affectasse.

Instant. Si Spiritus sanctus a Patre et Filio procederet, duo haberet principia; ergo esset duplex; nam tot sunt termini processionum aut procedentes, quot sunt principia.

Resp. neg. ant. Spiritus sanctus a Patre et Filio tanquam ab unico principio procedit. Ita semper docuit Ecclesia. Ita in

---

a) Lib. II. de Christo cap. XXIII.

Concilio Lugdun. II. decretum est, ubi Graeci interfuerunt *a*). Ita Concil. Florent. definivit consentientibus Graecis. *Definimus*, inquiunt Patres, *quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est .... et ex utroque aeternaliter tanquam ex unico principio et unica spiratione procedit.* In Patre et Filio una est et eadem vis spirandi, quia nulla adest oppositio relationis, ergo unicum sunt principium Spiritus S., quemadmodum tres personae unicum rerum creatarum principium sunt; quia cuncta procreant, non quatenus sunt distinctae ab invicem, sed quatenus in una vi creatrice conveniunt.

Objic. *contra III. propos.* 1.° Concilium Ephesinum Actione VI. prohibuit, ne novum Symbolum fieret aut veteri aliquid adderetur. 2.° Additio particulae *Filioque* a Conciliis particularibus facta est, neque probata fuit Leoni III. Ergo etc.

Resp. ad 1. In Ephesina Synodo prohibentur additiones, quae sensum symboli mutant et pervertunt: prohibetur ἑτέρα πίστις, fides altera, et Catholicae adversa, non amplior aliqua professio. Quae autem symbolo addita fuit particula *Filioque*, magis est fidei explicatio, quam nova professio; non enim fidem Nicaenam evertit, sed exponit. Et sane, an non Patres Constantinop. symbolo Nicaeno addiderunt ea, quae Spiritus sancti divinitatem concernunt, et quae, quid Ecclesia per illa verba: *Credo in Spiritum sanctum* intelligat, clarius et apertius ostendunt? Quin et illis, quae de Patre et Filio in Nicaena synodo scripta sunt, nonnulla in Constantinop. Concilio adjecta fuerunt explicationis gratia; ut: *Visibilium omnium et invisibilium.* — Post verbum *incarnatus* verba haec: *de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Item *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato.* Et post verbum *passus*, haec alia: *et sepultus est.* Item: *Sedet ad dexteram Patris* — et: *Cujus regni non erit finis.*

Ad II. Additio *Filioque* primum facta est Conciliorum particularium auctoritate, atque, ut communis sententia est, in Hispania, ut gens Gothorum, quae ab Arianismo ad fidem Catholicam conversa fuerat, expressam haberet hujus doctrinae professionem. Galli et Germani exemplum Hispanorum secuti sunt. Id quidem moleste ferebat Leo III., quamvis de re ipsa cum

a) Corp. J. C. in Sexto Lib. I. Tit. I. Cap. un.

illis Ecclesiis consentiret. *Ita sentio, ita teneo*, respondit Pontifex legatis Concilii Aquisgranensis. Cum autem Graeci ab hoc imprimis tempore contra antiquorum Patrum doctrinam processionem Spiritus sancti a Filio impugnaverint, Romana Ecclesia cum toto Occidente additionem probavit, ut errorem publica fidei professione retunderet. Cfr. *Natal. Alexandr.* Dissert. X. in Saecul. XV.

CAPUT SECUNDUM.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

OBSERVANDA.

I. Missio in divinis est Personae unius ab altera processio conjunctum habens aliquem effectum temporalem. Duo igitur, ut S. *Thomas* docet *a*), ad missionem proprie dictam requiruntur, processio Personae, quae mittitur, et externa quaedam efficientia; haec temporalis est, illa aeterna. Origo itaque, seu processio omnino est necessaria, ut persona mitti possit, sed ad absolutam Missionis rationem praeterea requiritur externum aliquid in tempore factum; nam Persona, quae mittitur, novo aliquo modo fit praesens in locis, ad quae mittitur; ita autem praesens fieri non potest per substantiam, cum ubique sit per immensitatem, ergo per externam efficientiam, seu novum effectum, quem operatur. Exinde tamen inferri non potest mutationem in Personis fieri, ipsa enim Missionis essentia aeterna est; effectus autem externus in tempore productus nobis Missionem ab aeterno existentem manifestat et ob hanc causam interdum Missionis nomen obtinet. Neque exinde dependentiam inferre licet, sed tantum originem et emanationem unius Personae ab alia. Et optime S. *Augustinus* observat *b*): *Non genitorem ab eo quem genuit, sed genitum a genitore mitti oportebat: verum hoc non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae: non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero.*

---

a) Part. I. Quaest. XLIII. Art. 2. *b*) Lib. III. contra Maxent.

II. Duplex porro est Missio Personarum, una interior et spiritualis, altera externa et sensibilis. Externa et visibilis fuit missio Filii, quando inter homines apparuit. Sic et Spiritus sanctus corporali specie in Apostolos descendit. Imo vetustissimi ecclesiastici scriptores in ea sunt sententia, ut credant Filium Dei sub persona Angeli in veteri Testamento sanctis Patriarchis et Prophetis apparuisse. De interiore missione loquitur Christus cum ait Joan. XIV, 23. *Siquis diliget me, sermones meos servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Ad Rom. V, 15. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et Galat. IV, 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Quod autem haec invisibilis missio non tantum fiat per communicationem donorum, sed per novam quandam et ineffabilem divinarum Personarum cum anima unionem etiam penes substantiam ex Script. et PP. testimoniis fuse ostendit *Petavius* lib. VIII. cap. IV. et seqq.

Ex missione Patres probant Personarum realem distinctionem, nemo quippe mittitur a se ipso: id quoque passim observarunt, Personas divinas ab iis solis mitti, a quibus procedunt. Unde cum Christus mitti dicitur a Spiritu S., id de Christo ut homine intelligendum est.

PROPOSITIO.

Datur in divinis missio, qua Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio mittitur.

Prob. I. pars. Joannis III, 16. 17. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum.* Ibid. cap. VI, 58. *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem.* Cap. VIII, 16. *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater.*

Prob. II. pars. Joan. XIV, 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine meo.* Cap. XV, 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam a Patre.* Cap. XVI, 7. pollicetur Christus, se, cum assumptus fuerit, missurum Spiritum sanctum. *Si abiero, mittam eum ad vos.*

Haec Filii et Spiritus sancti missionem diserte exprimunt, neque necesse est diutius morari in re tam aperta.

CAPUT TERTIUM.

DE ALIIS QUIBUSDAM SS. TRINITATIS PROPRIETATIBUS.

OBSERVANDA.

I. Personae nomen tum veteribus, tum recentioribus usu tritum est, ejusque definitionem a Boëtio allatam omnes amplexi sunt. Definitur autem: *Naturae rationalis individua substantia.* Primum dicitur *substantia*, ut excludantur accidentia. Deinde additur, *rationalis* et *individua:* quia de ratione personae est, ut sit intellectualis natura, eaque incommunicabilis alteri personae. Porro per substantiam intelligimus subsistentiam; alias ridicula foret definitio et idem esset, ac si diceretur: Naturae rationalis individua natura. *Personalitas* a Persona distinguitur, sicut humanitas ab homine; vocatur etiam *hypostasis*, *subsistentia*, vel *proprietas personalis.*

II. *Relatio* est ordo, seu respectus unius ad aliud. Duplex est, altera, quae existit in ipsa re, et independenter a mente, et realis dicitur: altera, quae per mentem tantum efficitur. In Deo relationes iterum aliae sunt externae, aliae internae. Externae illae vocantur, quae tribus Personis sunt communes, et quibus Deus ad res creatas refertur quodammodo. Internae sunt aliquis ordo vel respectus Personarum divinarum ad se invicem. Vocantur relationes originis, quod origines ipsae sint earum fundamenta.

III. *Notiones* divinae sunt totidem notae et characteres, quibus Personae divinae aliae ab aliis cum aliqua dignitate secernuntur. Tria a Theologis ad notionem requiruntur: 1.° Ut sit aliquid proprium uni Personae, aut certe duabus tantum. 2.° Ut aliquam dignitatem adjunctam habeat. 3.° Ut serviat ad cognoscendum numerum Personarum.

IV. *Circuminsessio*, quam Graeci περιχώρησιν vocant, est mutua Personarum in se invicem existentia. Ex hac mutua et

intima inhabitatione unius Personae in alia Patres probarunt Personarum consubstantialitatem contra Arianos et earum distinctionem contra Sabellianos, nam quod omnino unum est, in se ipsum immeare et quasi penetrare non dicitur, quod proprie significat circuminsessio.

De his necesse non est diffusius disputare. Sicut ad dogmatis integritatem pertinent, ita ex dogmate quoque sponte defluunt et quaedam sunt consectaria eorum, quae toto hoc libro a nobis exposita fuerunt.

PROPOSITIO I.

Tres sunt in SS. Trinitate Personalitates.

Prob. Tot sunt in Deo Personalitates, quot sunt Personae; nam multiplicato concreto substantivo, multiplicatur abstractum, ut vetus Philosophia docet. Ergo etc. Ubi enim est Pater, ibi est Paternitas; ubi Filius, ibi Filiatio; ubi Spiritus procedens, ibi processio, aut Spiratio activa.

PROPOSITIO II.

In Deo sunt quatuor Relationes reales.

Prob. Duae sunt processiones, ut jam probatum est, nempe generatio Filii et processio Spiritus sancti. Atqui unaquaeque processio duplicis relationis fundamentum est. Ergo etc. Hinc in Deo est 1.° *Paternitas,* qua Pater refertur ad Filium; et *Filiatio,* qua Filius refertur ad Patrem. 2.° *Spiratio activa,* quae respectum dicit Patris et Filii ad Spiritum sanctum, et *Spiratio passiva,* quae est respectus Spiritus sancti ad Patrem et Filium.

Nota. Illas relationes reales quidem esse oportet, quia inter Personas realiter distinctas existunt; verumtamen non omnes inter se realiter distinguuntur, sed illae tantum, quibus aliqua Personalitas exprimitur. Reipsa distinguuntur inter se, Paternitas, Filiatio et Spiratio passiva, quae tres Personas actu distinctas constituunt. Spiratio autem activa realiter non distinguitur a Paternitate et Filiatione, quia nullam cum illis relationis oppositionem habet, sed tantum cum Spiratione passiva.

PROPOSITIO III.

Quinque sunt notiones in Deo, nempe quatuor relationes et innascibilitas.

Prob. Quatuor relationes totidem notas esse, quibus una Persona ab alia distinguitur, satis per se apertum est. Quod autem adjiciatur *innascibilitas,* ratio est: quia illud, quod Patrem ab aliis Personis quam maxime distinguit, scilicet quod ipse a nullo principio sit, in notione Paternitatis non continetur. Id recte observat S. *Augustin.* lib. V. de Trinit. *Alia est notio qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus.*

PROPOSITIO IV.

Admittenda est in divinis Personarum circuminsessio.

Prob. Personae divinae existunt in una natura, et quamvis realiter inter se distinguuntur, tamen realiter non distinguuntur a natura: oportet ergo ibi esse tres Personas, ubi est essentia; et cum essentia sit in qualibet ex tribus Personis, sequitur, omnes tres Personas esse in una quaque Persona.

Id ipsum Scriptura docet. Joan. XIV, 10. Christus ait: *Non creditis, quia Ego in Patre et Pater in me est?* Et Joan. XVII. *Sicut tu Pater in me et Ego in te.* SS. Patrum testimonia collegit Doctiss. *Petavius* lib. IV. de Trinit. cap. XVI.

SCHOLION.

Non est, cur multa disseramus de nominibus, quibus Personae divinae signari solent, et de modo recte loquendi de ineffabili Mysterio. Praeter omnia illa, quae Personae cuilibet *propria* sunt, et quae in tota hujus libri tractatione occurrunt, alia sunt, quae *appropriata* vocantur; quia uni Personae prae aliis ob specialem aliquam rationem tribuuntur, quamvis aliquid dicant, quod toti Trinitati commune est. Sic Patri creatio, Filio generis humani reparatio, Spiritui sancto sanctificatio hominis specialius attribuitur. Quod modum attinet et loquendi formulas, quae in explicanda Trinitate adhiberi solent, in genere no-

tandum est: quando de natura agitur, caute evitanda esse, quae partitionem, inaequalitatem, aut numerum designant: quando autem de Personis sermo est, sollicite cavendum, ne quid dicatur, quod identitatem, aut confusionem exprimeret. Calvino valde displicet trita illa Christianorum precatio: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Sed magnae insipientiae et arrogantiae signum est, loquendi formulam notare, quae tot exemplis Patrum comprobata est. Barbariem sapit, ait Calvinus; nam barbare loquitur, qui abstracta pro concretis usurpat; ut si quis diceret, humanitas sedet. Verum et hoc falsum est Trinitatem esse nomen abstractum. Trinitas nomen collectivum est, ac idem apud Latinos, quod apud Graecos ἡ τριὰς seu ternarius; et sensus illius formulae est: *Tres Personae, unus Deus.* Scopulos omnes in tam difficili materia facile evitabit, qui iis tantum loquendi formulis utitur, quas Scriptura, Traditio, Ecclesiae et Scholarum usus consecravit; neque alium sensum illis affingit, praeter eum, quem Ecclesia et usus determinavit. Cf. *Tournel.* de Trinit. Quaest. ultima.

His nunc finem facimus huic tractationi de Sanctissimo et adorando Trinitatis Mysterio, de quo nonnisi timide loqui potest humana imbecillitas; cum omnia, sicut captum, sic et sermonem omnem humanum transcendant. Iterum iterumque inculcandum putamus Theologiae Candidatis, ut summa Religione custodiant *formam sanorum verborum a*), et fidei firmitate animum muniant, antequam ad hujus Mysterii qualemcunque intelligentiam pervenire praesumant, *ne in opinionem noxiae falsitatis temeritas inordinata praecipitet;* ut sapienter monet S. *Augüst. b*), quia, ut ipse subjicit, *humanae mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur; nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur.* Qua ratione enim percipere valebimus tam excellentem et salutarem doctrinam, nisi, ut idem S. Pater observat, fide corda mundentur et praeparentur, ut magnae rationis capiant et perferant lucem?

Quid prodest tibi, ait auctor Imitationis *c*), *alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?* Et S.

---

a) II *Timoth.* I, 13. *b*) Lib. IX. de Trinit. cap. I. *c*) Lib. I. cap. I.

Bernardus *a*): *Scrutari haec temeritas est, credere pietas est, nosse via et vita aeterna.*

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 110. *Leibnitzius* in systemate Theologico de Trinitate ita loquitur, ut non omnia penitus repudiat, quae ad eam utcunque explicandam valere possunt: at simul ostendit ejusmodi veritates, quae e coelo ad homines allatae sunt, extra limites positas esse humanae demonstrationis. «Solita est antiquitas, ait, et ut mihi videtur sapienter, et ad captum nostrum accommodate, Mysterium hoc illustrare analogia trium potissimarum mentis facultatum, sive agendi requisitorum, quae sunt posse, scire, velle; ita ut Patri tanquam fonti divinitatis potentia, Filio tanquam Verbo mentis sapientia, Spiritui sancto autem voluntas, sive amor adscribatur; unde ordo quoque divinarum Personarum declaratur.» Ante jam dixerat: «Docent sacra Christianorum monumenta, Deum summum (quem ipsa ratione constat esse unicum numero) nihilominus Personis trinum esse, ac proinde tres in unico Deo existere Personas divinitatis (quod rationem omnem supergreditur).» Optime Kantiani dicunt, in iis quaestionibus, quae Religionis Mysteria concernunt, nihil posse ex rationis judicio definiri. Non ita ex Schellingii Schola quidam; qui, incredibile dictu! subsidium revelatae Religioni in novissima hac disciplina quaerunt, et Trinitatem invenisse se existimant in illa Philosophia, in qua alii ne Deum quidem inveniunt. Hic praeter caeteros nominandus est Clariss. D. *Zimmer*, cujus systema pluribus exponit D. *Dobmayer b*). Mirandum certe, virum singulari ingenii acumine, et multimoda eruditione conspicuum, et quod majus omnibus est, summo Religionis et pietatis studio flagrantem id sibi in animum inducere potuisse, ut crederet incertae et instabilis Philosophiae ignes volaticos lucem effundere posse in aeternae veritatis arcana. Nunc Reli-

a) Lib. III. de Consid. cap. VIII. *b*) Tom. V. §. 99. Nro. 4. litt. c. — et §. 100. litt. o.

gioni, Ecclesiae, et bonis omnibus flebili morte ereptus divino circumfusus lumine a longinquo videt, quanta caligine obductum sit humanae Philosophiae sterile et mobile solum.

. . . . Illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratus et astra
Fixa poli, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies.

LUCAN.

(2) Pag. 119. Fateor me non posse ad eorum partes accedere, qui testimonia omnia, quae ex V. T. hauriuntur, cum supercilio repellunt; et se nunc acutiores et sapientiores esse putant, si id non vident, quod tot excellentissima ingenia, tot summae eruditionis viri ad nostra usque tempora viderunt. Nimis haec modernam eruditionem sapiunt ex recentiorum Protestantium et Neologorum quorundam scriptis collectam, quorum auctoritate quidam etiam sanioris doctrinae assertores plus, quam par est, commoventur. D. *Dobmayer* plura de hac materia disserit, non satis, ut mihi videtur, clare et accurate. In adnotatione ad Nr. 3. §. 82. ait: „Die Christen, nachdem sie die Aufklärung durch das Evangelium erhalten haben, sehen nun im alten Testamente vieles, was den Juden verborgen war." Allein wie kann denn das Licht des Evangeliums uns in dem alten Testamente zeigen, was nicht darin liegt? Liegt es aber darin, so ist ja unsere Behauptung wahr." — Ferner heißt es: „Darf man aber das Licht des neuen Testamentes in das alte übertragen?" — Warum denn nicht? Geschieht dieses nicht in mancher Rücksicht, und muß es nicht geschehen?

(3) Pag. 124. Fateor me, cum hanc materiam tractarem, et quaedam a Catholicis hac de re dicta perlegerem, valde commotum fuisse. Optime scio, Catholicum dogma ab hujus commatis authentia non dependere: sed levioris eruditionis, et vix non dicerem temeritatis cujusdam indicium est, in tota hac tractatione gravissima argumenta, quae pro authentia textus pugnant, ne indicare quidem, optimorum et doctissimorum Catholicorum interpretum ac Theologorum auctoritatem pensi habere, omnia autem ex Protestantium et recentiorum quorundam placitis definire. Utique operae pretium est Catholicis scire, D. *Hezelium* virum protestanticum, cum pro versus illius authentia

primum pugnasset, postmodum alterius Protestantis D. *Griesbachii* argumentis ita convictum fuisse, ut ad ejus sententiam prono animo accederet, et ab hoc tempore causam inter Protestantes finitam esse. Eheu quam multa hodie finita sunt apud Protestantes, quae Verbo Dei omnino repugnare nemo Catholicorum negare potest! — Verum quid de Catholicis idem auctor dicat, audiamus. «In hac Apostoli declaratione, ait D. *Dobmayer a*), totam doctrinam tum de diversitate Patris et Filii et Spiritus sancti, tum de unitate naturae contineri, communior fuit olim Theologorum sententia; donec *Richardus Simon* authentiam versiculi septimi, et alii etiam vim probandi ejus in dubium vocarint.» — Quis non crederet, sicut Griesbachium Protestantium, ita Richardum Simonem Catholicorum sententiam mutasse? Sed ille Richardus paucos tantum Hezelios saltem in Gallia reperit. Ac miror valde, multo majorem esse hujus viri apud Germanos, quam apud suos populares auctoritatem. Optandum esset, ut ii, qui ejus critica delectantur, ea quoque perlegerent, quae a magno *Bossuetio* de viri hujus eruditione ambitiosa magis, quam solida, et audaci nimis in judicando temeritate dicta sunt *b*). Pauca tantum subjicimus. In mandato Episcopali, quod Illustriss. Praesul instructionibus suis praemisit, de Richardo *Simone* ait (pag. 317). «Ses *Critiques* de l'ancien et du nouveau Testament nous venaient des lieux, où l'hérésie domine, sans avoir pu mériter l'approbation d'aucun Docteur Catholique; et la *Critique* du vieux testament était à peine imprimée en France, qu'elle y fut condamnée et supprimée.» Et pag. 383. «On voit trop clairement, que l'auteur se veut donner l'avantage audessus de tous les traducteurs sous prétexte de cette science (la connaissance des langues et de la Critique), qui rend ordinairement les hommes vains, plutôt que sages et judicieux.» Et postea: «Lorsqu'on croit que c'est savoir tout, que de savoir les langues et la grammaire, on ne veut qu'éblouir le monde. Je dirai même librement, que dans l'hébreu et le grec de notre auteur il y a plus d'ostentation que d'utilité. Qu'on parcoure tous les endroits, où nous avons démontré que l'auteur se

a) Tom. V. §. 81. *b*) Oeuvres de Bossuet. Edit. de Lebel tom. IV. pag. 315. 381 — 510 etc.

trompe, on verra, qu'il s'est ébloui lui-même, ou qu'il veut éblouir les autres par son grec, ou par son hébreu, et qu'il cache sous sa critique une ignorance profonde de la tradition, et de la théologie des Pères.» Vide etiam pag. 610. ubi aliqua occurrunt, quae idipsum concernunt, quod in quaestione versatur, scilicet authentiam v. 7. ex I Joan. V.

(4) Pag. 154. Notatu dignum est vocem *Dominus*, quando absolute ponitur, et apud Graecos ὁ κύριος cum articulo, idem esse ac Deum. Imo LXX. qui Θεὸς ponunt pro hebraeo *Eloah*, gloriosum nomen *Jehova*, quamquam maxime Deo proprium est, fere semper per κύριος *Dominus* interpretantur. Hinc S. *Chrysostomus a*): *Nec enim Deus nomen majus, quam Dominus esse, nec Dominus minus quam Deus, patet in veteri testamento.* Sic cum Psalmista de veri et summi Dei majestate et potentia locutus esset, addit *b*): *Ut cognoscant, quia nomen tibi Dominus; tu solus Altissimus in omni terra.* Unde et illud consequitur, divinam aeternamque Christi originem evidenter probari ex eo, quod illi in N. T. nomen κύριος quasi proprium tribuatur. Illud enim nomen Apostoli ex graeca V. T. interpretatione habuerunt, in qua idem ac hebraeum *Jehova* significat. Observant eruditi, hunc titulum κύριος *Dominus*, in scriptis Apostolorum simpliciter et absolute mille vicibus Christo tribui. — Accedit et illud, neminem olim Dominum vocatum fuisse apud Romanos. *Suetonius* narrat Imperatorem *Augustum*, cum ab actore quodam scenico Dominus appellatus fuisset, et omnis multitudo hac insolita compellatione commota oculos in eum intendisset, prohibuisse, ne unquam hoc nomine vocaretur. Postmodum usus per assentationem invaluit, ut Imperatores quemadmodum Dii, ita et Domini dicerentur. Sic Martialis Domitiani adulator eum vocat *Dominum, Deumque nostrum.*

(5) Pag. 174. Sehr richtig bemerkt Schwarz in seinem Handb. (II. B. S. 213.): „Wenn wir von der Lehre der katholischen Kirche in Ansehung der Gottheit Jesu abweichen, so müssen wir entweder den Charakter Jesu und seiner Apostel ganz compromittiren; oder einen subordinirten Gott, das heißt, eine

---

a) Homil. V. de incomprehensibili Dei natura, contra Anomaeos. *b*) Psalm. LXXXII. v. 19.

wahre Abgötterei annehmen; oder den Begriff von der Gottheit gar aufheben; oder eine Erklärungsart auf die Bibel übertragen, dergleichen wir bei keinem Buche in der Welt mit Vernunft annehmen können." Seite 212. wird Lessings Zeugniß angeführt, welcher ausdrücklich sagt a), daß, wenn Christus nicht wahrer Gott ist, die mahomedanische Religion eine unstreitige Verbesserung der christlichen war, daß Mahomed unstreitig ein größerer Mann gewesen wäre, als Christus, indem er weit wahrhafter, weit vorsichtiger und eifriger für die Ehre des einzigen Gottes gewesen, als Christus; weil dieser durch seine Aeußerungen einen gar zu gefährlichen Anlaß zur Abgötterei gegeben hätte; da hingegen dem Mahomed keine einzige dergleichen Aeußerung zu Schulden kommt. — Sieh auch Schwarzhueber I. B. S. 280. und *Dobmayer* tom. V. §. 94. Nr. 3.

a) Lessings Beitr. zur Geschichte und Litterat. II. B. S. 410.

LIBER TERTIUS.

DE DEO CREATORE.

De Deo, ut in se est, quantum potuimus, accurate et copiose disputavimus. Primum quidem de divinis attributis egimus et de excellentissima Dei natura, qua nihil potest esse perfectius, nihil beatius: postea inenarrabilis Mysterii, quod ab aeterno in Deo absconditum erat, quosdam veluti radios ex Revelatione collegimus et infinitam Dei naturam in tribus Personis non triplicem, non partitam, sed unam et individuam monstravimus; non humani ingenii imbecillitate divina metientes; sed quae a Deo didicimus humili fide et magna pietate amplectentes. Nunc rectus disciplinae ordo exigere videtur, ut Deum, quatenus est rerum omnium causa, contemplemur. Hactenus Deus! Hactenus aeternitas! Nunc magnus nascitur saeculorum ordo, nunc rerum creatarum incipit series. Hic jam nihil non effectum, nihil non temporis et spatii limitibus coarctatum, nihil non fluxum et mutabile, ac non suis, sed Conditoris legibus adstrictum.

In hac immensa propemodum rerum multitudine impossibile est singula perlustrare, neque illud instituti nostri ratio poscit; postquam igitur de creatione quaedam dixerimus, quae initium est operum Dei, tum de naturali providentia, seu de conservatione et gubernatione hujus universi, quae est quasi continuata creatio; nos statim convertemus ad ea, quae ad Theologiae dogmaticae disciplinam propius pertinere dignoscuntur; et speciatim de homine tractabimus et de Angelis. Ac homo quidem, qui corpore et anima constat, in aspectabili hoc mundo principem locum tenet, nec quidquam magis ad nos pertinet, quam generis nostri scire originem et ea tristissima fata, unde praesens vitae humanae conditio et tota salutis nostrae

oeconomia sumpsit exordium. Sed de Angelis quoque frequens est in Scripturis mentio, neque illi a salutis nostrae negotio extranei sunt; nam qui mali sunt inter illos, non tantum communis nostrae ruinae artifices fuerunt, sed non cessant in nos infesta moliri; qui autem in bono steterunt, magna nobis sunt necessitudine devincti et sua nos ubique ope tuentur.

Totam hanc tractationem in IV. capita dividemus: I. Erit de creatione et gubernatione hujus universi. II. De creatione Angelorum et hominis, ac statu eorum primigenio. III. De Angelorum et hominis lapsu. IV. De Angelorum cum homine nexu.

CAPUT PRIMUM.

DE CREATIONE ET GUBERNATIONE MUNDI.

§. I.

De creatione.

OBSERVANDA.

I. Nemini, qui ratione sua utitur, dubium esse potest, quin mundus a praestantissimo opifice conditus fuerit: nihil enim stultius, quam omnia casu et fortuna, non ratione facta fuisse arbitrari. Hinc perpauci fuerunt ex veteribus Philosophis, qui cum Lucretio ita desipuerunt, ut crederent mundum ex turbulenta atomorum concursione prodiisse. Hanc amentiam pluribus refellit Balbus apud *Tullium* lib. II. de natura Deorum. Melius sane Platonici, qui, ut idem Tullius ait, ex operibus magnificis atque praeclaris, cum ipsum mundum et ejus membra, coelum, terras, maria, tum horum insignia, solem, lunam, stellasque vidissent, suspicati sunt, aliquam excellentem esse praestantemque naturam, quae haec fecisset.

Attamen Platonici vera falsis miscebant. Quamvis enim mundum formatum dicerent a Deo et in eum quem cernimus ordinem digestum; omnes tamen eo errore lapsi videntur, quod

materiam aeternam crediderint; neque in mentem sibi inducere potuerint, res aliquas ex nihilo prodire, aut in nihilum reverti posse, ut ita optimo jure asseri possit, nullam unquam Philosophorum Scholam de ortu mundi recte per omnia sensisse. Alii quippe mundum aeternum finxerunt, ut Aristoteles; alii casu et ex fortuito atomorum motu eum prodiisse commenti sunt, ut Epicurei; alii mundum a Deo factum statuerunt, sed ex materia aeterna, quemadmodum ex lignis et lapidibus domum construit architectus; aut materiam ex Deo emanasse somniabant. Ita scilicet per omnes errandi vias excurrit ratio, cum meliore luce destituitur. Tamen nullibi naturalis Philosophia facilius cum fide conciliatur: nam, quod haec docet, ratio quoque omnino confirmet, necesse est.

II. Quo magis mirari subit, Haereticos olim fuisse, et plures nostra aetate reperiri Philosophos, qui rejecta Revelationis luce veterum opiniones recoquere non erubuerunt. Omnia quippe his viris probantur, dummodo a fide Christiana aliena sint. Materiae aeternae figmentum inter antiquos Haereticos suscitarunt *Hermogenes* et *Marcion*, quos Tertullianus *Materiarios* vocat. In eodem errore versati sunt *Manichaei*. Inter recentiores creationem ex nihilo directe impugnarunt *Voltarius et Rousseauvius;* emanationis systema suum fecisse videtur *Spinoza* et quidam alii. Vid. doctiss. *Wiest* Op. M. tom. IV. hist. doct. de creat.

PROPOSITIO.

Deus universum hoc creavit ex nihilo.

Prob. I. *ex Scripturis.* Moses Genesin, seu librum de origine mundi ita orditur: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Coeli et terrae nomine totum continetur universum, ut saepius in Scripturis; idque aperte in his Apostoli verbis exprimitur Actor. XVII, 24. *Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus.* Fatemur equidem, vocem hebraicam בָּרָא *bara,* sicut et graecam ἐποίησε et latinam *creavit,* non necessario creationem proprie dictam, aut productionem ex nihilo significare: verum, qui textum citatum accurate perpenderit et attenderit ad scopum Mosis, id uti-

que animadvertet, de prima rerum origine agi, ac ipsius materiae productione, ex qua factus est mundus; idque non parum confirmatur ex constanti Judaeorum traditione, qui semper et creationem ex nihilo crediderunt et eam illo textu significari docuerunt. Sic lib. II. Machab. VII, 28. mater septem martyrum filium natu minimum his verbis hortatur: *Peto nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus.* Eodem sensu accipienda sunt verba Psalm. CXLIX. *Qui fecit coelum et terram et omnia, quae in eis sunt.* Et illud Sapient. I. *Creavit, ut essent omnia.* — Conferri possunt Critici sacri tom. I. impr. *Fagius* et *Clarkius* in cap. I. Genesis. (1)

Prob. II. *SS. Patrum et Conciliorum auctoritate.* Ad probandam Traditionis seriem luculenta afferri possent antiquorum Patrum testimonia. *Liber Pastoris* tempore Apostolorum scriptus ita Christianorum doctrinam exprimit: *Deus, qui in coelis habitat et condidit ex nihilo ea, quae sunt.* Eadem docent *Justinus a*), *Irenaeus b*), *Tertullian. c*), aliique plures. *Origenes* homil. XIV. in Genes. affirmat, in hoc Gentiles a Christianis differre, quod illi materiam aeternam, hi factam dicerent. Falluntur ergo, aut certe fallere volunt Pseudophilosophi nostri, cum asserunt, veteres Ecclesiae Patres, ac nominatim Justinum, Origenem, Clementem Alex., materiam Creatori coaevam statuisse. Vid. *Bergier* Déisme réfuté par lui-même. Part. II. Lettre VII.

Accedunt Conciliorum decreta; omnia quippe unanimi voce declararunt, standum esse ea fide, quam Nicaena Synodus in fidei formula declaravit: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium.* Haec Symboli verba uberius explicat Conc. *Lateranense* IV. cap. *de fide Cathol.*, cui Graeci quoque subscripserunt. *Unum est universorum principium*, ajunt Patres, *creator omnium visibilium, spiritualium et corpo-*

---

a) In exposit. fidei. *b*) Advers. haeres. Lib. II. *c*) Advers. Hermogenem.

ralium, qui sua omnipotenti virtute simul initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem.

OPPONUNT.

1.° Nulla mentis contentione concipi potest, qui res aliqua ex nihilo emergat, aut in nihilum revertatur. 2.° Non intelligitur cur Deus non longe ante mundum condiderit; quid enim eum prohibere potuit? 3.° Vel creatio est opus Dei majestate dignum, et tunc mundum aeternum esse oportuit, quia Deus necessario efficit quod est factu optimum: quodsi autem mundum Dei majestate indignum judicamus, ne in tempore quidem illum condere potuit.

Resp. ad I. neg. conseq. Vehementer errant, qui ita ratiocinantur: Non intelligo, quomodo res aliqua possit ex nihilo emergere: ergo nulla potest esse creatio ex nihilo. Ac si mente complecti possemus, quae vim infinitam habent, cum ne minimas quidem res et sensibus subjectas percipiamus. Si rationem ipsam, ut par est, consulerent adversarii, id utique statim animadverterent, omnia quae cernimus, a se ipsis non esse; nihil posse esse aeternum, nisi Deum ipsum. Viderent, eos, qui materiam aeternam statuunt, non tantum incomprehensibilia dicere, sed absurda multa et pugnantia; nam si materia aeterna esset, esset quoque necessaria et independens; ergo ne a Deo quidem alium existendi modum, quam ab aeterno habuit, accipere posset. Quin etiam intelligerent, creationem negari non posse, quin tollatur potentia Dei infinita. Nam quid est infinita potentia, nisi facultas perficiendi id omne, quod non repugnat? At non repugnat, existere aliquam substantiam finitam et imperfectam, quae antea non fuit. Neque opponas tritum illud: *Ex nihilo nihil fit.* Hujus enim principii is tantum sensus esse potest, quod nihil fieri possit ex nihilo tanquam materia, vel quod nihil produci possit, sine efficientia alicujus causae jam existentis; nam quod non est, nullam potest habere efficientiam. Ex quo illud etiam consequitur, nunquam fuisse nihil; hoc enim posito nunquam possibilis fuisset rei cujuscunque productio. Ergo cum res existant quamplurimae, necesse est, naturam aliquam per se et necessario ab infinito tempore fuisse.

Resp. ad II. Deus, cum sit liberrimus, mundum cum voluit ex nihilo produxit. Frustra autem quaeritur, cur non ante, cur non citius? An non, si centum annorum millia et plura, ac plura adjicerentur, semper eadem recurreret quaestio? Quasi numerus annorum, quicunque ille sit, cum aeternitate comparatus, aliquid momenti habere posset! Unde non aliud respondemus, quam illud S. *Augustini: Causas voluntatis Dei scire quaerunt, cum voluntas Dei omnium, quae sunt, ipsa sit causa.*

Resp. ad III. Illud dilemma non valde nos premit; Deus quidem efficere nihil potest, quod sua majestate esset indignum, neque talis est hic mundus, quem ab eo conditum dicimus. Verum exinde non sequitur, Deum id, quod optimum est, necessario efficere; prout alio loco ostendimus *a*).

Si quaeritur, an Deus potuisset ab aeterno creare? respondemus, id quidem nobis videri omnino impossibile, ut aliquid fiat ex nihilo, quod idem sit aeternum. Verum, etiamsi daretur id esse possibile; tamen ad sapientiam divinam pertinere credimus, ut mundum in tempore conderet; ut ita maneret in creaturis quidam dependentiae character et infinito intervallo distarent omnia quae facta sunt, ab ente perfectissimo et absolutissimo, quod solum a se ipso habet, quod existat.

§. II.

De mundi gubernatione, seu de providentia naturali.

OBSERVANDA.

I. Ad integram Providentiae notitiam utrumque pertinet, et a principio omnia facta et constituta esse a Deo; et ejus perpetuo numine omnia conservari. *Est igitur divina providentia*, ait Lactantius *b*), *cujus vi ac potestate omnia, quae videmus, et facta sunt et reguntur.* Non potest unum ab alio divelli; nam ut mundus, artis opus et summi artificis, non temere coaluit, ita sine summa ratione non administratur. Notandum est, a veteribus *providentiam* nominari illam, quae in mente divina est, cogitationem, quae continet et determinat ordinem et statum

---

a) Lib. I. cap. III. art. III. §. 1. de Sapientia Dei. *b*) Lib. de ira Dei cap. X.

omnium rerum; *fatum* autem appellari, quando ad ea ipsa refertur, quae movet, atque disponit. Hinc fatum a Boëtio definitur: *Inhaerens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus.* Nobis utrumque providentia dicitur, et Dei infinita et aeterna cogitatio, et ipse universalis rerum ordo, extra Deum existens. Haec providentia complectitur notitiam, quae in intellectu divino continetur et omnibus summae mentis operibus praelucet; tum consilium et voluntatem, quae finem decernit, et media eligit; ac demum potentiam, quae operatur. Praeterea adjuncta sibi habet omnia illa attributa, quae ab ente perfectissimo abesse nunquam possunt; est enim necessario sapientissima, sancta, justa et bona.

II. Praecipuum providentiae opus est rerum creatarum conservatio. Qualem autem Dei vim exigant creaturae, ut permaneant, non una est omnium Philosophorum sententia. Disputant, an ita conditae fuerint, ut durare per se possint, nisi divina vi rursus intereant: vel an eadem vi continua egeant, qua esse coeperunt. Accommodate ad hanc sententiam ait Catechis. Conc. Trid. *a*): *Quemadmodum, omnia ut essent, Creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est: ita etiam nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent; atque id Scriptura declarat, cum inquit b): Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses; aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Et certe non concipitur, quomodo res creatae, quae in se rationem existendi non habent, et in secundo instanti existentiae aeque contingentes sunt, ac in primo, suum esse conservare possent, sublata illa vi, per quam existunt. Num radius solaris potest existere sine sole, aut cogitatio sine vi cogitandi?

III. Alia movetur quaestio. An scilicet sit quaedam Dei actio, seu *concurrens*, seu *promovens* in omnibus creaturae operationibus, distincta ab illa, qua Deus res, earumque vires conservat. Haec quaestio, cum de actionibus hominis liberis agitur, multas habet difficultates, et obscuritatem nimiam. Probabilior nobis videtur ea sententia, quae non tantum simultaneum con-

---

a) Parte I. cap. I. quaest. XIX. *b*) Sapient. XI, 26.

cursum admittit, sed etiam praemotionem, vel praevium aliquem influxum, quo movetur voluntas ad commune bonum: quo tamen illam praedeterminationem physicam intelligi nolumus, quam Thomistarum Schola defendit, et quam non credimus cum libertate posse conciliari. Caeterum ab omni disputatione in re subtilissima abstinendum putamus.

IV. Unum quidem est in mente divina providentiae systema; verum, cum mens humana non possit omnia simul cogitatione complecti, illud partitur veluti in partes, et res omnes, quae in una Dei cogitatione continentur, distinguit in *spirituales*, *corporales* et *corporeo-spirituales*. Inde triplex oritur providentiae systema. Primum ex puris Spiritibus componitur, de quibus plura in hoc libro. Secundum rerum pure corporalium multitudinem complectitur, quae admirabilem hunc conspectum efficiunt, quo fruimur. Tertium ea omnia continet, quae ad statum hominis tum naturalem, tum supernaturalem pertinent. De supernaturali providentia tota agit Theologia dogmatica, quae nihil aliud est, quam uberior explicatio divinae illius oeconomiae, qua humanum genus ad perfectionis et felicitatis gradum provehitur. Nunc ergo de sola naturali providentia agendum est. Quantum autem intersit hominis hanc veritatem probe cognoscere, quam arcte ea cum Religione, et vitae honestate cohaereat, pulchre admodum explicat *Cicero a*), cujus verba Christiano homine digna hic integra referimus. «Sunt Philosophi, et fuerunt, qui om-
« nino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem
« Deos; quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas?
« quae sanctitas? quae Religio? Haec enim omnia pure ac
« caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur
« ab his, et si est aliquid a Diis immortalibus hominum generi
« tributum. Sin autem Dii nec possunt nos juvare, nec volunt,
« nec omnino curant, nec quid agamus, animadvertunt, nec est,
« quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est,
« quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibea-
« mus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae vir-
« tutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul et sanctita-
« tem et Religionem tolli necesse est; quibus sublatis perturbatio

---

a) Lib. I. de natur. Deor. §. 1.

« vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an, pie-
« tate adversus Deos sublata, fides etiam, et societas generis
« humani, et una excellentissima virtus justitia tollatur. »

PROPOSITIO.

Deus res omnes creatas sua moderatur providentia.

Prob. I. *ex Script.* Scriptura sacra tum V. tum N. T. tota in eo est, ut exemplis et rebus ipsis et gravissimis sententiis providentiam adstruat. Huc ea omnia pertinent, quae Deum exhibent ubique praesentem, omnia intuentem, etiam abscondita cordium, quae judicari a Deo hominum facta testantur; eumque repraesentant tanquam rerum omnium moderatorem, cujus numine et consilio universa pariter et singula gubernantur. Pauca ex multis seligimus. Sapient. VIII, 1. *Attingit a fine in finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et cap. VII, 13. *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Proverb. XVI, 9. *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est, dirigere gressus ejus.* Matth. VI, 26. *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit ea.*

Prob. II. *ex ratione.* 1.° Si Deus cunctis rebus non providet, merito quaeritur, cur ergo non provideat? An quia deest potentia? Sed omnipotenti nihil potest esse difficile. An quia, cum possit, non vult? Sed Deo optimo non potest deesse bona in suas creaturas voluntas. At forsan scientia deest? Sed nihil est absconditum in oculis ejus. Ita fere ratiocinatur *Theodoretus* lib. II. de Providentia. Optime quoque S. *Ambrosius* lib. de Officiis cap. VIII. ait: *Quis operator negligat operis sui curam? Si injuria est regere, nonne major est injuria fecisse? Cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclementia.* Et merito *Cicero* irridet Epicurum *a*), « quod cum optimam et praestantissimam naturam Dei diceret esse, ejus tamen providentiam negaret,

a) Lib. I. de nat. Deor. CXLIII.

tolleretque id, quod maxime proprium esset optimae, praestantissimaeque naturae.»

2.° Si Deus universum hoc non curat, neque regit providentia; ergo omnia fato adscribenda sunt; atqui hoc dicere summa insania est. Quid est enim fatum illud, ut tantam possit vim exserere in omnes creaturas? An substantia est, an modus? An Deus, an creatura? Illo sane semel admisso omnis tollitur libertas, omne boni et mali discrimen; nullus erit praemio, vel supplicio locus; sed orietur parata ad omne facinus audacia, omnisque moralis ordinis confusio.

ARGUMENTA CONTRA PUGNANTIA.

Argum. I. Non intelligitur, quomodo Dei cogitatio tantam rerum multitudinem complecti possit; aut quomodo ejus potentia ad res etiam minutissimas pertingat, aut quam ens infinite beatum possit ex tantis curis concipere voluptatem. Ergo etc.

Resp. Quis crederet talia posse a Philosophis objici? Quam enim Dei notitiam habere oportet eum, qui putat mentem divinam rerum multitudine obrui? Quanto rectius auctor Sapientiae *a*), cum Deum alloquens ait: *Multum valere tibi supererat semper, et virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.* Deus, qui omnibus rebus substantia et virtute praesens est, cum summa facilitate, vel potius absque omni negotio cuncta administrat; neque injucundum illi esse potest proprium suum opus tueri: imo, cum se ipsum amet, et perfectiones suas, quas in mundo expressit, non potest non sibi in opere suo complacere.

Argum. II. Indignum est majestate divina res viles et minutissimas curare. Ergo etc.

Resp. Hic quaeri iterum potest a viris, qui se Philosophos dicunt, quid ergo illi vile et minutum putent? An res ex mole corporis aestimant? An non omnia quae in aspectabili hoc mundo existunt, quantacunque illa supponantur, ex minutissimis coalescunt? An nesciunt Deum maximum esse in minimis?

---

a) Cap. XI, 22. 23.

« Natura nunquam magis, quam in minimis tota, ait *Plinius a*). In his tam parvis, atque tam nullis, quae ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio! » Hinc providentiam ad minima quaeque pertinere, non Patres modo sed et Philosophi quique praestantissimi crediderunt.

Argum. III. In systemate hujus universi multa sunt, quae sapientem et bonam rerum administrationem non produnt. Innumera sunt, quae bonis admixta sunt, mala; multa sunt inutilia et noxia, et quod pejus omnibus est, in multis offendit turpis morum deformitas, et depravatio mentis, quae cum Deo ipso, ejusque attributis pugnat. Ergo etc.

Resp. I. Quis homo tam caecus esse potest et temerarius, ut credat, se exigua universi parte conclusum, ut par est, judicare posse de immenso ac prope infinito providentiae systemate, quod omnia tempora, omnia entia, omnes eventus complectitur, atque ex omnibus indefinitam seriem undequaque cohaerentem? *Quis cognovit sensum Domini*, ait Apostolus *b*), *aut quis consiliarius ejus fuit?* Scilicet arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac propriis sensibus non potest comprehendi: alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius majestatis aeternae cogitatio assequeretur humana. Nos neque rerum naturas cognoscimus, neque fines, nec quid cujusque naturae conveniat, aut quibus legibus res quaelibet gubernari debeat, neque alia multa viarum et judiciorum Dei inscrutabilia arcana. Hinc pulchre S. *Augustus.* ait *c*): *Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat; et si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero, si in fornacem ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, se ipsum vulneraverit; etiam perniciosa et noxia ibi existimat esse multa: quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet.*

Resp. II. Mala omnia, quae in hoc mundo reperiuntur, distingui possunt in mala defectus, physica, et moralia, ut jam alio loco observatum est. Quae mala defectus vocantur, ea

---

a) Plin. Lib. XI. histor. natur. *b*) Rom. VIII, 12. *c*) Lib. I. de Genes. cap. XVI.

proprie mala non sunt, sed tantum bona minora. Quaecunque a Deo facta sunt, bona sunt; sed imperfecta: bona, quia a Dee; imperfecta, quia facta. Mala physica tam parum ab hoc mundo abesse possunt, quam mala defectus; nam ut illa ex naturali conditione omnis creaturae, quae ex nihilo est derivata, pendent. At hominum vitam quam maxime conturbant! et jure merito queruntur nonnulli apud *Lactantium a*): *Cur, si Deus omnia hominum causa fecerit, etiam multa contraria et inimica, et pestifera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra?* Verum his querelis jam saepe *Augustin.* et alii Patres fecerunt satis. Dicunt enim bona ex malis splendescere, ut umbrae in picturis eminentiora quaeque distinguunt: nos non esse rerum utilitatis idoneos judices; neque rationis esse negare providentiam, quod nobis ad votum non cedant omnia. Sic pulchre *Nazianzenus b*): *Nos similes nauseantium sumus, et vertigine laborantium, qui inverti ac moveri omnia putant, cum ipsimet invertantur.* Dicunt multa ejusmodi, quae doloris aut damni afferunt aliquid, et poenam peccati esse, et virtutis exercitium, et contra pravas, et nocivas cupiditates salutare remedium. Huc et illud pertinet, quod *Lactant.* loco citato Academicis respondet: « *Deus homini proposuit bona et mala; quia sapientiam dedit, cujus omnis ratio in discernendis bonis et malis sita est. Propositis bonis malisque, tum demum opus suum peragit sapientia, et quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem. Si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod laedere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiae, nec erit homini necessaria.* »

Graviora videntur, quae de malo morali ducuntur, argumenta. Verum ad haec quoque saepe responsum est a Patribus, et multis ac perspicacissimis sequentium saeculorum viris. Primum quidem, quamvis dissolvi non possent illa argumenta, tamen providentiam non destruerent; sed nostram tantum adstruerent ignorantiam. Nam utrumque admittere necesse est, et malum morale, quod scimus certissime existere, et providentiam, quam malum morale supponit; quia lex ipsa divina, quam homo peccando transgreditur, sine providentia justa et bona cogitari non

---

a) Lib. de ira Dei cap. XIII. *b*) Orat. XVI.

potest. Tum et illud retinendum, Deum peccati auctorem non esse; ad ipsum ordinem universi pertinere, ut sint naturae intellectuales et liberae, quae propositis poenis et praemiis sibi permittuntur: Deum etiam malas hominum actiones ad finem bonum ordinare; et, sicut mali homines male utuntur Creatoris bonis, sic Creatorem bonum bene uti hominibus malis: libertatem, qua homo ad malum abutitur, omnium virtutum et meritorum fontem esse, ac illius immortalis praemii, quod *Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo a)*. Conf. quae lib. I. dicta sunt. Fuse hanc materiam exposuit Schwarz Handb. II. B. Seite 63 bis 103. — *Hoocke* tom. I. tota sectione III. de provid. Dei. — *Bergier* traité dogmat. tom. II. chap. V. art. III. et IV. — Doctiss. *Wiest*, oper. M. tom. IV. de creatione et providentia tum historice tum dogmatice accurate et copiose disserit.

CAPUT SECUNDUM.

DE CREATIONE ANGELORUM ET HOMINUM, EORUMQUE STATU PRIMITIVO.

ARTICULUS I.

De Angelis.

OBSERVANDA.

I. Angelus, ex Graeco ἄγγελος, juxta vim nominis idem est ac nuntius. Haec utique ratio est, cur sacerdotes vocentur Angeli. Malach. II. *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* Sic Joannes Baptista a Christo Angelus vocatur Matth. XI, 10. Et Christus ipse Malach. III. Angelus testamenti dicitur. Igitur nomen Angeli, nomen officii est, non naturae. *Cum Spiritus sunt, non sunt Angeli,* ait *Augustinus b)*; *cum vero mittuntur, sunt Angeli: Angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris*

---

a) Tob. II, 18. *b)* In Psalm. CIII.

nomen, Spiritus est; quaeris officium, Angelus est. Sed tamen usus invaluit, ut omnes illi superioris ordinis Spiritus, quos Deus creavit ab omni corporum contagio separatos, Angeli vocentur, licet non mittantur.

II. De Angelorum natura et operationibus perpauca nobis in Scripturis traduntur, pauca etiam ratione duce nobis perspecta sunt. Omnia fere sunt in conjecturis posita, vel conclusa ex analogia cum mentis nostrae natura et virtutibus. Unde vix intelligi potest, quomodo Theologi potuerint de re tam parum cognita tam diffuse disputare, et cum magna subtilitate quaestiones discutere curiosas quidem, sed incertas et ut plurimum inutiles. Nos ea, quae ad hoc caput pertinent, duobus §§. complectemur; primus aget de Angelorum existentia et natura, secundus de statu, in quo creati sunt a Deo.

§. I.

De Angelorum existentia et natura.

OBSERVANDA.

I. « De Angelis dictum est a Philone, eos a Philosophis appellari *Daemones*, qui in libris sacris Angeli dicuntur *a*). » Nam δαίμων nomen commune est, et in bonam sicut in malam partem usurpatur. Hinc εὐδαίμων idem est, ac beatus; κακοδαίμων idem ac infelix aut malus genius. « *Plato* perspicue prae veteribus Philosophis et copiose de natura Daemonum disseruit. Nam post supremum Deum inferiores posuit Deos, hoc nomine dictos, quod boni sint, neque mali esse possint: his subjicit Daemones itidem incorporeos, qui recte maleve pro arbitrio agere possint, et quorum propterea nonnulli boni sint, alii mali. » Haec et alia multa a Platone, aliisque Philosophis dicta reperiuntur in quaestionibus Alnetanis, ubi et hoc habetur *Cypriani* de Platone testimonium *b*): *Plato unum Deum servans, caeteros Angelos vel Daemones dixit.* Fuerunt tamen inter veteres Philosophos, qui Angelos existere negarunt, ut Epicuraei, cujus erroris hanc causam affert S. Thomas *c*): *Non distinguentes*

a) Quaest. Alnetanae lib. II. cap. IV. *b*) *Cypr.* de Idol. vanit. *c*) Parte I. quaest. I. art. 1.

inter sensum et intellectum, nihil esse existimaverunt in mundo, nisi quod sensu et imaginatione apprehendi potest. Illud multo magis mirum videri debet, inter Judaeos repertos esse, qui negarent, ullam esse spiritualem substantiam, sive Angelum: cujusmodi fuerunt Sadducaei, ut testatur S. *Lucas* Act. XXIII, 8. *Sadducaei dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Noviores Philosophi, qui omnibus adversantur, quae antiqua et constans Christianorum fides tenet, Angelorum quoque existentiam impugnant, eosque aut affectiones, motusque animi significare contendunt, aut vana esse phantasiae figmenta.

II. Existentia Angelorum nulla ratione physica, aut metaphysica probari potest: sunt tamen, qui rationes quasdam morales afferunt, quibus eam ajunt non suaderi modo, sed etiam persuaderi posse. Hae autem rationes morales imprimis deducuntur ex communi pene omnium hominum et aetatum consensu et ex effectis plurimis, quae in Deum referre non possumus, neque ex aliis causis naturalibus explicare; quae tamen omnia ut falsa et commentitia rejicere sana ratio vetat. His argumentis vim inesse probandi non diffitemur; sed Theologi est ex Scriptura et Traditione doctrinae Christianae veritates eruere.

III. Quae sit Angelorum natura, an ex puro aëre, aut igne constent, an ex duplici substantia, ex corpore subtilissimo et spiritu conflata, an vero omnis omnino corporis expers sit, non una est veterum Philosophorum, imo nec SS. Patrum sententia. Saeculo adhuc XII. magna erat opinionum diversitas, de qua fusius loquitur S. *Bernardus* Serm. V. in Cantica. *Angelica,* inquit, *corpora, utrumne ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua et sint animalia, sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines: porro an ipsa corpora mutent et versent in specie et forma, qua volunt, quando apparere volunt: an vero simplici spirituali substantia subsistentes, corpora, cum opus est, sumant, expleto opere ponant, in eandem de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda, nolo, ut a me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, et nescire me fateor. Sed et vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.* Ergo S. Bernardi temporibus eo loco erat quaestio, ut nondum liqueret, quae vero propior esset sententia: sed brevi post

tempore Theologi pene omnes censuerunt, Angelos omnino esse incorporeos.

PROPOSITIO I.

Fide certum est existere Angelos.

Prob. I. Id clare et diserte continetur in Scripturis tum V. tum N. Testamenti. Primum de Angelis frequenter mentio occurrit in libris V. T. et quidem non in illis tantum, qui post captivitatem Babylonicam, aut ea adhuc durante scripti fuerunt, sed in libris Mosis, Psalmorum, Tobiae, Regum etc. Haec cum omnibus perspecta sint; pauca tantum testimonia adducemus. Gen. XXI, 17. *Vocavit Angelus Dei Agar de coelo.* Ibid. cap. XXII. cum Abraham extendisset manum suam, ut immolaret filium suum, *ecce Angelus Dei de coelo clamavit, dicens: Abraham, Abraham.* Psalm. VIII, 6. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Psalm. XI, 11. *Angelis suis mandavit de te.*

Eandem doctrinam adstruunt N. T. loca quam plurima. Sic Matth. IV, 11. *Ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Ibid. cap. XVIII, 10. Christus ipse de parvulis loquens ait: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Et in responsione ad Sadducaeos cap. XXII, 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in coelo.* His praeter multa alia addi potest insignis locus ex Epist. ad Hebr. cap. I. et II., ubi inter Christum et Angelos instituitur comparatio. Siquis vellet Angelorum existentiam negare, merito ab illo quaereretur, quomodo concluderet argumentum Apostoli ad Hebraeos I., aut quem sensum haberent verba Christi Matth. XXII. An fas est, dignumque auctore gravi Christi excellentiam conferre cum rebus phantasticis? An dignum Christo, in eo futuram hominum felicitatem collocare, quod deberent similes esse Angelis, qui nullibi existerent?

Prob. II. Quam concors sit omnium saeculorum et omnium Ecclesiarum in hanc doctrinam consensus, nemo certe ignorare potest. *Esse Angelos,* ait S. *Augustin.* in Psalm. CII., *novimus ex fide.* Et Gregor. Magnus hom.

XXXIV. in Evang. *Angelos et Archangelos omnes fere sacri eloquii paginae loquuntur.* Plura in decursu hujus tractationis occurrent.

Ergo verbo Dei tum scripto, tum tradito innititur decisio Concilii Lateran. IV., quod cap. *Firmiter* ita definivit: *Unum est universorum principium Creator omnium; visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*

PROPOSITIO II.

Angeli sunt puri spiritus omnis omnino corporis expertes.

Prob. conclusio. 1.º Ex Scripturae sacrae auctoritate, quae Angelos et Daemones passim spiritus appellat, nulla facta corporis mentione; atque ita, ut aliquid significet corpori adversum. Daemones in Evangelio dicuntur immundi spiritus. Matth. XIII, 43. *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* De Angelis bonis haec habet Apostol. ad Hebraeos I, 7. *Ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus . . .* (Psalm. CIII.) et v. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Ad Ephes. autem idem Apost. expressis verbis ait, cap. VI, 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem . . . sed contra spiritualia nequitiae in coelestibus . . .* id est, contra spiritus nequam in regionibus aëreis versantes.

2.º Quamvis inter antiquos Patres fuerint, qui Angelos crediderunt ex corpore subtilissimo et spiritu constare; fuerunt tamen alii plurimi, qui ita, sicut nos, censuerunt. Hos sigillatim recenset *Petavius.* Sic *Ignatius* Epist. ad Trallenses Angelos vocat *incorporeas naturas. Gregor. Nyssen.* Orat. IV. in orationem dominicam, *omnis,* inquit, *natura rationalis dividitur in incorpoream et corpoream; incorporea porro est angelica natura, altera nos sumus homines. Gregor. Magn.* cum alibi passim, tum in lib. IV. moral. cap. XI. *Angelus namque solummodo spiritus; homo autem et spiritus est et caro.* Accedit Decret. Concil.

Lateranens. IV. jam citatum, ubi idipsum videtur manifeste expressum.

ARGUMENTA QUAEDAM CONTRARIA.

Argum. I. Si Angeli revera existunt, non intelligitur, cur nihil de eorum creatione scriptum fuerit a Mose, qui initio Geneseos rerum omnium creationem ex professo describit. Ergo etc.

Resp. Moses tum in Genesi, tum in aliis libris de Angelis loquitur, eosque exhibet ut Dei ministros, qui ejus nutui et voluntati serviunt. Cur autem de eorum creatione siluerit, nostrum non est inquirere. Ad ejus institutum id non pertinebat, quia humani generis originem et eorum, quae cum hominum statu connexa sunt, creationem describendam susceperat. Hinc in illis diutius occupatur, quae hunc, quem incolimus orbem, spectant. Coelorum autem, astrorumque mentionem, quamvis brevissimam, tamen aliquam fecit, quia coeli oculis patent intuentium et ex astris lux in terram illabitur; atque inde rerum fecunditas oritur et temporum vicissitudines. Vid. Genes. I, 14. Nollem tamen ut omnino certum assumere, nihil esse in Mosis narratione de creatione Angelorum. Fortassis Hebraei, quibus vocum quorundam significatio ex usu et traditione nota erat, eam satis clare expressam videbant. Et certe Angelos coeli nomine comprehendi Origenes credidit; eos per lucem significari probabile videtur Augustino.

Argum. II. Siqui fuerunt ex veteribus, qui Angelos incorporeos dixerant, multo plures contrariam tenuerunt sententiam: ergo haec potius est ex antiqua traditione retinenda.

Resp. Non est nobis operosius examinandum, quot ex utraque parte numerentur testimonia: cum res ad fidem non pertineat, et ultro concedamus, neque ex sacris litteris, neque ex Traditione Apostolica certi aliquid colligi posse. Illud tamen observandum, plerosque Patres, qui corporeos esse statuerunt Angelos, omnino dubios fuisse, et ancipites; ut *Origenes*, *Basil.* etc. Hic v. g. cum Lib. de Spirit. S. cap. XVI. opinionem suam his Psalm. verbis probasset: *Qui facit Angelos suos Spiritus, et ministros suos ignem urentem*, deinde addit: *Nisi forte ignis ille urens, et Spiritus aërius figurate accipiantur.* Alii

iterum in Angelis nescio quid corporeum admiserunt, quod esset spiritale, aut aliquid spiritale, quod esset corporeum. Sic *Gregor. M. a*) Angelum comparatione quidem nostrorum corporum spiritum esse dicit, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus esse corpus; et *Hilarius b*) ita definit spiritum: *Spiritus nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturae suae virtutem ubique est, nec usquam abest, in omnibus omnis exuberans.* Haec sane uni Deo conveniunt; ac proinde Deus unus spiritus erit, si eo sensu accipiatur.

Argum. III. Si Angeli prorsus incorporei sunt; ergo natura sua sunt incorruptibiles; quod Scripturae et Patribus est contrarium: nam Deus solus habet immortalitatem I Tim. VI, 16. — Ex Patribus unum citabimus *Ambros.* qui lib. III. de fide ait: *Nec Angelus immortalis est naturaliter.* Ergo etc.

Resp. Nihil certius, quam Angelos, hoc ipso, quod puri spiritus sint, esse incorruptibiles. Quod enim est corruptibile, est dissolubile; quod autem dissolubile est, plures habeat partes necesse est. Textus cum Scripturae tum Patrum id unum probant, quod Deus solus immortalitatem habeat a se ipso, et naturae necessitate, quia nulla ratione potest interire. Angeli naturam suam habent a Deo; et quamvis haec sit incorruptibilis, tamen a Deo pendet, et ab eo destrui posset. Hic sensus est S. *Ambrosii* aliorumque Patrum, hinc addit *Ambrosius: Cujus immortalitas est in voluntate Creatoris.* Nec obstant, quae alio loco dicta sunt, quod omnis creatura sine Dei concursu et conservatione in nihilum rediret, et quod conservatio sit veluti continuata creatio; nam haec ipsa conservatio substantiae puro spiritui naturalis est. Nihil hic habet in sua natura corruptibile, neque desinere potest id esse, quod est, nisi omnino destruatur divina virtute. Non ita primus homo, quem inexterminabilem fecerat, cum natura mortalis esset. Non ita homines post resurrectionem; ex gratia quidem immortales erunt, non natura; habent enim in se ipsis corruptionis principia.

---

a) Lib. II. Moral. cap. III. *b*) Lib. II. de Trinit. sub finem.

§. II.

De statu in quo a Deo creati sunt Angeli.

OBSERVANDA.

Si nunc ulterius in coelestium illorum spirituum, quos Angelos vocamus, naturalem statum inquirimus, et quae dotes ac proprietates ipsis fuerint a creatore inditae; quibus ordinibus distinguantur, quid mente complecti, quid voluntate efficere valeant, et alia ejusmodi: pauca reperimus, quae satis eliquata sint, et ex Scripturae et Traditionis auctoritate certo definiri possint. Reliqua quo magis obscura sunt et incerta, eo magis Scholasticorum ingenia exercuerunt. Hos scilicet si adeas, nihil est, quod ipsi non concludant; ac si datum illis fuisset in coelesti aula commorari, et spirituum illorum colloquiis interesse. Sciunt enim non tantum, quot ordinibus constet totus Angelorum exercitus, sed etiam qua in re discrepent inter se: quantus sit eorum numerus, quis existendi, cogitandi, agendi modus; an in loco sint, et quomodo e loco in locum moveantur; qua ratione communicent et colloquantur inter se. Sed de his quaedam attingemus in appendice, quae huic Articulo subjicietur; agemus autem brevissime, non disputandi libidine, vel ut limatas ejusmodi subtilitates consectemur; sed in gratiam Candidatorum, ne ea penitus ignorent. Sunt enim aliqua non prorsus inutilia, et a Scripturarum et Patrum doctrina non omnino aliena.

Duo hoc loco probanda suscipimus; primum statum Angelorum naturalem, alterum supernaturalem concernit.

PROPOSITIO I.

Angeli naturae dotibus, seu intellectu et voluntate praestantiores sunt hominibus, attamen limitatam habent cognitionem et potentiam.

Prob. I. pars. Psalm. VIII. de homine dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Lib. II. Regum cap. XIV. intellectus perspicacissimus comparatur cum perspicacia Angeli. — In Scripturis passim dicuntur laudare, adorare Deum, stare ante thronum Dei, videre faciem Dei etc. Porro ex eo, quod dicantur gaudere Luc. XV., desiderare mysteriorum cognitionem I Petri I., sequitur eos

habere voluntatem et quidem perfectiorem, quam homines, quod ex ipsa intellectus praecellentia sequitur. Demum, quod hominibus praestantiores sint diserte enuntiat S. Petrus II. epist. II, 11. *Angeli fortitudine et virtute cum sint majores.*

Testimonia Patrum apponere supervacaneum ducimus in re aliunde satis certa et explorata. Sufficiat *Augustin.* lib. XI. de civit. Dei. *Angelica natura omnia caetera, quae Deus condidit, naturae dignitate praecedit.*

Prob. II. pars. Cognitionem Angelorum limitatam esse, jam ex eo manifestum est, quod a Deo fuerint ex nihilo producti. Non cognoscunt mysteria, neque occulta divinae providentiae consilia, nisi a Deo ipsis revelentur. *Quae sunt Dei, nemo cognovit, nisi Filius Dei.* I Cor. II. Sed nec hominum cogitationes naturali perspicacia scrutantur, nec futura sciunt a libera voluntate pendentia. *Pravum est cor hominis et inscrutabile,* ait Dominus Jerem. XVII., *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes.* In genere futurorum contingentium certa cognitio omnium hominum consensu divinitati propria est, unde et divinationis nomen accepit. Huc illud pertinet Jesaiae XLI, 23. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum et sciemus, quia Dii estis vos.* Et *Tertullian.* in Apologetico: *Idoneum testimonium divinitatis, veritas divinationis.*

Angelorum voluntatem et potentiam certis limitibus esse circumscriptam tum ex naturae creatae conditione sequitur, tum ex intelligentiae defectu. Hinc Angeli non possunt miracula efficere proprie dicta, eorumque voluntas natura sua nec inflexibilis est, nec impeccabilis, quod ex eorum, qui ceciderunt, ruina manifestum est.

PROPOSITIO II.

Angeli omnes a Deo in statu gratiae creati sunt.

Prob. Quamvis in hac re non una sit omnium sententia, *hoc tamen,* ut S. *Thomas* ait *a*), *probabilius videtur tenendum et magis dictis Sanctorum consonum est, quod*

---

a) Part. I. quaest. LXII. art. III. in corpore.

fuerint creati in gratia gratum faciente. Ejusmodi veterum Sanctorum dicta plurima afferri possent, si id necessarium videretur. Verum nihil apertius communem Catholicorum sententiam exprimit, quam haec Catechis. Concilii Trid. verba *a*). « Praeterea spiritualem naturam, innumerabilesque Angelos, qui Deo ministrarent, atque adsisterent, ipse ex nihilo creavit; quos deinde admirabili gratiae suae et potestatis munere auxit, atque ornavit. Nam cum illud sit in divinis litteris: *Diabolum in veritate non stetisse* (Joan. XIII.): perspicuum est, eum, reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse, de quo ita est apud S. *Augustinum b*): *Cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, Angelos creavit, simul in eis et condens naturam et largiens gratiam.* » Ibid. Nro. II. dicitur: « Quamvis omnes coelestibus donis ornati fuerint, plurimi tamen a Deo defecerunt. » Hinc Patres passim censent, ea, quae Ezechielis XXVIII. de regis Tyri superbia et ruina dicuntur, de Diabolo potissimum intelligenda esse, quem rex ille imitatus est. Dicitur autem v. 15. *Perfectus in viis tuis, a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.*

APPENDIX.

Ad paragraphum primum et secundum.

Quaeritur. I. Quo tempore creati sint Angeli?

Resp. Vetustissima haec quaestio est, an scilicet Angeli ante hunc mundum aspectabilem creati fuerint, an simul cum rebus corporeis. *Basilius c*), *Nazianz. d*), *Chrysost. e*) etc., et ex Latinis Patribus *Ambros. f*), *Hilarius g*), *Hieronym.* asseverant, Angelos ante mundi aspectabilis creationem conditos fuisse. Inter alios *Hieronym.* ait *h*): *Sex millia nedum nostri orbis implentur anni, et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni,*

---

a) Part. I. cap. II. quaest. XVII. *b*) Lib. XIII. de civit. Dei cap. IX. *c*) Homil. I. Hexaëmeron. *d*) Orat. XXXVIII. et LXVIII. *e*) Lib. I. ad Stagir. *f*) Praefat. ad Psalm. *g*) Lib. XII. *h*) In Cap. I. Epist. ad Titum.

Dominationes caeteraeque virtutes servierunt Deo? Contrariam tamen sententiam tenent et Graeci nonnulli et Latini; atque *August. a)* illa Genesis verba explicans: «in principio creavit Deus coelum et terram,» diserte ait: *Quibus nominibus universalis est significata natura, vel spiritualis vel corporalis, quod est credibilius.* Citantur etiam in hujus sententiae confirmationem Decretum Concil. Lateran. supra relatum; tum illud Exod. XX. *Sex diebus fecit Deus coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt.* Et Ecclesiast. XVIII. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Verum uterque Scripturae locus de rebus corporeis intelligi potest; Concilium autem Lateranense id tantum voluit, solum Deum aeternum esse ex se, reliqua omnia ex nihilo producta. Hinc S. *Thomas* post Concilii Lateranensis decretum ita de hac quaestione scribit *b)*: «Non est probabile, quod Deus creaturam angelicam seorsim ante alias creaturas creaverit, quamvis contrarium non sit reputandum erroneum.» Et Doctiss. *Petavius* prudenter observat, neutri sententiae certam Scripturae auctoritatem praescribere.

Quaeritur II. Quantus sit Angelorum numerus?

Resp. Variae iterum sunt de numero Angelorum opiniones. Infinitam prope esse eorum multitudinem Scripturae insinuant. Danielis VII, 10. dicitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et Apocalyps. V. *Et erat numerus eorum millia millium.* Ita scilicet incerta, ac fere innumerabilis multitudo graece exprimi solet... μυριάδες μυριάδων καὶ χιλιάδες χιλιάδων. Caeterum quantus sit Spirituum illorum numerus tam parum determinari potest, ut ne conjecturae quidem sit locus.

Quaeritur III. An sit inter Angelos ordinum aut graduum distinctio?

Resp. Angelos gradu et ordine differre, jam ipsa Philosophia libentissime concedit; cui id vehementer probatur, si, quod in natura corporea videmus, in spirituali quoque agnoscamus; nempe ut ab inferiori perfectionis gradu ad superiorem et indefinitum ascendatur continua et non interrupta serie. Haec quoque communis Christianorum sententia est, idque Patres ex Scripturis

---

a) Lib. II. de civitate Dei. *b)* Part. I. quaest. LXI. art. III.

colligunt. In veteri testamento non Angeli tantum commemorantur, sed et Cherubim Ezech. X., et Seraphim Isai. VI. In novo testamento plures adhuc Angelorum ordines reperiuntur. Ad Coloss. I, 16. *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Potestates.* Ad Rom. VIII, 28., praeter Angelos et Principatus ponuntur *Virtutes.* Porro Archangelorum expressa mentio habetur I Thess. IV. et in epist. S. Judae v. 9. Ex his concluditur esse aliquam Angelorum Hierarchiam certis ordinibus comprehensam; atque Patres passim tradunt, iis vocabulis, quae in allatis textibus occurrunt, non tantum sublimia quaedam, ut imperium, potestatem etc., sed diversos ordines designari. Ita *Ignatius a*), *Irenaeus*, vetustissimi Veterum. *Irenaei* haec verba sunt *b*): *Dicant nobis, quae sit natura invisibilium, enarrent numerum Angelorum, et ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatuum, Potestatum atque Virtutum.* Caeterum si quaeritur, quot praecise gradus existant; quo sibi ordine succedant; quomodo inter se differant; an omnes eandem specie naturam habeant, ut homines; an econtra sicut diversi ordinis, ita et diversae sint speciei etc.? omnia iterum in conjecturis posita sunt. *Dionysius*, cujus libri sub nomine Areopagitae Saeculo quinto evulgati sunt, primus novem Angelorum choros definite posuit; idem postea docuit *Gregorius* Papa, et qui post eum secuti sunt, pene omnes; tametsi in eorum collocatione non omnes conveniunt. Magis recepta sententia ea est, quae tres Hierarchiae ordines ita distinguit, ut quilibet ordo tribus choris constituatur; nempe: Primus ordo *Cherubim* et *Seraphim* et *Thronos* complectitur; secundus *Dominationes, Virtutes* et *Potestates;* tertius *Principatus, Archangelos*, et *Angelos.*

Quaeritur IV. An Angeli sint in loco?

Resp. Negari non potest Angelos in loco esse, quamvis quo modo id fiat, nobis ignotum sit, quia nescimus modum existendi spirituum. Probabilius asseritur, Angelos non actione tantum in loco esse; sed per praesentiam suae substantiae, quamvis loco non contineantur, aut loco circumscribi non possint; sunt enim

---

a) Epist. ad Trallens. *b*) Lib. II. cap. LIV.

in loco *per indistantiam*, ut Philosophi dicunt, non per contactum. Huc aliae quaedam pertinent minutae quaestiones. An plures Angeli possint esse in eodem loci spatio? Quod satis probabile est, cum sese ab eodem loco non excludant, quemadmodum corpora. — An Angelus possit esse in pluribus locis simul? Vulgaris opinio est, id eum naturaliter non posse. — An Angeli e loco in locum moveantur? Hoc utique tam certum est ex Scripturis, quam modus, quo moventur, nobis ignotus est. Qui multa alia de natura Angelorum, eorumque existendi, intelligendi, operandi, loquendi etc. modo legere desiderat, copiose et subtilissime disputata, adeat S. *Thomam* Parte I. Quaest. 50. et deinceps.

ARTICULUS II.

De Homine.

OBSERVANDA.

Eaedem fere quaestiones hic moventur, ac de Angelis; cum hoc tamen discrimine, quod nullum circa hominis existentiam dubium sit. Multa absona, et cum ratione aeque ac Revelatione pugnantia tum a Philosophis, tum ab Haereticis prolata sunt circa ortum et propagationem humani generis, tum circa naturam hominis, et eum, in quo ab origine constitutus fuerat, statum. In hoc iterum argumento non omnia sunt clare et explicate in Revelatione contenta, multa quoque sunt, quae ratio sua investigatione assequi non potest. Caeterum libenter Philosophis relinquimus, quae etiam Deus . . . *tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque adhuc.* Eccles. III, 11. — Nostrum est, videre, quid ex Revelationis fontibus erui possit, et erutum fuerit ab Ecclesia, quae autem aliunde petuntur, omittere, aut etiam refellere, si contraria sanae doctrinae reperiantur. Tractabimus 1.° de creatione et natura hominis. 2.° de statu ejus primitivo.

§. I.

De creatione et natura hominis.

OBSERVANDA.

I. Deum, sicut alias creaturas, ita et hominem ex nihilo produxisse ex cap. I. hujus libri patet. Nunc nobis examinandum

est, unde hoc, quod orbem incolit, hominum genus ortum sit? An omnes ex uno parente originem habeant, et quidem Adamo, quem a Deo conditum fuisse sacrae litterae docent? Hanc constantem Hebraeorum et Christianorum doctrinam saeculo XVII. impugnare ausus est *Isaac Peyrerius* Calvinianae Sectae addictus et medicus Burdigalensis, tum in sua exercitatione super cap. V. ad Rom., tum in suo systemate praeadamitico.

II. Hominis creationem in Libro Genesis legimus. Discimus autem ex Scripturarum oraculis hominem fuisse ultimum Dei opus, et sic inductum fuisse in hunc mundum, quasi in domum jam paratam et instructam. Deus, ait *Lactantius a*), *rebus omnibus mirabili descriptione compositis regnum sibi aeternum parare constituit, et innumerabiles animas procreare, quibus immortalilatem daret. Tum fecit ipse sibi simulacrum sensibile atque intelligens, id est, ad imaginis suae formam, qua nihil potest esse perfectius, hominem figuravit ex limo terrae.* Scilicet id Deus videtur effecisse, quod non inusitatum est principibus, qui exstructis civitatibus statuas suas jubent in medio collocari, ut eo monumento posteritati testatum sit, se esse earum civitatum conditores.

III. Homo peculiari modo Dei imago est. Caeterae creaturae sunt velut quaedam Dei vestigia; at homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est: nam quemadmodum Deus rerum omnium perfectiones in se complectitur, et eorum, quae ipse condidit, supremus Dominus est: sic homo est totius naturae quasi compendium; et traditum sibi a Deo imperium et jus habet in omnes animantes. Hinc reliquas hujus mundi partes Deus imperio suo fabricatus est. *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* At ubi hominis creationem aggreditur, quasi deliberato consilio agere videtur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* His verbis Deus, ut Patres pene omnes consentiunt, Personarum numerum insinuat, ac simul docet, hominem in mente sua impressam habere Trinitatis imaginem. Discat exinde homo naturae suae dignitatem, et quantum mens nostra sit corpore praestantior; nec de illo, in quo positus est statu se ipsum degeneri conversatione dejiciat. Sciat se in hoc aspectabili mundo constitutum, ut velut divini hujus templi Antistes esset, et spectator operum coelestium. Sciat, se in mente

a) Lib. II. §. X.

potissimum Dei imaginem gerere, illamque nulla re magis elucescere, quam recta morum conformatione, vitae sanctitate, et amore justitiae.

PROPOSITIO I.

Adamus omnium hominum primus creatus est et ab eo omne hominum genus originem habet.

Prob. Genes. II. expressis verbis dicitur, v. 5. *Homo non erat, qui operaretur terram.* v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem . . .* v. 20. *Adam non inveniebatur adjutor similis ejus.* Eadem Scriptura cap. III, 20. habet: *Vocavit Adam nomen uxoris suae Heva.* Accedit illud Sapient. X, 1. *Haec illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.* Et Actor. XVII. ubi Paulus stans in medio Areopagi, Deumque supremum annuntians, qui *fecit mundum et omnia, quae in eo sunt;* v. 26. ita pergit: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Cum his constantem tum Judaeorum, tum Christianorum Traditionem concordare, extra omne dubium est.

PROPOSITIO II.

Homo a Deo creatus est cum corpore organico et anima rationali.

Prob. Genes. II, 7. legitur: *Formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Quibus verbis natura corporis et animae exprimitur. Illud ex elementis, atque ex terra praecipue formatum est. Unde illud Genes. III, 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et Jesaiae IV. *Pater noster es tu et nos lutum, fictor noster tu et opera manuum tuarum nos.* Anima non ex elementis, ut corpus, sed ex nihilo a Deo creata fuit et corpori infusa: nam nec est particula ex Divinitate decisa, quae est natura simplicissima simul et perfecta; neque ex jam existentibus producta, ut clare ostendunt verba supra citata. Hinc verba illa Genesis: « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, » ita exponit

August. a): *Hoc testimonio satis admonemur ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra: et ideo cum redit, non habet quo redeat, nisi ad auctorem, qui eam dedit, non ad eam creaturam, ex qua facta, sicut corpus ad terram.*

PROPOSITIO III.

Anima hominis est spiritus et quidem immortalis, ac libera voluntate praeditus.

Prob. I. pars. Scriptura de anima loquens illam expresse spiritum vocat. Eccles. XII, 7. *Antequam ... revertatur pulvis in terram suam, unde erat: et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Actor. VII, 58. Stephanus jam moriturus ait: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Jacob. II, 26. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Vid. I Cor. II, 11. I Thess. V, 23.

Hoc idem constans docet et perpetua Traditio, quam cum auctoritate declarat *Lateranense* IV. cap. *Firmiter* jam citato, ubi humanam naturam ait *ex spiritu et corpore constitutam.*

Prob. II. pars. Animam esse natura sua immortalem et revera nunquam destruendam, omnis vera et sana Philosophia docet. Quae Judaeorum hac in re traditio fuerit, in demonstratione Christiana ostendimus *b*). Christianorum fidem ex Scripturis et Traditione collectam ita exponit Concil. Lateran. IV. sess. VIII. *Damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus. Cum illa immortalis et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicanda sit; quod manifeste constat ex Evangelio, cum Dominus ait* (Matth. X, 28.): *Animam autem non possunt occidere. Et alibi* (Joan. XII, 25.): *Qui odit animam suam in hoc mundo, in*

---

a) Lib. VII. de Genesi ad litt. *b*) Part. II. cap. II. sect. I. art. II. §. I.

vitam aeternam custodit eam. Et cum aeterna praemia et aeterna supplicia judicandis repromittit. Alias Incarnatio et alia Christi mysteria nobis minime profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac sancti et justi miserabiliores essent juxta Apostolum cunctis hominibus. (I Cor. XI, 19.).

Prob. III. pars. Libertatem naturalem esse animae proprietatem tum ratio, tum ipse sensus internus hominis evidenter demonstrant. Omni quippe intellectuali naturae, ut docet S. Thomas, inest liberum arbitrium. Idipsum in Theologia dogmatica ex integro Revelationis criterio confici facillime potest. Sed plurima de hac materia occurrent, cum de gratia Dei agetur. Nunc haec pauca sufficiant testimonia: primum ex Gen. IV, 7. ubi ad Cainum dictum legitur: *Nonne si bene egeris recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius.* Secundum ex S. *Hieron.* qui lib. II. cont. Jovinian. ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est.* In haec verba ita commentatur S. *August.* de natura et gratia cap. LXV. *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam?*

OPPONUNT ADVERSARII.

I. Homines, qui hunc orbem incolunt, alii albi sunt, alii nigro colore distincti; ex albis nulli nascuntnr nigri, et vicissim; ut clarum sit non casus, sed generis esse diversitatem. Ergo non possunt omnes esse ex communi parente progeniti.

Resp. Celeberrimi rerum naturalium investigatores probarunt hanc coloris diversitatem ex climate, victu, aliisque causis accidentalibus ortum habere. Ex nigris etiam albos nasci experientia comprobatum est; contra notum est, homines albos, cum in Africam transmigrant, colorem sensim mutare et post aliquot generationes nigrescere. Quod Lusitanis quibusdam familiis contigit, qui Saeculo XIV. in oras maritimas Africae zonae torridae viciniores secesserunt, et quos hodie ex illis terris oriundos

diceres, nisi idioma, Religio et leges Lusitanam originem proderent.

II. Quando saeculo XV. novus orbis detectus fuit, repertus est incolis frequentissimus: atqui illi habitatores originem ab Adamo habere non possunt; nam qua via homines in Americam transmearint, intelligi non potest. Ergo etc.

Resp. neg. min. Americae habitatores recentiores esse, patet 1.° tum ex multiplicitate populorum et regnorum, quae si Mexicanum et Peruvianum excipias, exigua prorsus erant, et parvis circumscripta limitibus; tum ex defectu artium, scientiarum, monumentorum etc. 2.° Qua via antiqui orbis habitatores in illas regiones pervenerint, nostrum non est explicare. Variae sunt doctissimorum hominum conjecturae, quae, si non probant, qua ratione id factum sit; tamen qua ratione fieri potuerit, ostendunt. 3.° Detectis Americae populis compertum est, plures apud eos ritus, plura dogmata mansisse, quae probant eandem ipsis esse cum aliarum partium incolis originem. Sic diluvii memoria apud eos viguit, et unam familiam ex eo servatam. Mexicani circumcisionem habent, sabbathum septimo die, et Jubilaeum quinquagesimo anno recurrente celebrant. (2)

III. In ipso Mosis libro, quem de creatione mundi conscripsit, non obscura habentur indicia, jam ante Adamum homines in orbe fuisse. Ergo etc.

Prob. ant. 1.° Genes. IV. dicitur: *Fuit Abel pastor ovium, et Cain agricola.* Ergo artes rusticanae jam eo tempore natae erant. 2.° Ibid. v. 14. Cain fratricida ait: *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* 3.° Ibid. v. 17. dicitur: *Aedificavit Cain civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Atqui haec omnia aperte probant jam tum alios homines fuisse in terra. Ergo etc.

Resp. neg. min. Ad I. Quamvis Scriptura eo loco de duobus tantum Adami filiis mentionem faciat; notum tamen est ex iis, quae cap. V. dicuntur, Adamum genuisse filios et filias. Eo ergo tempore, quo Abel occisus est, plures jam existebant Adami nepotes, et pronepotes. Unde jam satis creverat Adae familia, ut sustentationem potuerit ex agricultura et arte pecuaria quaerere.

Ad II. Juxta hebraeum legi potest: *Omne, quod invenerit me, occidet me.* Cain ergo timere potuit, ut Josephus observat *a*), ne a bestiis dilaceraretur. Praeterea optime noverat, augendum fore hominum numerum, et fortassis eo tempore jam satis creverat ex aliis Adae filiis.

Ad III. Probabile est Cainum civitatem suam non statim post Henochii nativitatem aedificasse, sed multis post annis, cum jam plures haberet filios et nepotes. Illa autem sic dicta civitas ex rudi materia et ferarum metu condita fuisse videtur.

Haec et alia quaedam Praeadamitarum objecta fusius refutata inveniuntur apud *Natal. Alexandr.* Diss. II. in primam mundi aetatem.

§. II.

De statu hominis ante lapsum.

OBSERVANDA.

I. Manifestum est hominem a Deo condi non potuisse, nisi ob aliquem finem; non enim Deus temere et inconsulto, sed sciens et volens, et sapienter agit. Quodsi finis alicujus causa homo creatus fuit; auxilia quoque, atque ut loquuntur, media, quibus finem suum assequi posset, a conditore accepit; hoc quippe eadem Dei sapientia postulat. Nec minus certum est, hominem, quamvis a natura sua id non habeat, ut ad unum potius, quam ad alium finem ordinetur; tamen non potuisse in statu aeternae miseriae procreari; nec in statu peccati, aut ita, ut necessario peccaret: Deus enim auctor peccati esse non potest, nec aeternis poenis addicere insontes. Caeterum plures sunt possibiles naturae humanae status, quorum alii aliis essent praestantiores, idque ex voluntate et bonitate Dei pendet, ut ad unam potius quam ad aliam conditionem destinetur homo.

II. Ex Scriptura aeque ac Traditione certum est, primos parentes conditos fuisse in statu innocentiae, et ordinatos ad felicitatem supernaturalem, quae in visione Dei consistit: ideoque et gratia supernaturali fuisse munitos, et quidem, ut communis sententia est, gratia sanctificante, et habitu ipso charitatis. Porro

---

a) Lib. I. Antiquit. cap. IV.

cum hac animi rectitudine et sanctitate alia, eaque egregia dona conjuncta erant, tum corporis, tum animae. De hoc statu innocentiae, et primaeva hominum felicitate multa continentur in antiquissimarum gentium traditione. (3)

III. Pelagiani negarunt primos homines in ortu suo donis supernaturalibus fuisse exornatos, contendentes talem nunc nasci hominem, qualis ab initio conditus fuerat, sine peccato et gratia. Pelagianis assentiunt Sociniani et Arminiani. Contra Lutherani et Calviniani, et qui postea secuti sunt, Bajus et Jansenius docuerunt, primos parentes non tantum fuisse gratia sanctificante ornatos, antequam peccassent; sed hunc statum ipsis fuisse debitum, neque potuisse hominem aliter, quam ad finem supernaturalem creari. Exinde vehemens illa de statu naturae purae disputatio, seu de statu, in quo homo absque peccato esset, et simul absque gratia, ad eam duntaxat felicitatem destinatus, quae in cognitione Dei ex operibus sita esset; atque iisdem, quibus nunc conflictamur incommodis, ignorantia nimirum, concupiscentia, morbis cum animi, tum corporis, ac morti demum obnoxius. Hunc statum nunquam extitisse omnes fatentur; at possibilem esse contendunt passim Theologi; negant Janseniani.

PROPOSITIO I.

Primi parentes in statu justitiae, seu sanctitatis conditi fuerunt.

Prob. 1.° Ecclesiastes cap. VII, 30. ait: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Rectitudo haec utique moralis erat et gratiam ac justitiam indicat, qua Deus Adamum vestiverat: nam vox Hebraea יָשָׁר Jaschar saepe de Deo usurpatur, ejusque justitiam, seu rectitudinem significat. Deuteron. XXXII, 4. *Justus et rectus Dominus.* Ibidem XII, 10. ubi dicitur: *moriatur anima mea morte justorum,* in Hebr. habetur: יְשָׁרִים *Jescharim,* rectorum.

2.° Genes. I, 26. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cf. Sap. II, 23. Eccles. XVII. Patres plurimi distinguunt inter imaginem et similitudinem, illam in donis naturalibus, hanc in supernaturalibus reponentes. Vide *Bellarmin.* de gratia primi hominis

cap. II. Omnes autem ex illis verbis concludunt, hominem in ortu suo gratia et justitia fuisse exornatum; idque clarius efficitur ex verbis Apostoli, ad Ephes. IV, 23. 25. *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Apost. hic aperte alludit ad verba ex Gen. I, 26. citata, ac si diceret: *Renovamini spiritu mentis vestrae et efficiamini novi homines similes primo homini, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.* — His concordant verba ejusdem Apostoli ad Coloss. III., ubi nos hortatur, ut renovemur secundum imaginem illius, qui creavit primum hominem. Imago autem illa non est posita in natura animi, quae non renovatur, sed in gratia ipsa. Ait autem v. 9. 10. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui eum creavit.* Apposite ergo ad Scripturae et Traditionis sententiam a Tridentino definitum est Sess. V. cap. I. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset trangressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit.* Et Can. II. *Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Cum hac originali primorum parentum justitia conjuncta erant eximia tum animae tum corporis dona.

Prob. Post hominis creationem Genes. I, 31. additur: *Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Haec utique insignem operis perfectionem significant. Homo quando, perfectis reliquis mundi partibus, a Deo conditus est, ut ejus esset in orbe corporeo minister et vicarius; omnibus illis animi et corporis dotibus cumulatus fuit, quae tam excelso muneri conveniebant. Fuit igitur in illo:

1.° *Mens rerum tum naturalium tum moralium cognitione abunde instructa;* quod ex ipso integritatis et justi-

tiae statu colligitur, in quo homo propior erat Deo et divinae amicitiae particeps; tum ex verbis Eccles. XVII. *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum et mala et bona ostendit illis.*

2.° *Voluntas nullis pravis affectibus vitiata, nullis inordinatis motibus agitata.* Sana quippe erat hominis voluntas et vegeta, et vita supernaturali, ac inhabitante spiritu Dei animata. Summa ergo erat in hac felicissima mente ordinis tranquillitas; justitia originalis vires inferiores subdebat voluntatis imperio, voluntatem rationi, rationem Deo. *Placebant Deo,* ait S. *Augustinus a), et placebat eis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiae, ut, quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum.*

3.° *Corporis immortalitas.* Ita enim definivit Trid. Sess. V. cap. I. de peccato originali. « *Si quis non confitetur, primum hominem Adam . . . incurrisse per offensam praevaricationis . . . mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, anathema sit.* » Si mors effectus et poena peccati est; ergo ante peccatum non fuit. Eandem doctrinam longe ante Trident. solemni decreto stabiliverat Concil. Milevit. cap. I. « *Quicunque dixerit Adam primum hominem mortalem factum; ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* » Ita et alia Concilia loquuntur, quae eo tempore habita sunt adversus Pelagianos, neque Ecclesia unquam aliter docuit. *Semper tenuit Ecclesia Catholica, Adam, nisi peccasset, nunquam fuisse moriturum;* ait S. *Augustin.* lib. VI. Operis imperfecti cap. XXV.

Haec Ecclesiae fides ex Scripturis aperte colligitur. Sic Sapient. I, 3. dicitur: *Deus mortem non fecit.* Et cap. II,

---

a) Lib. II. de peccat. merit. et remiss. cap. XXII.

23. *Deus creavit hominem inexterminabilem ... invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Sic Apostolus ad Rom. V. ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors.* Et cap. VI. mortem appellat: *Stipendia peccati.*

4.° *Vita demum omnis perturbationis et miseriae expers.* Quamvis enim, quae hominis ante peccatum vivendi ratio fuerit, accurate determinari non possit; omnes tamen in eo conveniunt, quod eam prorsus beatam fuisse concedant, omnibusque quae nostram mortalem vitam conturbant, malis solutam. Nihil ei periculi a belluis, quibus praeerat imperio; nihil ab hominibus, quos concors benevolentia consociasset; vires ne deficerent, reparabat lignum vitae; et ne quocunque casu sinistri quidquam accideret, specialis Dei providentia curabat. *Vivebat,* ait S. *August. a), sine ulla egestate, ita semper vivere habens in sua potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus aestus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonae voluntatis offensio.*

PROPOSITIO III.

Status justitiae et felicitatis, in quo conditi sunt primi homines, non erat eis debitus.

Prob. I. Ille status justitiae et felicitatis neque ex parte hominis necessarius fuit, neque ex parte Dei. Ergo etc.

Prob. ant. 1.° Non ex parte hominis, quia in illo statu homo fini supernaturali destinatus fuerat: sed finis ille supra humanae naturae sortem est, quemadmodum et auxilia gratiae, quibus ad eum pervenisset. Ergo homini nullo modo debebantur. 2.° Non ex parte Dei: Deus enim in actionibus externis liber est; nec quidquam est, quod

---

a) Lib. XIV. de civit. Dei cap. XXVI.

eum cogere possit, ut unum potius, quam alium perfectionis gradum creaturis largiatur. Ergo etc.

Prob. II. Ex damnatione propositionum Bajanarum, quam universa Ecclesia summo consensu amplexa est. Inter alias a *Pio* V. et *Gregorio* XIII. damnatas propositiones haec legitur ordine XXI. *Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Et XXVI. *Integritas primae creationis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Hinc S. *Augustin.* lib. IV. contra Julianum cap. XVII. ait: *Gratia Dei magna erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat; et posse non mori praestabatur Adamo de ligno vitae, non de constitutione naturae; mortalisque homo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.*

Corollar. *Ergo possibilis est status naturae purae.*

Patet ex propositione. Argumentis ibi relatis adjicimus damnationem hujus LV. propositionis Bajanae: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Qui plura hac de re nosse desiderat, adeat Theologos, qui de ea diffusius tractarunt. — Inter alios Doctiss. *Tournel.* tom. I. de gratia Christi pag. 68.

SOLVUNTUR OBJECTA.

Objiciunt contra I. et II. propos. 1.° Vix intelligitur, qua ratione peccare potuerint primi parentes, si in statu justitiae conditi fuerunt, totque eximiis naturae et gratiae donis instructi. 2.° S. *Augustinus* variis in locis docet, Adamum in creatione non statim recepisse spiritum gratiae; sed solum spiritum animae rationalis. Ergo etc.

Resp. neg. ant. ad I. Nihil est intellectu facilius, quam hominem, qui liber conditus est, ac dominus viarum suarum, a gratia, quam accepit, potuisse peccando excidere. Justitia originalis non fuit in illo impotentia peccandi, aut impeccantia. Auferebat quidem voluntatem peccandi quamdiu stabat; facultatem autem peccandi non auferebat.

Ad II. Quae ex S. *Augustino* vulgo adducuntur, facile dilui possunt ex contextu et scopo auctoris. — Agit enim in illis locis vel de corporis immortalitate, aliisque bonis naturalibus ad perfectam hominis felicitatem pertinentibus; vel de illa justitiae stabilitate, quam homo debuisset sua obedientia promereri. Sic ait Adamum prius in omnimoda felicitate constitutum non fuisse, quam translatus fuerit in Paradisum: non habuisse eum a natura, ut immortalis esset, ideoque et cibo et potu eguisse, beneficio autem conditoris assecutum, ut si in bono perseverasset, mortem non vidisset in aeternum; sed post exactam in hac terra vitam ad visionem Dei fuisset assumptus, mutato etiam corpore in impassibile et gloriosum. Discrimen iterum faciendum est inter statum, in quo Adam conditus fuit ante lapsum; et eum, quem potuisset assequi merito obedientiae. Quamvis enim in ortu suo gratia originali fuit instructus, nondum tamen erat in justitia confirmatus.

Caeterum fatemur fide certum non esse, primos parentes in prima statim sui conditione, vel in ipso creationis momento justitia originali fuisse ornatos: fuerunt enim nonnulli, qui assererent, homini libertate sua utenti, gratiam ante non fuisse collatam, quam ad illam beneficio gratiae actualis sese disposuisset. At omnes concedunt, eum saltem ante lapsum in justitia constitutum fuisse; idque fide credendum est, cum sit aperte definitum a *Conc. Trid.* Sess. V. cap. I.

Nota. Multa hic de S. *Augustini* sententia disputant Theologi, non quidem, an hominem ante peccatum in sanctitate constitutum fuisse docuerit, de quo nemo dubitat; sed an aliam gratiam praeter sanctificantem admiserit, et quae illa fuerit. Imprimis celebris effecta est distinctio adjutorii *sine quo non*, et adjutorii *quo*; primum ait homini innocenti datum fuisse, ut posset perseverare; alterum in praesenti statu homini necessarium esse, ut perseveret. *Adjutoria ipsa distinguenda sunt*, ait *a*): *aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; et aliud est adjutorium, quo aliquid fit.* Mirum est quantam vim Janseniani in ista distinctione ponant. Hanc basin esse dicunt, hoc fundamentum, quo tota *Augustini* de gratia doctrina superstruatur; quamvis S. Doctor

a) Lib. de Corrept. et grat. cap. XII.

illam semel tantum adhibuerit, et quidem in libro, quem in fine vitae et post devictos Pelagianos scripsit. Sed illi magnum sibi subsidium quaerunt in illo loco, nec quidquam omittunt, ut illum in causae suae patrocinium trahant. Contendunt igitur Augustinum per adjutorium *sine quo non*, quod Adae innocenti concessum fuerat, veram, actualem et interiorem gratiam intellexisse, sed talem, quae liberum relinqueret assensum ad oppositum: per adjutorium autem *quo* gratiam relative victricem, quam dicunt homini esse in praesenti statu ad perseverandum necessariam. Aliter Catholici locum interpretantur; et licet non sint inter se consentientes, omnes tamen uno ore docent, *Augustinum* per adjutorium *quo* nullam necessitantem gratiam, neque absolute, neque relative victricem intellexisse. Caeterum disputant, utrum bona voluntas, in qua homo conditus est, fuerit actualis charitas, an habitus charitatis; et, si praeter sanctificantem gratiam actuali adjutorio indiguit ad perseverandum, utrum in intellectus tantum illustratione illud positum fuerit, an etiam in motione voluntatis. Et quidem omnino fatendum videtur, Adamo ante lapsum divinae lucis illustratione opus fuisse, ut ad agendum bonum regeretur; forsan et actuali voluntatis auxilio, quo in operando adjuvaretur.

Ex hac opinionum diversitate diversa quoque oritur interpretatio utriusque illius adjutorii, de quo S. *Augustinus* loquitur; alii dicunt, eum per adjutorium *sine quo non* Adami innocentis intellexisse habitum charitatis primo homini infusum; per adjutorium *quo* hominis lapsi gratiam actualem internam, in hoc praesenti statu necessariam: alii primum Adami adjutorium in gratia illustrante ponunt, secundum in gratia voluntatem movente et adjuvante. Demum sunt et alii gravissimi Theologi, qui contendunt adjutorium *sine quo* perseverare non potuisset homo innocens, veram fuisse gratiam voluntatis excitantem et adjuvantem, sed eam, quam sufficientem vocant Theologi: adjutorium autem *quo*, gratiam efficacem, quae dat velle et perficere. S. *Augustinum* in ea sententia fuisse, quod homo in statu innocentiae alio adhuc Dei adjutorio indiguerit, praeter voluntatis rectitudinem et habitualem gratiam, ex pluribus ejus testimoniis eruitur. Sic lib. de natura et gratia cap. XXVI. ait: *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic et homo licet plenissime justificatus, nisi aeterna luce*

justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. In Enchir. cap. XXV. de Adamo adhuc innocente loquens: *Sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.* Et ibid. cap. XVI. *Ut ab eo teneretur vita justitiae, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret.*

Objic. II. contra III. propos. et coroll. Sola intuitiva Dei visio potest esse finis hominis ultimus. Siquidem homo naturaliter illam appetit; tum quia in ea sola satiari potest, quod homini naturale est summae beatitudinis desiderium, tum quia, ut S. *Thomas* docet *a*), homo naturaliter viso effectu, desiderat videre primam causam. Ergo etc.

Resp. I. Pluribus modis res aliqua potest dici naturalis. 1.° Naturale dicitur omne id, quod ab ipsa nativitate conceditur. 2.° Quod naturae consentaneum est, quam ornat, et perficit. Hoc duplici modo dici posset, justitiam originalem primis hominibus fuisse naturalem. 3.° Naturale dicitur, quod est rei ipsius natura, vel saltem proprietas naturam consequens; ita ratiocinari homini naturale est. 4.° Demum, quia aliquid ita est rationi et aequitati consentaneum, ut sine laesione rationis atque justitiae denegari non possit. Hoc tertio et quarto modo justitia originalis et destinatio hominis ad visionem intuitivam non sunt donum naturale.

Resp. II. neg. ant. Homo quidem ex natura capax est, qui destinetur ad clarum Dei intuitum; nihil autem exigit, ut ad tam sublimem destinetur finem. Porro si homo ad finem supernaturalem conditus non esset; quomodo naturali desiderio clarum divinae essentiae conspectum expetere posset, et eam sitire beatitudinem, quam ignoraret? Appetitus boni homini innatus nihil est aliud, quam propensio in bonum, quod natura assequi potest. Quod autem dicitur, hominem habere summae beatitudinis desiderium, hanc autem in Dei visione consistere; id evidenter nimium probat; nam etiam Sanctorum et Angelorum beatitudo non est tanta, quanta esse posset, nec pro omnibus eadem; ex quo sequeretur, ne sanctos quidem in coelo esse beatos. Neque illud aliquid probat, quod homo naturaliter viso effectu desideret

---

a) Lib. III. cont. gentes cap. V. — et P. I. Summae quaest. XII. Art. I.

videre causam primam; illam utique cognoscere desiderat, quantum illud naturae conditio patitur. Homines habent propensionem ineluctabilem ad beatitudinem in genere; quod autem in uno potius quam in alio hanc felicitatem quaerunt, id certe fit ex aliqua inclinatione; quia varia sunt hominum vota et sibi valde opposita.

Instant I. Deus non potest homini deesse in iis, quae ad finem assequendum sunt necessaria: atqui gratiae auxilia necessaria sunt homini, qui enim praecepta impleret, tentationes superaret, si haec deessent; cum in praesenti statu homo Christi gratia adjutus vix ista efficere queat? Ergo impossibilis est status ille in quo homo gratia careret.

Resp. dist. min. Gratiae auxilia homini necessaria sunt, ad finem supernaturalem, *conc.*, in statu quocunque possibili, *nego*. Quod homo ad unum potius quam ad alium destinetur finem, id omnino pendet ex voluntate et bonitate Dei; atque ad naturam hominis id unum maxime pertinet, ut voluntati divinae subjaceat. Sed hoc Deus debet, non utique homini, cui nihil debet, sed sibi; ut cum hominem ad certum finem destinavit, ipsi quoque auxilia non desint finis consecutioni attemperata. Ergo etiam in statu naturae purae, ubi homo ad finem naturalem creatus fuisset, iis utique munitus fuisset praesidiis, quibus implere potuisset naturae praecepta. Verum haec auxilia fuissent ordinis inferioris, atque, ut natura pura dicitur non absolute, sed comparata cum ea conditione in qua creati sunt primi parentes: sic auxilia illa dici possunt naturalia quodam modo, ubi cum auxiliis superioris ordinis conferuntur. Ideo a nobis sub nomine gratiae non comprehenduntur, quae est auxilium Dei supernaturale, quod homini ad finem supernaturalem assequendum necessarium est.

Instant II. In statu naturae purae homo nasceretur absque peccato et nihilominus ignorantiae et concupiscentiae esset obnoxius: atqui hoc est impossibile. Ergo etc.

Prob. min. Ignorantia et concupiscentia sunt poena peccati teste *Augustino* in pluribus locis et consentiente ipsa Scriptura, quae concupiscentiam vocat peccatum, ad Rom. VII, 20—23. Ergo etc.

Resp. dist. min. Ignorantia et concupiscentia sunt poena peccati in praesenti statu et quales nunc sunt in natura lapsa et corrupta, *conc.*, absolute et etiam in alio statu possibili, *nego*. Mens humana cum sit finita, ignorantiae et errori est obnoxia. Ita etiam humanae naturae proprium est, ut sentiente appetitu donetur, quo in bonum sensibile propendeat et malum itidem sensibile refugiat: ea porro appetitio secundum se spectata nihil habet vitii; et si contingeret, ut hominem a bono spiritali avocaret, illud per accidens tantum efficeret et indirecte; non per se instar vitiosi habitus, sed instar defectus naturalis, qui ex utriusque partis animalis et rationalis conjunctione oritur. Unde et illud statuendum putamus, quod constituta etiam hypothesi naturae purae ignorantia tanta non fuisset, ut hominem effecisset belluis quodammodo inferiorem, adeo ut is, quae ad vitam tuendam sunt necessaria, non vidisset. Hanc S. *August. a*) ex comparatione infantis recens nati cum pullis animantium explicat, atque recte ex ea peccatum originis colligit. Sed et concupiscentiae vis utique tam vehemens non fuisset, ut est in homine per peccatum corrupto; haec enim non solum defectus est naturae, sed etiam mala et turpis, tum in sua causa, tum in effectis. Atque de hac effraeni concupiscentia loquitur Apostolus; hanc S. *August.* ex peccato originis ortam esse contendit. Igitur non satis accuratum videtur illud quorundam dictum: *Status naturae purae non magis differt ab eo, in quo nascimur, quam homo nudus a spoliato:* differt potius in eo, quod in primo statu natura quidem nuda sit, seu destituta auxiliis superioris ordinis; in secundo autem non spoliata tantum, sed et corrupta et sauciata.

Cfr. *Tournelium* tom. I. de grat. Quaest. II. Art. III. aliosque non obscuros, sed doctissimos, atque doctissimorum saeculorum Theologos.

---

a) Lib. de peccat. meritis et remiss. cap. XXXVIII.

CAPUT TERTIUM.

DE ANGELORUM ET HOMINUM LAPSU.

ARTICULUS I.

De lapsu Angelorum.

OBSERVANDA.

Probatum est superiori capite, Angelos in statu rectitudinis creatos fuisse; neque enim fieri potest, ut Deus, qui est natura optimus, creaturas produceret in sua jam origine vitiatas. Imo probabilis omnino sententia est, Deum illos a primo ortu suo gratia sanctificante exornasse, ita ut cum bona voluntate, id est, cum amore casto illi adhaererent; *simul in eis et condens naturam et largiens gratiam*, ut ait *August.* lib. XII. de civit. Dei; ubi et haec addit, Angelos qui in hac bona voluntate steterunt, *pervenisse ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent.*

Quaecunque autem supponatur Angelicae naturae excellentia, certum est, eos a statu felicitatis, in quo creati fuerunt, excidere potuisse, quia liberi erant et libertate sua abuti poterant, quamdiu in sua bonitate non fuerunt Dei beneficio firmati. Facillimum esset haec Patrum testimoniis roborare, qui idipsum, quod Angeli boni nunc sint in sua bonitate immobiles, non eorum naturae tribuunt, sed divinae gratiae; ac vicissim, quod Daemones in sua nequitia obfirmati sint, ex eo esse volunt, quod divina gratia eos destituerit. Plura Patrum testimonia refert *Petavius* Theolog. dogmatum Tom. III. de Angel. Verum quid necesse est de peccandi possibilitate multa disputare, cum ex Revelatione certum sit, plurimos ex Angelis a Deo creatore suo defecisse et in poenam sui peccati in statum summae miseriae fuisse dejectos?

PROPOSITIO.

Angeli non permanserunt omnes in statu justitiae in quo conditi fuerant: sed multi ex illis peccarunt, atque sine spe veniae ad statum summae miseriae dejecti sunt.

Prob. Jesus Joan. VIII, 44. ad Judaeos ait: *Vos ex patre Diabolo estis, ille homicida fuit ab initio et in*

veritate non stetit. I Joan. III. legitur: *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat.* Et Job. IV, 18. *In Angelis suis reperit pravitatem.* Haec quamvis breviter dicta sint, abunde significant, malos spiritus, quos Daemones vocamus, fuisse prima creatione Angelos Dei, sed degenerando se perdidisse. Quantam autem damnationem hac defectione sibi accersiverint, clare apud *Petrum* et *Judam* docetur. *Deus,* inquit S. Petrus Epist. II. Cap. II. *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni* (σειραῖς ζόφου, catenis caliginis) *detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Et S. Judas v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* His accedunt, quae Matth. XXV, 41. leguntur, quando Judex damnationis sententiam pronuntians, ad illos, qui a sinistris sunt, ait: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* Haec utique tam aperta sunt, ut nullus maneat cavillationi locus.

Eandem doctrinam constanter et unanimi consensu tenuit Ecclesia Catholica. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum testimonia legi possunt apud jam laudatum doctiss. *Petavium.* Sicut S. *Thomas* inter omnes Scholasticos subtilissime, sic *Petavius* inter omnes dogmaticos eruditissime et copiosissime de Angelis disseruit.

OPPONUNT.

Patres et Theologi, quando de Angelorum lapsu loquuntur, in diversas abeunt sententias. Ergo falsum est, unanimem esse eorum doctrinam.

Resp. dist. ant. In diversas abeunt sententias circa quaestiones quasdam adiaphoras, quae summam dogmatis non concernunt, *conc.* circa ipsam dogmatis substantiam, *nego.* Patres omnes unanimi consensu docent, 1.° Quod multi ex Angelis peccaverint; 2.° Quod a statu pristinae dignitatis fuerint dejecti; 3.° Quod damnati fuerint ad ignem aeternum. Haec Ecclesiae publica fides tenet, haec Scriptura docet, haec omnis Traditio loquitur. Sunt autem aliae quaedam quaestiones, quae ad dogma Catholicum non pertinent. In his utique non concor-

dant Patrum testimonia, nec Theologorum opiniones. Nos eas, quia subticeri in totum non possunt, certe leviter attingemus, ne videamur supervacuis immorari, et sine fructu curiositatem pascere.

QUAERITUR ITAQUE

I. *Quodnam fuerit primum illud peccatum, quod Angelos malos in tantam ruinam praecipitavit?*

Resp. Fuerunt ex Veteribus nonnulli, qui putarunt Angelos malos ideo e coelo dejectos fuisse, quod capti specie mulierum cum illis consuetudinem habuerint. Sic enim interpretabantur locum illum Gen. VI. de Gigantibus. Ita *Josephus a*), *Justinus*, *Athenagoras*, *Clemens Alexandr. b*), et *Tertullian.* At S. *Chrysostomus c*) hanc opinionem fabulam vocat et blasphemiam; nusquam enim Angeli in Scriptura filii Dei vocati sunt, et constat eos ante Adamum lapsos esse, cum scriptum sit Sapient II. *Invidia Diaboli mors intravit in mundum.*

Igitur missa hac opione, cum praeterea flagitium illud in meros spiritus non cadat; alii Patres aut invidiae, aut superbiae crimen eos admisisse arbitrantur. Invidia quidem eos arsisse in genus humanum, nemo dubitat; verum invidiam primum illud peccatum fuisse, quod aeternae eorum ruinae causa extitit, probabile non est; nam sententia communior, et Scripturae magis consentanea tenet, Angelorum ruinam ante hominis formationem contigisse. Manet ergo superbiae peccatum, quod et Scriptura innuit variis in locis. Tobias ita filium suum hortatur cap. IV. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumsit omnis perditio.* Illa quoque Isaiae XIV, 11. 12. 13. *Detracta est ad inferos superbia tua.... Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer?... Qui dixisti: in coelum conscendam.. similis ero Altissimo*, quae de rege Babylonis dicta sunt, Patres passim de principe rebellium Angelorum interpretantur, cui etiam nomen *Luciferi* inde adhaesit.

Caeterum quodnam illud superbiae peccatum fuerit, iterum inter Patres et Theologos finitum non est. An forsan Dei

---

a) Lib. I. antiq. cap. IV. *b*) Lib. II. Paedag. cap. II. *c*) Hom. XXII. in Genes.

aequalitatem affectavit? Verum qui fieri potuit, ut in Angelo tanta esset mentis caecitas? An non se infinito intervallo a Deo distare, et ejus imperio vel invitum subjectum esse noverat? Plerique igitur ab hac sententia discedentes, ideo putant superbia peccasse Diabolum, quod propriae excellentiae amore obcaecatus in ea finem suum ultimum constituerit, atque in se ipso invenire voluerit suam felicitatem citra alterius opem. Quo quidem modo voluit esse ut Deus, non quod omnimodam cum Deo aequalitatem appetierit, quod est omnino incredibile; sed quod ipse suae felicitatis architectus esse voluerit: atque, ut ait *Anselmus*, peccavit male appetendo illud, ad quod pervenisset, si stetisset. Quis autem non statim videt, summam in hoc esse superbiam et impietatem? Superbia est perversae celsitudinis appetitus, ut *Augustin.* definit *a*); perversa autem celsitudo est, ut idem S. Doctor ait, deserto eo, cui debet animus inhaerere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium.

II. *Utrum inter Angelos apostatas aliquis fuerit princeps et dux rebellionis?*

Resp. Diserta sunt in hac re Scripturae testimonia. Matth. XXVI, 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est Diabolo et Angelis ejus.* Ibid. cap. XII. Beelzebub vocatur princeps Daemoniorum. Apocal. XII. *Draco pugnabat et Angeli ejus.* Ita et Patres passim docent. Jam quis fuerit ille princeps rebellium Angelorum, quique aut *Diabolus*, aut *Satanas*, aut *Lucifer* appellatur, nec Scripturae, nec Patrum auctoritate constat. Plerique eundem eum fuisse putant, qui princeps erat spirituum coelestium; ita *Tertull. b*), *Gregor. Papa c*). Alii tamen, ut *Nyssenus d*) et *Damascen. e*), eum collocant in infimo Angelorum ordine, cui rerum terrenarum procuratio commissa fuerat. Quo autem modo ille Angelorum Coriphaeus alios in peccatum traxerit non minus obscurum est. An exemplo? An persuasione? An singuli principes esse voluerunt, nulli subjecti? An eos inducere voluit, ut relicto Deo, quem nondum videbant, ad sui cultum, cujus splendorem intuebantur, se converterent? Sed ne illud quidem certa ratione definiri potest, an aliqua inter-

---

a) Lib. IV. de civit. Dei cap. XIII. *b*) Lib. II. cont. Marc. cap. X. *c*) Lib. IV. Moral. cap. XIII. *d*) Catech. VI. *e*) Lib. II. c. IV.

cesserit mora inter creationem Angelorum, et eorum lapsum? Verum de his occultis fusius disputare, nostri non est instituti.

III. *An Angeli desertores jam nunc poenas peccati sui patiantur, et quo fuerint post lapsum depulsi?*

Resp. Inter Catholicos hodie communis sententia est, Daemones omnes jam nunc poenam sustinere peccati. Veteres autem quamplurimi censuerunt, eos nondum igne inferni cruciari, sed in diem judicii servari puniendos. In sententiae suae confirmationem adducunt *Petri* et *Judae* testimonia, supra citata, ubi dicitur rebelles Angelos *in judicium reservari;* tum ea quae Matth. VIII, 29. leguntur: *Jesu, fili Dei, venisti huc ante tempus perdere nos?* Ac demum illam supremi judicis sententiam, Matth. XXV, 41. *Discedite . . in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* Quamvis igitur contraria opinio probabilior videatur plerisque: haec tamen citra justam reprehensionem defendi potest, et *Petavius* observat *a*) eam ab omni erroris nota immunem esse. Eadem occurrit opinionum diversitas, quando locus quaeritur rebellium Angelorum. *Petrus* loco citato ait, eos in Tartarum detrusos, *Judas*, illos vinculis aeternis sub caligine reservari. Ex his consequi videtur Daemones in inferno detineri. Sed contra pugnant alia Scripturae et Patrum testimonia; Jobi I. et I Petri V. Satan, aut Diabolus dicitur perambulare terram; circuire, quaerens quem devoret. Apostol. ad Ephes. II. illum vocat principem aëris hujus, et ibid. cap. VI. fideles hortatur, ut pugnent *adversus insidias Diaboli . . . contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* His accedunt frequentissima Scripturae loca, quae nobis Daemones exhibent saluti nostrae constanter insidiantes, neque artibus parcentes ullis et machinationibus, ut imperium in homines exerceant, eosque in mala quaecunque praecipitent. His rationibus inducti quamplurimi existimant, magnam saltem Daemonum partem in aëris regionibus versari. Inter alios S. *Augustinus* lib. VIII. de civ. Dei cap. XXII. malos Angelos ait *esse Spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant.* Consuli potest Dr. Brenner's

---

a) De Angel. lib. III. cap. IV. §. 20.

freie Darstellung der Theologie I. Bd. — Teufel S. 564. und Dämonen S. 602.

ARTICULUS II.

De hominis lapsu.

OBSERVANDA.

Quemadmodum Angeli, in summa beatitudinis luce constituti, non omnes suum principatum servarunt; sed propriae excellentiae amore elati, dum ascendere, et similes esse Altissimo voluerunt, sede sua deturbati sunt, et rudentibus inferni detracti in Tartarum: sic et homo non diu stetit in ea, qua a Deo ornatus fuerat, gratia; sed divinorum munerum oblitus, divina quoque monita, minasque contempsit. Gustavit lethalis arboris mala, quibus eum interdixerat optimus parens, atque ita e sublimi gradu depulsus, bona, quibus cumulatus fuerat, sibi perdidit et posteris, insuper et se et totum genus suum in summam perniciem adduxit. Hanc nunc tristissimam generis nostri ruinam contemplemur, exinde enim novus rerum ordo deducitur, ac ea, in qua nunc omnis spes nostra collocata est, supernaturalis providentia, quae tota in eo occupatur, ut naturam sanaret per peccatum sauciatam, et malis mederetur, quae in nos parentum culpa effudit. Magnos ex hac consideratione fructus colligemus, si discimus non superbe sapere, nec intumescere inani fiducia; sed viles nos existimare et miseros. Sit semper ante oculos nostros positum triste foeditatis et ignominiae nostrae spectaculum, ut humili mente opem coelestem efflagitemus, et novo studio accendamur quaerendi Dei salvatoris nostri, in quo omnis nostra salus collocata est.

Ut in hac difficili quaestione recto ordine procedamus, peccatum illud, quod primos parentes, stirpemque eorum totam contaminavit, primum in illis considerabimus, qui ejusdem fuerunt auctores; tum in posteris, ad quos propagatum est.

§. I.

De peccato primorum parentum.

PROPOSITIO I.

Primi parentes legem sibi a Deo positam transgressi sunt, eamque transgrediendo graviter peccarunt.

Prob. I. pars. Lapsus primorum parentum est res facti, quam ex omnibus Revelationis criteriis discimus. Gen. II, 17. refertur divinum mandatum de non comedendo fructu vetito. Quomodo autem et quibus velut gradibus primi illi homines non tam descenderint, quam praecipites e sublimi statu ceciderint, capite III. describitur. Unde necesse non est pluribus haec probare. Ad Scripturae testimonia accedit non Synagogae tantum et Ecclesiae Christianae, sed et totius humani generis traditio.

Prob. II. pars. Quod autem non leve fuerit primorum hominum peccatum, sed grande et detestabile delictum, his potissimum rationibus conficitur. 1.° Gravitas illius peccati non ex eo tantum aestimanda est, quod de fructu vetito comederint: sed quod Daemoni fidem praebuerint et quidem majorem quam Deo et adversus ipsum Deum; quod Dei liberam servitutem exuerint, sublimiora, quam eorum natura ferebat, ambientes juxta fallacem serpentis promissionem: *Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.* Unde cecidit Daemon, inde dejecit. 2.° Gravitas transgressionis crescit ex facilitate praecepti et conjuncta cum praecepto poenae comminatione. *Quisnam satis explicet,* ait *Augustinus* lib. XIV. de civit. Dei cap. XII., *quantum malum sit non obedire in re facili, et tantae potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?* 3.° Attendendum est ad Dei contemptum et detestabile ingrati animi crimen. *Contemtus est Deus jubens,* ait *August.* loc. cit. cap. XV., *qui creaverat* (hominem), *qui ad suam imaginem fecerat, qui caeteris animalibus praeposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam, salutisque praestiterat: qui praeceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat.* Et certe, an non prodigiosa haec impietas fuit terrae filio, quod plus appetendo, quam con-

cessum erat, tantam Dei liberalitatem, qua ditatus fuerat, indigne spreverit, parum habens, quod ad imaginem Dei factus esset, nisi accederet aequalitas. 4.° Quae demum peccatum illud consecuta sunt mala, satis quam atrox illud fuerit, demonstrant. *Quanti hoc aestimaverit, qui non potest falli, satis apparet granditate supplicii.* S. *August.* lib. VI. operis imperf.

PROPOSITIO II.

Effectus peccati in primis parentibus fuerunt: 1.° *Justitiae originalis amissio;* 2.° *mors animae;* 3.° *concupiscentia et ignorantia;* 4.° *variae hujus vitae miseriae, et tandem mors corporis.*

Prob. 1.° Post narratam hominis trangresssionem, sacer textus addit v. 7. *Et aperti sunt oculi amborum* . . . id est: Homo gratiae et justitiae tegumento per peccatum spoliatus, nunc advertit suam nuditatem. *Ante enim,* ut ait S. *Chrysost.* hom. XVI. in Genes., *gratia Dei erat eis pro vestimento.* Et *August.* lib. XIV. de civ. Dei cap. XVII. *Cognoverunt ergo, quia nudi erant, nudati scilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet* . . . et cap. XIII. ibid. *Aperti sunt oculi eorum, non ad videndum, nam et antea videbant; sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, et malum, in quod ceciderant.*

2.° Mortem animae ex Adami peccato secutam Apostol. his verbis indicat ad Rom. V, 16. *Judicium ex uno in condemnationem.* Et v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Si enim in posteros haec condemnatio propagata est; multo magis ipsum peccati auctorem attingere debuit.

3.° Quod concupiscentia rebellis effectus peccati fuerit in primis parentibus, patet ex ipsa lapsus illius tristissimi narratione Genes. cap. II. et III. — Cap. II. de utroque parente, antequam justitiae veste exuti fuerint, dicitur: *Erat autem uterque nudus* . . . *et non erubescebant.* At postquam a Deo suo peccando defecerunt, experti sunt statim in se ipsis carnis adversus spiritum rebellionem.

Donatus est homo sibi, ut S. *August.* observat lib. XIV. de civ. Dei cap. XXIV., *quia deseruit Deum placendo sibi; et non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi . . .* et eod. lib. XIV. *Justa damnatio subsecuta est; talis quidem damnatio, ut homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerit etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis.* Porro haec animi corruptio tanta sine ignorantia cogitari non potest: nam mentem deprimit et obnubilat vitiata et immodicis aestibus ac cupiditatum tumultu agitata voluntas.

4.º Quod mortem attinet corporis, aliaque mala pene innumera, quibus Deus in primos peccatores animadvertit, legi possunt, quae in Genesi narrantur cap. II, 17. atque imprimis cap. III., ubi Deus post commissum peccatum in reos damnationis sententiam tulit, eosque ex paradiso ejecit.

Haec omnia *Concilium Trident.* complectitur in suo decreto de peccato originali Sess. V., ubi can. I. ex Scripturae et Traditionis auctoritate ita definivit: *Siquis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram Dei atque indignationem, et ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli; totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Inter Scripturae interpretes non constat, quo sensu intelligenda sit tota illa Mosis narratio, cui doctrina de primo hominis lapsu innititur. Ergo etc.

Resp. Omnes Catholici interpretes unanimi consensu docent, in tertio capite libri Genesis agi de lapsu primorum hominum; hos praeceptum Dei transgrediendo graviter deliquisse; atque dejectos e pristino gradu poenas praevaricationis dedisse gravis-

simas. Quodsi aliqui juvenili magis, quam pravo animi affectu inducti narrationem ipsam in sensu litterali intelligendam esse negant, ac pulchrum esse putant, ad novae exegesis normam multa de Mythis ac poëticis fictionibus disserere, paucissimi tamen ii sunt, neque aliquid hucusque contra communem Patrum et Theologorum sententiam proferre potuerunt, quod non jam a veteribus et novis incredulis dictum fuisset, et jam centies a Patribus et doctissimis interpretibus refutatum. Narrationem Mosis veram continere historiam, ita tamen ut sub serpente Diabolum latuisse intelligamus, et quaedam, secundum modum loquendi Orientalium interpretemur, ex sanae Critices et Hermeneutices regulis facile eruitur; illud imprimis exigit Patrum consensus, et plura Scripturae testimonia, quae sensum litteralem respiciunt. — Conf. Joan. VIII, 44. — II Corinth. XI, 3. — I Timoth. II, 44. — I Joan. III, 8. — Apocalyp. XIII, 9. Verus igitur serpens fuit, qui primos parentes decepit, sed Daemon per serpentem locutus est, eumque ut fraudis instrumentum adhibuit. Serpens enim est animal callidissimum, sibilo, veneno, et tortuosis anfractibus mobile, et ideo tali operi congruum, ut *Augustinus* observat. Sed de his plura alio loco dicentur. (4)

Argum. II. Dici non potest quodnam proprie fuerit illud primorum hominum peccatum; neque, cur Deus, qui summe bonus est, illud tam severe ultus fuerit, cum tota narratio probet leviorem tantum culpam fuisse, et brevissimi temporis. Ergo etc.

Resp. ad I. Paucissimis verbis Scriptura peccatum Adami commemorat, cujus autem generis id fuerit, non explicat. Patres Tridentini Sess. V. illud vocant *offensam praevaricationis; inobedientiae peccatum;* speciem tamen peccati non determinant; sic et Apostolus illud *inobedientiam* appellat, quae generalis determinatio est, omnis generis peccata complectens. Communis, et in Scholis passim recepta sententia est, omnis mali initium fuisse superbiam. Hinc *Augustin.* de primis hominibus haec habet: *In occulto mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur; non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset mala voluntas; porro malae voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Initium omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus?* Illa scilicet

seductoris verba: *Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum*, vehementer animum exstimularunt, atque incredibilis in Deum perfidiae fuerunt occasio. Superbiam, ut videtur, subsecuta est curiositas, ut scirent bonum et malum; tandem accessit intemperantia. *Vidit mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum.*

Resp. ad II. Quod gravis fuerit Adami culpa proposit. I. hujus §. probatum est. Et certe, si foedum et execrabile scelus est Apostasia, qua se homo conditoris sui imperio subducit, et petulanter excutit ejus jugum; frustra extenuatur peccatum Adae. Quanquam non simplex Apostasia fuit, sed cum foedis in Deum probris conjuncta, cum Satanae calumniis fidem adhibet, quibus Deum et mendacii, et invidiae, et malignitatis insimulat. Hinc merito ab *Augustino* appellatur *ruina ineffabilis ineffabiliter grande peccatum.* Enchirid. cap. 45.

Argum. III. Multa adhuc in Mosis narratione occurrunt, quae si ad litteram sumerentur, vix possent cum Dei sapientia et summa bonitate conciliari: nam 1.° quis sibi persuadeat, Deum homini innocenti et justo ejusmodi praeceptum dedisse, quo rem vetaret indifferentem et innoxiam? 2.° An non Deus, qui hominem in iis circumstantiis posuit, in quibus lapsurum praevidit, merito auctor peccati diceretur? 3.° Iniquum videtur, quod Adamus in eandem cum Eva poenam tractus fuerit, cum tamen ejusdem non fuerit praevaricationis reus. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ad I. Sunt, qui putant Deum legem illam tulisse, atque illam adeo arborem prae caeteris prohibuisse, quia revera erat in ea quiddam homini noxium. Ita inter alios S. *Ambrosius* lib. de Paradiso cap. II. Quidquid sit de hac sententia, de qua adhuc, cum de peccati in posteros transfusione agetur, quaedam dicendi occasio recurret, an non concedemus Deo, ut pro summo, quod in nos habet imperio, ejusmodi praecepto potuerit hominis obedientiam experiri? Non de fructus tantum unius abstinentia tunc agebatur. Altius hic spectandum; quia prohibitio illa obedientiae examen fuit, ut parendo Adam se Dei imperio libenter subesse probaret. *Obedientia*, ait *Augustinus a*), *commendata est in praecepto, quae virtus in creatura rationali mater quodammodo est custosque omnium virtutum.*

---

a) Lib. XIV. de civit. Dei cap. XII.

Porro si Deus Adamo legem praescribere ideo voluit, ut occasionem ei liberi obsequii subministraret, merito quaeritur, quam aliam praescribere debuisset? An naturalem? Sed huic in illo statu innocentiae non erat subjecta materia. Neque enim furari, neque quidquam aliud ejusmodi perpetrare homo poterat. Et ratio ipsa humana, quae, quamdiu integra erat, sensus omnes et appetitus absque omni luctamine regebat, legem illam ingenitam, tanquam aliquid necessarium habere debuit et ad naturam pertinens creaturae rationalis. Igitur praecepto positivo opus fuit, quod nulla alia ratione, quam solo Dei praecipientis imperio urgeret: ut sic homo se omnia a Deo habere, et in omnibus Dei dominatui subesse agnosceret.

Ad II. Verum est, quod Deus hominem tentari permiserit, quamvis praeviderit lapsurum; neque id inficiari possumus, quod Deo facillimum fuisset peccatum impedire. *Quis audeat credere, aut dicere*, verba sunt S. *Augustini a*), *ut neque Angelus, neque homo caderet, in potestate Dei non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre.* Si autem ulterius quaeritur: Cur ergo Deus illud permiserit? cum eodem S. Patre respondemus *b*): *Altitudinem consilii ejus penetrare non possum, sed longe super vires meas hoc esse confiteor.* Hoc tamen optime novimus, scientiam Dei causam non esse illarum actionum, quae a libera voluntate proficiscuntur, atque optime S. *Augustinus* ait *c*): *Deus omnia, quorum ipse est auctor, praescit: nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est. Quorum autem non est auctor, justus est ultor. Hinc ergo intellige, qua justitia peccata Deus puniat, quia quae novit futura, non facit.* Primus homo, quamvis ad malum sollicitatus, tentatori facillime resistere potuisset, si voluisset. Praeceptum dederat Deus, et quidem verbis ita expressis, ut nulli esset excusationi locus; neque Eva praecepti oblita erat, quando serpenti aures accommodavit. Sed ecce quibus flexibus tentator in animum mulieris sese insinuat! Audit, et jam fides ejus titubat. Deus affirmate edixerat: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* At illa dubitanter respondet serpenti: *Ne forte moriamur.* Nunc ille titubantem, et jam prope

---

a) Lib. XIV. de civit. Dei cap. XXV. *b*) Lib. II. de Genes. ad litt. *c*) Lib. III. de liber. arb.

victam facile dejicit: *Nequaquam moriemini.... Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Bernard.* de divers. Serm. XXII.

Ad III. Si peccatum ex suo genere consideratur, in utroque parente fuit aequale; cum ambo superbia peccaverint. Sed si ex circumstantiis perpenditur, decerni vix potest, uter gravius peccaverit. Sunt, quae viri culpam minuunt; sunt, quae aggravant. Apost. I. ad Tim. IV. videtur causam peccati potissimum in Evam refundere. *Adam primus formatus, deinde Heva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Verum haec verba satis obscura sunt, et varias interpretationes patiuntur. Et forsan id solum voluit Apostolus dicere, foeminas oportere esse viris subjectas, quia et posteriores sunt in ordine, et priores in culpa; siquidem mulier post virum, et ex viro formata est: vir autem post mulierem et per mulierem cecidit. Caeterum quod Adamus gravissime peccaverit, et gravius fortasse quam mulier, exinde colligitur, quod ipse vir fuerit, et caput mulieris, et ideo peccare minus debuerit. Quod autem ejusdem peccati superbiae reus fuerit, ac Eva, satis haec verba Genes. indicant (cap. III, 22.): *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.*

§. II.

De peccati primorum parentum in posteros propagatione.

OBSERVANDA.

I. Quodsi primus homo in ea, quam acceperat gratia stetisset, haec procul dubio omnibus dotibus comitata ad ejus posteros permanasset. Quia vero peccando ex illa felicitate excidit, omnem simul progeniem secum traxit in ruinam, et tot naturae et gratiae praeclarissima ornamenta non tantum sibi perdidit sed nobis omnibus. Nam quod nudi nunc nascamur et spoliati, atque malis innumeris obnoxii, satis tristi experientia edocemur; neque alia ejus rei causa esse potest, quam primae nobilitatis amissio, et huic conjuncta macula, quae proprie id est, quod peccatum originis dicitur. Sane inter ipsos gentilium Sapientes quamplurimi, cum acriore judicio errores miseriasque humanae vitae perpenderent, naturam esse depravatam fassi sunt, atque hujus depravationis causas vel ex peccatis in superiore vita

admissis, vel ex alia occultiore causa deduxerunt. Praeclara sunt, quae super hoc argumento disserit *Augustin.* adversus *Julianum a*).

II. Pelagianae haeresis id caput fuit, nullum peccatum ab Adamo in posteros ejus dimanasse; peccatum primorum parentum iis solis obfuisse, neque nocuisse posteris nisi forte exemplo et imitatione. Pro Ecclesiae doctrina pugnavit *Augustin.*, ex Scripturarum auctoritate, constanti SS. Patrum Traditione et communi Ecclesiae consensu ostendens, vitiatam esse hominis originem, et primi peccati labem ad omnes homines generatione transfusam. Eandem doctrinam contra Pelagianos stabilierunt *Innocentius* I. et *Zosimus* summi Pontifices, et Concilia particularia non pauca, ac demum *Ephesinum* seu generale III. Errorem Pelagianorum ab Ecclesia proscriptum renovarunt *Albigenses* anno 1278, *Anabaptistae* anno 1540, deinde *Sociniani* et *Remonstrantes*. De his ait doctiss. *Muratorius b*), parum eos a Pelagio abludere; de Socinianis autem, eos cum eodem prorsus sapere, et duriora quam ipse tradidisse. Socinus peccatum originale tanquam fabulam judaicam et ab Antichristo in Ecclesiam introductam irridet; ac generatim Socinianis id propositum fuisse videtur, ut diversas omnium retro saeculorum haereses in se colligerent. Superfluum ducimus de Protestantium recentiorum sententia quidquam commemorare; cum jam satis superque notum sit, plerosque ab omni supernaturali Revelatione abhorrere, neque aliam, praeter suam rationem magistram agnoscere; potius diceres, praeter suam petulantiam et impietatem. Quae enim haec est tam impense jactata sapientia, quae ab omni studiosa investigatione abhorrens, ut plurimum de iis, quae ignorat, audacter pronuntiat, et verae eruditionis inopiam verbosis sententiis tegit? Unde ad eos potiori certe jure pertinent, quae Muratorius de *Joanne Clerico* ait, qui sub ementito nomine *Philoponi* Augustini auctoritatem elevare conatus est. « En expeditam viam cujuscunque quaestionis dirimendae, quamquam difficillimae, et inter ingenia praestantissima dudum agitatae! Satis est pronuntiare sententiam dictatoria voce. Alii rationes excogitabunt, et argumenta contraria dissolvent. »

---

a) Lib. IV. cap. XV. *b*) De ingen. moderat. lib. III. cap. I.

III. Neque mirum, quod peccati originalis impugnatores, iidem quoque hostes sint omnis supernaturalis fidei; sublato enim hoc primo et totius Religionis revelatae capitali dogmate, reliqua omnia corruunt. Est ergo haec de peccato originis una ex gravissimis fidei nostrae controversiis. Et bene docet S. *August. a*), in causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, proprie fidem Christianam consistere. Idcirco idem S. Pater in lib. 1. advers. Julian.. de hac controversia ita loquitur: *Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulae Catholicae defensores, salva fidei compage, non consonant, et alius alio de una re melius dicit et verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.*

IV. Tale est peccatum originis, teste *Augustino b*), *ut eo nihil sit ad praedicandum notius, et nihil ad intelligendum secretius.* Rem habemus in Scripturis clare expressam, perpetua et unanimi Traditione propagatam, Conciliorum auctoritate stabilitam, populorum consensu, ac naturae ipsius, ac intimi sensus nostri testimonio firmatam. Verum si de natura hujus peccati agitur, et de modo, quo in homines diffunditur, magna occurrit obscuritas, tenebrae densae nimis. Hinc ea studiose colligemus, quae fide et Revelatione accepimus, pauca tantum de illis sententiis dicturi, quae a Theologis libere ventilantur. Quod naturam peccati originalis attinet, futile omnino est et absonum Illyrici commentum, originale peccatum substantiam esse a Diabolo fictam, seu ipsam animam rationalem, quae ex Dei imagine in Diaboli imaginem est transformata. Neque cum vera Catholica fide stare potest illa Protestantium sententia, quae peccatum originis ponit in haereditaria naturae pravitate et corruptione in omnes animae partes diffusa; sive in ipsamet concupiscentia, quam Lutherus aliique verum peccatum esse contendunt. Inter Theologorum Catholicorum sententias ea prae caeteris notanda est, quae Pighio et Catharino adscribitur, cum nulla sit, quae longius videatur a sensu Ecclesiae recedere. Quod utique iis condonari potest, qui eo tempore scripsere, quo res nondum erat

---

a) Lib. de peccato orig. cap. XXII. *b*) Lib. I. de morib. Eccles. cap. XXII.

satis cliquata. Docuerunt autem, peccatum originis esse ipsum Adami peccatum nobis extrinsece duntaxat imputatum. Plura de Catholicorum diversis opinionibus legi possunt in Opere M. D. *Wiest* tom. V. et continuatore *Tournel.* lib. III. etc. In hoc autem convenire oportet omnes, quod peccatum originale sit verum et proprium cujuslibet peccatum, includens reatum culpae et poenae: quod consistat in privatione justitiae originalis, et mortem animae inferat; haec enim ab Ecclesia definita sunt expressis verbis.

V. Peccati originalis propagationem, sive modum, quo peccatum, quod in Adamo exordium habuit, perpetuo defluxu a prioribus in posteros transfundatur, nec Scriptura, nec Ecclesia declarat. Id certum, originalem hanc labem omnibus adhaerere, qui naturali generatione ab Adamo descendunt, neque a communi lege excipi eos, qui a parentibus baptismate jam regeneratis nascuntur; ut contra Calvinum, Zwinglium, aliosque novatores a Concil. Trident. definitum est Sess. V. cap. IV. — Communi tamen omnium concessione excipitur Christus Dominus, qui est sanctitas ipsa, et propter consortium divinae naturae nullius peccati labe infici potuit. *Habemus pontificem ... tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato.* Hebr. IV, 15. — Vid. ibid. cap. VII. — et I Joan. III. Major manet de B. Virgine quaestio, quae acriter per aliquod tempus agitata fuit inter Theologos. Sed vicit et opinionum differentiam sustulit communis in Christum et Virginem matrem pietas. Passim ergo Catholici tenent, Beatissimam Virginem, quamvis in Adamo sicut alii homines peccaverit, et tanquam Adae filia peccato originis fuerit subjecta, ab eo tamen speciali privilegio fuisse servatam. Ita pie cum universa Ecclesia credimus, quae, licet hanc sententiam nullibi tanquam dogma fidei proponat, eam tamen ut sanam et piam tuetur, et ne scripto aut verbo impugnetur, prohibet.

Caeterum, qui opiniones Theologorum circa peccati originalis propagationem nosse desiderat, adeat majores Theologos. Pauca quaedam, quantum scilicet Theologiae Candidatis satis esse putamus, in hac adhuc Tractatione dicentur. Sed nullam sententiam, quae ad Scholarum controversias pertinet, defendendam suscipimus. In dubio haerere non erubescimus, ut haesit S.

Augustinus, qui urgenti Juliano respondit *a*): *Hic libentius disco, quam dico; nec audeo docere, quod nescio.* Et Epist. ad S. *Hieronym.... Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis apte convenit. Cum quidam ruisset in puteum,... accedit alius, et eo viso admirans ait: Quomodo huc cecidit? At ille: Obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quaeras.*

PROPOSITIO I.

Ex omnibus Christianae Revelationis criteriis certum est, peccatum primorum parentum in eorum posteros propagari, seu dari peccatum originale.

ARGUMENTA EX SCRIPT. PETITA.

I. Initium ducimus ab insigni testimonio, quod cap. V. Epistolae ad Rom. legitur a versu 12. usque ad 21.; qui locus vere et stricte dogmaticus est. V. 12 ait Apostolus: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem...* et v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ex ipsis Apostoli verbis obvium est 1.° ibi de peccato agi, quod ab uno in omnes diffunditur. 2.° Mortem ex peccato ortam esse, atque ideo in omnes pertransiisse, quia omnes in uno peccaverunt. *Ita in omnes homines mors pertransiit* (per eum), *in quo omnes peccaverunt.* Hunc sensum Patrum et Ecclesiae universalis auctoritas exigit, neque alium scopus Apostoli et contextus patiuntur, ut in contrariorum confutatione ostendetur.

II. Cum his plane consentiunt, quae in aliis locis Apostolus docet. Sic in priore ad Corinth. ait cap. XV, 21. 22. *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quomodo

a) Lib. V. cap. III.

nos omnes in Adam mortuos esse diceret, nisi ille peccando non sibi tantum cladem adscivisset, sed nos quoque in simile praecipitasset exitium? Similia habet II. ad Corinth. V, 14. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est Christus.* Atque universam hominum naturam ea, quam ex Adamo traxit vitiositate esse infectam aperte tradit ad Ephes. II, 3. *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri. Quomodo natura,* ait *Augustin.* Tract. XLIV. in Joan., *nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit?* Plura alia nov. test. Testimonia videri possunt apud *Bellarm.* de amissione grat. lib. IV. cap. IV.

III. Jam in vet. test. non ambigua occurrunt hujus doctrinae argumenta. In libro Job. legitur cap. XVI, 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Ita Vulgata. Graeci Interpretes legunt: *Quis enim mundus erit a sorde? at nemo. Etsi unius diei sit vita ejus super terram.* Hebraeum habet: *Quis dabit mundum de immundo? ne unus.* Quaecunque ex his lectionibus assumatur, clarum est, locum illum agere de labe aliqua originis, qua expers esse nemo potest. Cf. quae in eodem libro leguntur XV, 14. 15. XXV, 4.

Psalmo L, 7. ita ad Deum loquitur David poenitens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Haec Prophetae verba aliter, quam de peccato originali intelligi nequeunt. Certe non arguit ibi patris aut matris delicta; sed, quo magis divinam in se misericordiam commoveat, ostendit se peccati contagionem ab ipsa genitura contraxisse. Id quoque Davidi peculiare non fuisse, sed communem humani generis sortem ab eo notari manifestum est. Denique obstare non potest pluralis numerus, qui in Vulgata legitur: *in iniquitatibus, in peccatis;* nam hebraeum singularem adhibet.

ARGUMENTA EX TRADITIONE PETITA.

I. *Argumentum Praescriptionis.* Quo tempore Pelagiana haeresis primum ex tenebris emersit, tota Ecclesia unanimi consensu dogma peccati originalis tenuit: nam

omnes Ecclesiae impium errorem exhorruerunt et in pluribus Conciliis profligatum est profanum commentum. Ita autem haec doctrina omnium Christianorum animis alte indita fuerat, ut teste S. *Hieronymo* dialog. III. Pelagiani timuerint, ne si doctrinam suam palam efferrent, eos plebs Christiana lapidibus obrueret. Sed et Haeretici antiquiores, Ariani, Novatiani, Apollinaristae, Donatistae etc., quamvis in aliis fidei capitibus tum sibi invicem, tum Ecclesiae Catholicae adversarentur, in hoc tamen dogmate tum inter se, tum etiam cum Catholicis consenserunt. At haec tam unanimis consensio aliunde oriri non potuit, quam ex divina Traditione ab Apostolis per universum orbem disseminata; nec enim furtim in Ecclesiam irrepere potuit ejusmodi doctrina et absque omni contradictione diffundi, ut jam alio loco ostensum est.

II. *Argument. ex Ecclesiae decisionibus.* Hic judicia proferenda sunt non singulorum hominum, sed Ecclesiarum ipsarum et totius orbis terrarum; nam decreta Conciliorum et summorum Pontificum contra Pelagianos edita universa suscepit Ecclesia. Ab anno 412 usque ad annum 431, quo Ephesinum generale celebratum est, viginti quatuor Concilia habita sunt adversus haeresin Pelagianam. Praecipua fuerunt Carthaginense anni 412., Diospolitanum in Palaestina, Milevitanum in Africa; et aliud Carthaginense 416. Hujus et Milevitani Concilii decreta ab Innocentio I. in Conc. Romae coacto anno 417 confirmata sunt. Demum Synodus plenaria ducentorum quatuordecim Episcoporum iterum Carthagine habita anno 418, ubi omnibus denuo discussis summo consensu anathema dictum est in eos, qui affirmarent *parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur.* Accedit epistola *Zosimi* Papae ejusdem anni ad Episcopos totius orbis directa, cujus verba *August.* recitat Epist. 157. ad Optatum. Saeculo VI. Concilium Arausican. II. anno 529 novum de hac materia decretum edidit. Demum *Concil. Trident.* Sess. V. cap. II. iisdem fere verbis ac Arausicanum fidem Catholicam definiens ita statuit: *Siquis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit*

nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae; anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

III. *Argument. ex Patribus,* qui ante exortam Pelagianam haeresin scripserunt. *Saeculo* II. *Justinus* Martyr in dialogo cum Tryphone Nro. 18. ait, Christum in Jordane baptizatum fuisse propter genus humanum, ... *quod per Adam in mortem et Fraudem, seductionemque serpentis inciderat; ut interim, inquit, propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam.* Ergo genus humanum per seductionem serpentis in culpam incidit, quae a propria cujusque pro se maligne agentis culpa distinguitur. *Tatianus* in orat. contra Graecos ait, *nos propter priscorum hominum inobedientiam Spiritum Dei, perfectam justitiam, sanctitatemque amisisse. Irenaeus* lib. III. adversus haereses expresse docet, Christum nobis salutem praestitisse: *ut quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus* ... quia sine Christo *impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub Adae peccato ceciderat.* Plura sunt ejusdem Patris testimonia.

Saeculo III. et IV. Illos tantum ex his Saeculis in medium producemus, quorum auctoritatem nobis solent adversarii opponere. Mire enim gloriantur, quando disjecta quaedam Veterum testimonia corradunt, quae aliquid continere videntur dogmati Catholico contrarium. *Tertullian.* de testimonio animae cap. III. *Per quem* (Diabolum) *homo a primordiis circumventus, ut praeceptum Dei excederet et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit. Origenes* pluribus in locis de peccato originis loquitur, ut ostendit doctiss. *Huetius* lib. II. Origenian. — Sic hom.

III. in Cant. Canticor. ait: *Serpens, qui seduxerat Evam, peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio praevaricationis infecit.* S. *Chrysostomus* hom. X. in Epistol. ad Rom. mentem suam clare exprimit. *Cum tibi Judaeus dixerit,* inquit, *quo pacto uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? possis illi respondere: Quo pacto uno non obediente Adam universus orbis condemnatus est?* Multa alia aliorum Patrum testimonia omittimus, ut *Cypriani, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Basilii, Gregorii Nazian., Cyrilli Jerosolym.* etc. quae legi possunt apud *Bellarmin.* — Cf. etiam doctiss. *Wiest* op. M. tom. V., continuat. *Tournel.* tom. III. — *Hieronymi, Augustini* et aliorum, qui Pelagianos impugnarunt, aut post haeresis Pelagianae damnationem scripserunt, sententia non potest esse dubia.

ARGUMENTA EX RATIONE THEOLOGICA PETITA.

Quamvis nihil magis videatur a naturali ratione remotum, quam haec doctrina de peccato originis, de haereditaria labe, quae ab uno in totum genus humanum transiit: tamen ipsa haec ratio, quando fide adjuta ex aliis notioribus concludit, aut facto malorum experimento fontem inquirit, unde profluant; dogma Catholicum plenissime confirmat. Itaque paucis nobis delibanda sunt quaedam ejusmodi argumenta, quae ratio ex fidei radicibus educit et quae S. *Augustin.* fuse et nervose contra Pelagianos prosequitur.

I. Quod contra Pelagianos saepe torquet *August.*, ex Baptismi necessitate deducitur. Nam Baptismi gratia etiam infantes egent, ut salutem consequantur; dicente Domino, Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Idque Ecclesia semper, et omnes Patres communi sensu tradiderunt. Sed et ipsi Pelagiani eo usque temeritatis nunquam pervenerunt, ut illud ausi fuissent inficiari, quemadmodum Calviniani, aliique ex Protestantibus quam plurimi audent, qui cum tanto parvulorum discrimine, nulla Scripturae aut Traditionis auctoritate subnixi, contra claram Christi vocem Baptisma

infantibus necessarium non esse pertendunt. Verum, si infantes nulla peccati labe inquinati sunt, cur Baptismo abluuntur, eoque egent ad salutem? Constat enim Baptisma in remissionem peccatorum institutum esse. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Actor. II.; et Ecclesia universa ita in symbolo profitetur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Vide etiam Tit. III, 5. I Petr. III, 21. Testimonia antiquissimorum Patrum quam plurima S. *Aug.* affert. lib. I. contra Julianum. Unum hic *Origenem* audiamus, cujus haec verba sunt *a*): *Ecclesia ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare; sciebant enim illi, quibus secreta mysteriorum sunt commissa divinorum, quia essent in omnibus genuinae peccatorum sordes, quae per aquam et spiritum ablui deberent.*

II. Desumitur ex antiquissima Baptismi caeremonia, *exorcismo* et *exsufflatione* daemonis. Id enim clare indicat, Ecclesiam semper credidisse, parvulos ante Baptismum esse sub daemonis potestate. S. *August.* hujus ritus passim meminit, et ex eo peccatum originis adversus Pelagianos demonstrat. *Quid de parvulo,* inquit *b*), *agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur c)?* Nos argumentum hoc eo lubentius urgemus, quod sciamus etiam inter Catholicos reperiri, qui Haereticis quinti saeculi audaciores, vituperare non verentur, quod ipsi Pelagiani neque negare, neque reprehendere ausi sunt. An ergo existimant viri illi, majoris utique arrogantiae quam doctrinae, hunc ritum serius tantum et furtive in Ecclesiam irrepsisse? Sed tunc in eos certe illud Apostoli caderet I ad Timoth. I. *Conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.* Si autem sciunt antiquissimum esse, quod sibilant, et a tota Ecclesia ab Apostolorum tempore religiose custoditum; tunc nescio, quo nomine appellare debeam tantam impudentiam.

---

a) In cap. VI. Epist. ad Rom. *b*) Lib. I. de peccat. merit. et remiss. *c*) Lib. II. de nupt. et concup. cap. XVIII.

III. Argumentum ex Redemptione Servatoris et conjunctis cum ea Revelationis Christianae dogmatibus depromitur. Haec enim peccatum originis supponunt; eique tanquam fundamento innituntur. Pulchre S. *Athanas.* orat. III. contra Arianos, cum verba illa Apostoli attulisset: *Si qua in Christo nova creatura a)*, subdit: *In prima creatione fides ab hominibus servata non fuit, eorumque culpa prima creatio perierat; opus ergo fuit instauratore prioris creaturae, qui novam creaturam conservaret.* Et certe: *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* II Cor. V. — Si Deus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (I Timoth. II.); ergo etiam infantium redemptor est. Sed, ut S. *August.* concludit *b*): *Non est, unde eos redimat, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato.*

IV. Demum argumentum ex ipsis effectibus ab *Augustino* eruitur, qui statum hominis praesentem considerans, innumeros tum animi tum corporis angores, et moriendi necessitatem, et reluctantem contra rationis praecepta concupiscentiam et densissimas, quibus ratio ipsa involvitur tenebras, aliasque multas et magnas, quibus humana vita conflictatur miserias, ex his peccatum originale a posteriori, ut dicunt, demonstrari posse ostendit. *Quid igitur restat,* ait ad Julian. lib. IV. cap. XVI, *nisi ut causa illorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut poena primi veterisque peccati: sed quia nec injustus nec impotens est Deus, restat, quod non vis, sed cogeris fateri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium non fuisset c), nisi delicti originalis meritum praecessisset.* Quae S. August. vidit, haec neminem vel parum attendentem effugere possunt. Mala nos innumera circumdant; majora adhuc sunt, quae intus in nobis experimur; ratio ipsa, quam ducem homini natura dedit, ut plurimum id tantum efficit, ut multo miseriores

---

a) II *Cor.* V, 17. *b*) Lib. I. de peccat. meritis. cap. XXIII. *c*) Eccles. cap. XI.

nos caeteris animantibus reddat, atque in genus omne malorum praecipitet. Inde tanta hominis a se ipso dissensio, tanta excellentia cum tanta infirmitate; tanta dignitas cum tanta abjectione; alia, quae genus divinum produnt, et quasi vestigia et lineamenta sunt veteris nobilitatis; alia, quae infra belluas hominem dejiciunt, ut vix non congeries esse videatur male junctarum et discordantium rerum. Viderunt haec gentilium Philosophi, ac vitiatam fuisse hominis naturam suspicati sunt, sed causam invenire non potuerunt. Sola Revelatio fontem detegere potuit omnium quae patimur malorum; cum per peccatum corruptam fuisse hominum naturam ostendit. Libenter ergo ratio ipsa mysterium amplectitur, quo tot alia mysteria enodantur. (5)

PROPOSITIO II.

Peccatum originale nec in poenis et morte corporis, nec in ipsamet concupiscentia situm est, nec est solum Adami peccatum extrinsece imputatum: sed est vera animae macula, cuique propria et intrinseca, ex qua mors animae sequitur et damnatio aeterna.

PROBATUR PER PATRES.

Pars I. Concil. Trid. Sess. V. cap. II. ita expressis verbis statuit: « *Si quis asserit, Adamum . . . mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae; anathema sit.* » Porro sublato originali peccato, mors et poena corporis remanent. Ergo etc.

Pars II. Idem Concil. ibid. can. V. postquam dixerat per Baptisma *tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet,* haec subdit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem haec S. Synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitime certaverit coronabitur.* Ergo concupiscentia, cum certum sit eam per Baptismum non auferri, non potest esse peccatum originale, quod totum in Baptismo deletur.

Pars III. Apostolus loco jam laudato peccatum originis, quod per generationem contrahimus, confert cum justitia, quam nobis Deus per regenerationem infundit, *Rom.* V, 18. 19.: sed ea justitia vere nobis inest, nec tantum est justitia Christi nobis imputata (Trid. Sess. VI. can. XI.). Ergo et peccatum Adae in nobis inest, nec est aliquid extrinsece imputatum. Idipsum confirmat Conc. Trid., quod Sess. V. can. III. docet, *Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium.* Et can. V. anathema dicit illi, qui . . . *in Baptismate asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari.* Atqui in sententia Catharini et illorum, qui contendunt peccatum originis nihil aliud esse, quam ipsum Adami peccatum extrinsece imputatum, illud peccatum *non inesset in homine;* non esset *unicuique proprium;* non esset *propagatione diffusum;* illudque remitti nihil esset aliud, quam *non imputari.* Ergo etc.

Pars IV. Ex iisdem, quas jam citavimus, Ecclesiae decisionibus manifeste patet. 1.° Quod peccatum originale vera animae macula sit, propria unicuique et intrinseca. Est enim *propagatione transfusum omnibus; inest cuique proprium* (can. III.); est *reatus peccati,* qui ut tollatur, debet tolli *totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, et non radi tantum aut non imputari* (can. V.). Quod autem 2.° ex hoc peccato mors animae sequatur et damnatio aeterna, iterum clare enuntiatur Can. II., ubi Concil. ait, *Adamum acceptam a Deo sanctitatem et justitiam non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse:* atque *in nos transfudisse peccatum, quod est mors animae.* Et Can. IV. anathema pronuntiat contra eos, qui dicunt, *parvulos nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam.* Ergo stat illud, quod in Propositione enuntiatum est; peccatum originale esse veram animae maculam etc.

PROPOSITIO III.

Omnes, qui naturali generatione ab Adamo descendunt, peccatum originale contrahunt, nisi speciali privilegio ab eo eximantur.

Prob. I. pars. Res est diserte a Concilio Trid. definita in decreto de peccato originali. Can. II. anathema dicitur illis, qui asserunt Adamum *mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae.* Can. III. Adae peccatum dicitur *propagatione transfusum omnibus.* Canon IV. ideo parvulos baptizandos esse decernit, *ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt;* illudque probat per Apostoli verba ad Rom. V, 12. *Per unum hominem etc.*

II. Pars non potest esse dubio obnoxia; quis enim Deo denegare id poterit, ut, si velit, aliquem a communi lege possit eximere?

Coroll. *Ergo etiam fidelium infantes peccato obnoxii nascuntur.*

Prob. ex Propositione; nihil enim nec in Scriptura, nec in Traditione occurrit, quo eos a communi lege exsolutos esse probetur. Hanc constantem universae Catholicae Ecclesiae doctrinam Concil. Trid. solemni decreto sancivit Sess. V. can. IV. *Si quis parvulos . . . baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicat eos . . . nihil ex Adamo trahere originalis peccati, anathema sit.*

PROPOSITIO IV.

Quamvis B. Virgo debitum contraxerit originalis peccati; merito tamen creditur, eam singulari Dei beneficio fuisse ab hac labe immunem.

Prob. I. pars. 1.º Peccatum originis est peccatum Adami in omnes transfusum, qui carnali generatione ab eo descendunt. Haec lex generalis est, ut Propos. III. probavimus, omnibus hominibus constituta; neque ab ea quisquam, nisi Deus interveniat, excipi potest. Unde, cum exceptionem probamus, hoc ipso legem statuimus, et debi-

tum peccati ipsa immunitate adstruitur; nemo enim a lege eximitur, quae ad illum non pertinet.

2.° Nisi B. Virgo in Adam cum caeteris omnibus peccasset, non posset dici a Christo redempta; nemo enim redimitur, nisi qui peccator est saltem debito. Quin etiam illud Apostol. I Cor. XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur,* ad B. Virginem et ad omnes homines aeque pertinet; ea quippe a Christo est vivificata, ergo est etiam in Adamo mortua; ergo et ipsa venumdata sub peccato fuit, nec ab ejus imperio nisi speciali privilegio liberari potuit. Accedit, quod Apostol. ad Rom. V. aperte dicat, mortem in omnes homines transiisse, quia omnes in Adam peccaverunt, atque mortem stipendia esse peccati, ad Rom. XI.: atqui constat B. Virginem mortem obiisse; neque obiisse ut peccata hominum tolleret, quod solius Christi est. Ergo etc.

Prob. II. pars. 1.° Concilium Trid. decretum de peccato originali, quod Sess. V. editum est, his verbis concludit: *Declarat haec ipsa S. Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virg. Mariam Dei genitricem.* Conc. ibid. innovat constitutiones *Xysti Papae* IV. anno 1476 et 1483 datas; quae non tantum sub gravissimis poenis prohibent, ne illi haereseos, aut peccati mortalis rei haberentur, qui immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula conceptam fuisse docerent: sed et iis, qui festum diem immaculatae Conceptionis pie et religiose agerent, indulgentiae impertiuntur. A Concilii Trid. tempore novas in hanc materiam constitutiones ediderunt *Pius V., Paulus V., Gregorius XV.* et *Alexand. VII.* In Constitutione Gregorii XV. anno 1622 data statuitur: *ne quisquam etiam in scriptis et sermonibus privatis audeat asserere, quod B. Virgo in peccato concepta sit, exceptis, quibus a sede Apostolica fuerit indultum.*

Prob. II. Haec porro sententia, praeterquam quod pia magis sit et altius fidelium animis insita, variis quoque fulcitur rationibus, quae ex congruitate aliqua petitae sunt,

et summa hujus praerogativae cum matris divinae ineffabili dignitate convenientia. Et vero, quis sibi persuadeat, eam quae ab aeterno designata fuerat, ut mater Dei efficeretur, quae caput conterere debuit antiqui serpentis (Gen. III.), aliquo tempore sub Daemonis fuisse potestate? An objectum esse potuit aversionis divinae, quae tot ornata fuit gratiis et tanto dignata honore est? Num decebat Christi sanctitatem, ut ipse tanquam novus Adam nasceretur ex terra maledicta et peccato contaminata? An mater Dei, quae omnibus Angelis et hominibus antecellit, sine gratia sanctificante condita fuit? Et caruit in ortu suo illa praerogativa, qua non tantum Angeli omnes etiam mali a prima sua creatione ornati fuerunt, sed et primi parentes, quos Deus rectos finxit et innocuos?

CONTRARIORUM CONFUTATIO.

Argumenta contra primam propositionem.

Argum. I. 1.° Apostolus nullibi ait, nos in Adamo peccasse; siquidem verba Rom. V, 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, quae vulgatus interpres vertit: *in quo omnes peccaverunt*, verti debent: *quia*, vel *quatenus omnes peccaverunt*. Sensus autem verborum est, mortem in omnes transiisse, quia omnes suis propriis et actualibus peccatis in eandem poenam se conjecerint. Unde 2.° peccatum originis, si quod confitendum est, alia ratione intelligi non potest, quam, quod ille, qui caput erat generis humani, primus quoque peccator fuerit, ac totam propaginem suam pessimo exemplo in peccatum traxerit; atque ita peccatum in mundum intraverit, non propagatione, sed imitatione. 3.° Si autem a Catholico dogmate nimium aberrare videtur haec Pelagiana interpretatio; praesto est alia parum a priore diversa, quae ait Deum in primo parente nos omnes aspexisse; in primo peccatore omnes, qui ex eo oriundi essent peccatores, suis quemque delictis oneratum, atque ita in omnes mortis sententiam pronuntiasse. Ergo etc.

Resp. ad I. 1.° Joanni Clerico, aut Philopono, qui Erasmi auctoritate subnixus, hanc interpretationem urget contra *Augustinum*, quem graeci sermonis imperitum dictitat, respondet *Mu-*

ratorius a): «Equidem expectabam ab homine Critico, aut veterum Graecorum auctoritatem, aut rationes ex intima linguae Graecae peritia petitas, quibus haec sua Paulini loci interpretatio confirmaretur. Sed ille unum nobis obtrudit Erasmum, virum certe in Graeco sermone minime hospitem, sed in quaestione de peccato originali plane Pelagianum, quique nihil non molitus est, ut in alium sensum haec et superiora Apostoli verba invita detorqueat. Erasmi studium hac in re infelicissimum alii castigarunt. Verum quis stylum Pauli vel leviter novit, qui non etiam didicerit, similes sermonis structuras, duras in speciem, et parum (uti delicatis videtur) elegantes Apostolo esse familiares? Deinde Theophylactus, Oecumenius, et alii procul dubio graecae linguae peritissimi ἐφ' ᾧ interpretantur: *in quo Adamo.* Quam ob rem, nisi ab anticipatis judiciis, turbidisque affectibus judicio uti prohiberetur, nemo alius hoc in loco memorasset *imperitiam Graeci sermonis*, eamque ita objecisset Augustino verba ista cum Graecorum ipsorum consensu interpretanti.» — Vide quae in Probat. dicta sunt. — Porro hanc materiam Illust. *Bossuetius* contra Richard. Simonem agens in praeclaro opere: *Défense de la tradition b*) tam accurate exposuit, tantisque firmavit rationibus, ut nihil ultra desiderari possit. Confer etiam *Cornel. a Lap.* in hunc locum. 2.° Etiamsi admitteretur adversariorum interpretatio, nihil tamen roboris amitteret locus Apostoli, et quod ex eo deducitur *Augustini*, et Catholicorum argumentum. Verbis iterum utor Doctiss. *Muratorii*. «Fingamus, ait, Apostolum dicere: *Sic et in omnes homines mors transiit, quia omnes peccaverunt.* Non hic de solis peccatis actualibus loqui *Paulus* potest; nam, quum dicat morti omnes homines esse obnoxios et reipsa mori hac de causa, quod omnes peccarint; certumque sit, infantes nullius actualis peccati reos saepe de vita decedere; necesse est, ut aliquod peccatum sit vel ipsis infantibus, cujus causa malum illud subeant.»

Resp. ad II. Pelagianorum placitum jam diu explosit *August.*, qui lib. VI. contra Julianum interpretationem illam v. 17. cap. V. ad Rom. novam, et falsam appellat; nam et contextui,

---

a) De ingen. Mod. lib. III. cap. I. *b*) Livre VII. chap. XII. et suiv.

et genuinae verborum significationi repugnat. Sic praepositio *per* causam aliam non significat, quam efficientem aut propagantem peccatum. Et cum peccatum repetitis vicibus opponatur justitiae, quae per Christum facta est: clare consequitur, quod sicut justitia non sola imitatione intravit per Christum, sed infusione ipsa; ita quoque peccatum in omnes transiisse non imitatione sed propagatione. Adde, quod infantes non possint peccare per imitationem Adami, neque tot millia hominum, qui nihil unquam de peccato Adami audierunt. Vid. *Bellarmin.* de amissione gratiae lib. IV. cap. III. et *Trident.*, quod hanc sententiam expressis verbis damnavit.

Ad III. Contra illam sententiam ea pene argumenta pugnant, quae modo contra Pelagianos attulimus. Apostolus disserte ait v. 15. *Unius delicto multi mortui sunt*; ergo non suis delictis. Similia habet v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, et v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Si autem per unius delictum damnatio transiit in omnes homines; ergo etiam in parvulos, qui nullo proprio delicto inquinati decedunt. Vel an Deus damnabit insontes propter peccata, quae ipse praevidit futura fuisse, si vixissent? Taceo Concilii Trid. clarissima verba. Can. III. ait: *Adae peccatum* origine *unum* esse, et *propagatione transfusum omnibus.* Et Can. IV. declarat, parvulos, qui nihil peccatorum *in semetipsis adhuc committere potuerunt*, in remissionem peccatorum veraciter baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, *quod generatione contractum est.* Haec imprimis Theologis Catholicis ponderanda relinquimus. Non possunt ea non gravissima videri viris maturi consilii, qui et ipsi pietate graves sunt, et religioni sibi ducunt extra positos a Patribus terminos excurrere.

argum. II. Apost. ad Rom. V. v. 19. ait: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Unde merito dicitur infantes in hoc numero peccatorum non comprehendi, sed eos tantum, qui propriis peccatis peccatores efficiuntur, alias Apostol. *omnes* dixisset, non *multos.*

Resp. Utrumque dixit Apostolus, et *omnes*, et *multos*; nec sine causa. Dixit multos, quia illi omnes sunt multi, quod non

semper contingit: dicit omnes, quia etiam multi interdum non sunt omnes.

Instant. Etiam tum, cum Apostolus ait, omnes in Adam peccasse, delictum in omnes transiisse; non aliter ac de multis intelligi potest. Sic v. 18. delictum primi Adami, quod ait in omnes transiisse in condemnationem, opponit justitiae secundi Adami, quam pariter ait in omnes transiisse in justificationem vitae: atqui in secundo membro vox *omnes* non aliter accipi potest, quam pro *multis*, quia profecto non omnes in Christo justificantur. Ergo etc.

Resp. Perfecta est comparatio, et utrumque membrum universaliter sumitur; nam Christus semetipsum dedit redemptionem pro omnibus; ergo et peccatum in omnes transfusum est. Atque ita Apostol. alio loco concludit *a*): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Si autem ad eos tantum attendimus, qui reconciliationis gratiam revera consequuntur; in hoc adhuc consistit paritas, quod, sicut omnes via naturali ex Adamo geniti reatum peccati et mortis contrahunt, sic omnes, qui per spiritualem regenerationem nascuntur in Christo, vitam spiritualem per ipsum consequantur; in qua si perseverent, aeterna sunt vita donandi.

Argum. III. 1.° Dici non potest, per quas rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum Adami in posteros irrepere possit, nam non peccat ille, qui nascitur, non peccat, qui genuit, non demum peccat ille, qui condidit. Ita *Julianus* contra Augustinum disputans. 2.° Iniquum videtur, ut filius portet iniquitatem patris contra id, quod Deus Ezech. XVIII, 20. ait: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris.* Quis igitur in animum sibi inducat, propter unius culpam totum genus humanum, ne infantibus quidem exceptis, in mortem traditum, et aeternae damnationi addictum? Ergo etc.

Resp. ad I. Respondet *August. b*): *Quid quaeris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? per unum hominem, ait Apostolus; per unius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quaeris amplius? Quid quaeris apertius?*

---

a) II *Cor.* V. *b*) Lib. III. contr. Julian. cap. XXIV.

Ad II. Utrumque fide divina certum est et peccatum originale in omnes homines transfundi, et nullam in Deo esse iniquitatem; unde certum est, haec sibi nullatenus obesse, quamvis quomodo concordent a nobis explicari non possit. Id unum observamus, aliud esse personae, aliud naturae, seu originis peccatum. Peccatum naturae non est in quolibet homine voluntarium; sed voluntarium tunc fuit, quando patratum est. Sed redimus ad priorem responsionem. Mysterium hic est, quod ratio naturalis ignorat, quodque ex Revelationis Christianae principiis demonstrandum est, atque id abunde a nobis factum esse credimus. Sic et Augustinus, postquam confessus est *a*), peccato originali nihil esse ad intelligendum difficilius, Juliano importune sciscitanti, quo tandem modo noxa originalis transfunderetur, respondet: *Quid a me quaeris, quo sit factum modo, cum factum constet aliquo modo, si Apostolo credis ullo modo, qui mentiri potuit nullo modo?* — Quod in objectione additur, iniquum esse, ut propter unius culpam omnes, etiam infantes, aeternae damnationi addicerentur; id utique explicatione aliqua indigere videtur. Apostolus de morte loquitur, et quidem de morte animae, ut ex v. 21. apertum est; loquitur etiam de damnatione v. 18. Verum exinde nullatenus sequitur, eos, qui absque actuali peccato, et sola originali macula affecti decedunt, cum daemonibus aeterno igne fore cruciandos, et eandem ac caeteri damnati sortem habituros; id enim nec Scriptura, nec Traditio, nec Ecclesiae decisiones nos cogunt admittere. Mors animae, de qua Apostolus, est ipsa privatio justitiae originalis; per condemnationem autem v. 18. optime intelligi potest exclusio a visione Dei, quae est felicitas Beatorum, atque haec privatio coelestis beatitudinis est poena damni, et merito condemnatio vocatur. Caeterum quae sors futura sit illorum, qui culpam aliam, quam originalem non habent, nihil praeter ea quae diximus, assere audemus; et ut bene notat *Bellarminus b*): « Misericordia nostra nihil eis prodesse potest, sicut nec eis nocere potest sententiae nostrae severitas. »

---

a) De morib. Eccl. cap. XXII. *b*) De amissione grat. lib. V. cap. II.

CONTRA II. PROPOSITIONEM.

Argum. I. Nemo adhuc explicare potuit, in quo consistat peccatum illud, quod originale vocamus, aut quaenam sit illa labes haereditaria, qua homines ipsa sua origine sunt inquinati. Ergo etc.

Resp. Quam certum est peccatum Adami in posteros transmitti, tam illud obscurum est, in quo haec labes haereditaria consistat. Sed hoc in omnibus mysteriis usu venit, quae mysteria non essent, si modus ipse quo fiunt aut existunt, apertus esset et omnibus obvius. Scimus equidem, peccatum originis non esse in ipsamet concupiscentia situm; scimus illud propagatione, non imitatione transfundi; utrumque enim definivit Trident., primum contra Protestantes, secundum contra Pelagianos. Scimus illud non consistere in imputatione mere extrinseca peccati primorum parentum, nam et hoc cum Apostoli et Tridentini doctrina conciliari non potest. Scimus praeterea statum naturae nostrae per unius delictum in deterius mutatum; totam Adami progeniem justitia originali exutam nasci, et communi labe foedatam; ipsosque infantes recens natos habitu quodam injustos esse, et aversos a Deo. Haec certa sunt, et a nobis in propositione probata. Caetera ad sententias Theologorum pertinent, quas amplecti, aut relinquere cuilibet liberum est. Si tempus suppeteret, speciatim hic de una aliave sententia agere liberet. Prima est, quam vir doctissimus in recenti opere *a*) proposuit, et quae nobis nimium videtur a sensu Ecclesiae recedere. Vid. contr. I. prop. argument. I. obj. 3. et resp. ad III. Id unum hic praeterire non possumus, verba Apostoli ἐφ' ᾧ per *quia*, aut *quatenus* reddi, atque hujus interpretationis novam ibi et prorsus insolitam afferri rationem. Ostenditur nempe non alium esse vulgatae versionis sensum, cum illud Vulgatae *in quo* germanice significet in dem; vox autem germanica in dem, idem sit ac weil — *quia*. — An serio haec dicta sunt, an joci gratia et per deridiculum prolata? Alia sententia est, quam ideo praeterire omnino non possumus, quia magnos inter recentiores patronos habet. Jam olim magistro sententiarum aliisque Theologis visum est, peccatum originis contagium quoddam esse, quo corpus

a) Freie Darstell. der Theol. I B. S. 512 ꝛc.

primum inficitur; tum et animam ipsam in corpore vitiato inquinari, sicut liquor corrumpitur in vase infecto. Huic sententiae affinis est illa recentiorum quorundam, qui humanae naturae corruptionem derivant ex fructus venenati comestione. Accepto enim contra Dei praeceptum veneno, continuo attritae sunt hominis vires, et tota ejus constitutio amisso priore robore imbecillis facta est, ac morbida. In ejusmodi autem corrupto et enervato corpore anima ipsa corrumpatur necesse est; sequitur enim appetitus sentientis effraenis quaedam et rationi adversa propensio, et dissolutio illius harmoniae, et quasi constituti in hominis republica ordinis, in quo maxime posita fuit gratiae originalis ratio. Ita anima corporis imperio obruta, et viribus supernaturalis gratiae destituta emergere ex tanto malo non amplius potuisset. Et homo, *qui futurus erat etiam in carne spiritalis, factus est etiam mente carnalis* ... ut *Augustinus* ait. Igitur avulsus ab eo fine, ad quem conditus erat, placere Deo amplius non potuit. — Vide Schwarzhueber Religionshandb. I. B. §§. 134—144. — Schwarz Handb. II. B. S. 28 und ff.

Instant. Ex responsione sequeretur 1.° peccatum originis corporis tantum, non animae malum esse. 2.° Si tanquam vitiositas consideratur naturae humanae insita, nihil inter illud et concupiscentiam esse discriminis: atqui utrumque cum fide Catholica stare non potest. Ergo etc.

Resp. Fatemur nullam esse ex Theologorum opinionibus, quae non suas habeat difficultates; illudque fere semper contingit in ejusmodi controversiis, ut quaelibet pars facilius aliena destruere possit, quam sua defendere. Si nostra esset illa sententia, facile possemus proposita argumenta diluere. 1.° Enim contagio illa, qua homo infectus nascitur, non aliunde, quam ex corporis naturali propagatione deduci potest. Anima est unius Dei opus, neque potest impura a Deo exire. Ergo corrumpitur, quando infusa corpori ab origine sua vitiato, unum cum eo hominem efficit. Ita S. *Augustinus* contra Julian. lib. VI. *Ego tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum esse homini dico vitium, quo caro concupiscit adversus spiritum.* 2.° Longe abest haec sententia ab errore Protestantium. Peccati originalis causam materialem quidem in corpore constituit et in

ea, quae ex fructus venenati comestione secuta est, inordinatione partium inferiorum animae et ipsius corporis; quae ideo concupiscentia vocatur, quia caro concupiscit adversus spiritum. At formalem peccati rationem ponit in amissione justitiae originalis et habituali aversione hominis a Deo, tanquam fine suo ultimo. Nam perturbato illo ordine, qui primum institutus fuerat inter utramque substantiam ex qua homo componitur, lex in membris et effraenis cupiditas rationem ita pervertit et evertit, ut homo in hoc statu inhabilis appareat bonitatis moralis et beatitudinis acquirendae. Post Baptisma manet quidem propensio ad malum; at homo amicus Dei iterum efficitur; quia in viam, a qua excesserat revocatus, gratia Servatoris abunde instructus et nova jam vita vivens potest reluctantem concupiscentiam vincere, et denuo idoneus efficitur perfectionis moralis, et, quae exinde sequitur, felicitatis assequendae.

Argum. II. Quidquid de hac materia disputent Theologi, nunquam explicabunt, quod primum esset in hac quaestione explicandum; nempe qua ratione peccatum Adami ad posteros traducatur. Ergo manet difficultas.

Resp. dist. conseq. Manet difficultas et quidem maxima, si explicatio petitur Mysterii, *conc.*, si veritas probanda est dogmatis, *nego.* Mysterium fide constat, non ratione evolvitur. Fide cognoscimus quod, ut S. *Augustinus* ait *a*), *magno illo primi hominis peccato natura nostra in deterius commutata non solum facta est peccatrix, sed etiam genuit peccatores.* Quo autem modo natura sic peccatrix facta fuerit, ut peccatores procreet, id ratio non assequitur; atque male hoc jam habuit ipsum Augustinum, et postmodum Theologorum ingenia valde exercuit. Inde illae de animarum origine opiniones; an anima filii ex traduce paternae animae oriatur, sicque omnes animae, quemadmodum corpora ex primo parente originem habeant; aut an animae omnes simul cum anima Adami in Adamo creatae fuerint. Inde et illud, quod Deus voluntatem omnium nostrum voluntate primi parentis conclusam esse voluerit; ita ut Adamo peccante omnes peccaverint; aut quod velut *ex pacto* quodam a Deo sancitum fuerit, ut humani generis sors penes Adamum esset, eoque

a) Lib. II. de nupt. et concup.

peccante omnes homines peccati rei haberentur. Inde tandem ea opinio plurimorum, quam jam in priore argumento non attigimus tantum, sed praeter id quod propositum erat paulo fusius exposuimus. Caeterum nemo ejusmodi sententiis plus tribuat, quam oportet; nosque jam diximus, iterum, iterumque inculcamus, periculosum esse earum rerum notitiam affectare, quas densa caligine Deus premi voluit; standumque huic S. *Augustini* regulae *a*): *Certa fide tenendum esse tantum contagium propagari, licet quomodo traducatur, nunquam noverimus.*

CONTRA III. PROPOSITIONEM.

Objic. Si, quod in propositione tertia enuntiatur, peccatum originis per naturalem generationem propagaretur; ergo 1.° malae essent nuptiae; nemo enim legitime matrimonio uti posset, quo sciret propagari peccatum. 2.° Apostolus non diceret, peccatum per unum hominem in mundum intrasse, nemo enim per unum hominem propagatur. 3.° Sequeretur saltem liberos a parentibus fidelibus et piis progenitos nihil ab iis ducere corruptionis, quum magis ex eorum puritate sancti efficerentur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ad I. Usus legitimi matrimonii ideo illicitus non est, quia labes communis ex illo non dimanat, tanquam ex propria sua causa, sed per accidens tantum, nam ut ait S. *Augustinus b*): *Non sunt nuptiae causa peccati, quod trahitur a nascente, et expiatur in renascente: sed voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati.*

Ad II. Iterum respondet *Augustinus c*): *Ideo dictum est, per unum hominem; quia non a foemina, sed a viro est generationis exordium; et quia vir et foemina connubio juncti, non sunt duo, sed una caro.* Unde si Eccl. XXV. dicitur: *A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur,...* sensus est, quod Eva fuerit prima peccati occasio, non autem causa principalis originalis noxae, quae in Adami posteros traducitur.

---

a) Epist. CLXVII. *b*) Lib. II. de nupt. et concup. *c*) Lib. II. operis imperf. cap. LXXXIII.

Ad III. Cum peccatum originale sit peccatum naturae, et non ex eorum peccato fluat, qui nos genuerunt, sed ex peccato Adami, sequitur illud transfundi cum natura humana etiam in eos qui nascuntur a parentibus Baptismate regeneratis; illudque explicat *Augustinus* his verbis *a*): *Miraris quare peccator nascatur de semine justi: non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae. Accipe aliam similitudinem. Non attendis, quia de grano frumenti purgato frumentum cum palea nascitur. Ideo de baptizato non justus nascitur; quia non generat, unde regeneratus est, sed unde generatus est.* Reponit quidem Calvinus illud I. ad Cor. VII, 14., ubi filii fidelium sancti dicuntur; et ad Rom. XI, 16.: *Si radix, sancti et rami.* Verum in utroque textu filii fidelium non ideo sancti vocantur, quia sancti nascuntur; sed quia ab ortu ad sanctitatem sunt destinati. In eodem ad Cor. loco Apostolus ait, virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem, quod de sanctificatione proprie dicta intelligi non potest. Caeterum maximum in his rebus pondus habere debet Ecclesiae universae consuetudo, quae illud semper egit, quod ab Apostolis accepit. Quicunque autem ait fidelium liberos a peccati labe immunes nasci, hic, ut S. *Augustinus* observat *b*), *totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur; quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari non posse.* Notandum autem, illud *festinatur* et *curritur* ad fideles tantum pertinere posse; infidelibus enim nulla potest esse hujus rei sollicitudo. Cf. *Bellarmin.* de amiss. grat. lib. IV. cap. XIV.

CONTRA IV. PROPOSITIONEM.

Objic. Nullo argumento Theologico probari potest immaculata B. Virginis conceptio, nam neque in Scripturis continetur neque in SS. Patrum traditione: imo Scripturae omnes in Adam peccasse clamant; et veterum Patrum haec quoque sententia est; utpote qui solum Christum a lege peccati eximunt. Sic *Augustin.* lib. V. contra Julian. cap. XV. ait: *excepta Christi carne omnem reliquam humanam carnem esse peccati.* Ergo etc.

---

a) Serm. XIV. de verbis Apost. *b*) Epist. XXVIII. ad Hieron.

Resp. Quae contra sententiam nostram afferuntur, probant quidem, eam ad fidem non pertinere; at nullatenus destruunt, quae nos ad eam comprobandam attulimus. Sicut libenter fatemur, eam clare non contineri in Scripturis, ita et adversarii ex Scripturis contra argumentari non possunt; siquidem probandum illis esset, vel alicubi in Scripturis expresse dici B. Virginem in peccato fuisse conceptam, vel locutiones Scripturae quamvis generales nullam pati exceptionem; sed neutrum probari potest; non primum, ut per se apertum est; non secundum; nam vix ulla est in Scripturis etiam generalis regula, quae aliquam exceptionem non admittat. Sic regula generalis est, neminem esse, qui actu non peccet. *In multis offendimus omnes — non est homo, qui non peccet.* Et tamen Patres, et tota Ecclesia, et adversarii ipsi B. Virginem ab omni actuali peccato excipiunt. — Quod Patrum testimonia attinet, quae ab adversariis congeruntur, necesse non est, ut ad singula respondeamus. Ultro fatemur, tantam non adesse Apostolicae traditionis auctoritatem, ut decreto divinitus certo stabiliri possit immaculata Virginis Conceptio; imo et hoc addimus, rem ejus generis non esse, ut definiri debeat; et eos, qui solemne Ecclesiae judicium exposcunt, pietatem quidem in sanctissimam matrem ostendere, at exiguam rerum theologicarum peritiam; Ecclesia enim fidei articulos non cudit; sed infallibili auctoritate, quae in Verbo Dei aut scripto aut tradito continentur, declarat. Revelationi semel factae nec addi quidquam, nec detrahi potest. — Caeterum ad textus plerosque veterum facile responderi potest; si ad haec pauca attenditur: 1.° Patres nihil decidere voluisse, cum nulla tunc temporis hac de re quaestio haberetur. 2.° Eos cum de peccato originali loquuntur, generatim loqui, sicut Scriptura; quod tamen non ita semper accipiendum est, ac si nulla omnino exceptio locum haberet. 3.° Eos saepe de debito tantum loqui contrahendi peccatum, ad id unum intenti, ut ostenderent, omnes in Adamo peccasse excepto Christo, qui carnali generatione editus non fuit, neque peccato subditus esse potuit propter unionem hypostaticam naturae humanae cum Persona divina. Christus igitur qui Deus simul et homo fuit, neque contrahendi peccati debitum habuit, neque illud contrahere ullo modo potuit. Reliqui omnes, qui ab Adamo naturali generatione descendunt, sub

lege peccati sunt, illudque revera contrahunt, nisi speciali privilegio serventur.

Inst. 1.° S. *Thomas*, cujus maxima est apud Theologos auctoritas, expressis verbis ait *a*), B. Virginem peccatum originale contraxisse. 2.° S. *Bernardus* in celebri ad canonicos Lugdunenses Epist. vehementer illis exprobrat, quod festum immaculatae Conceptionis celebrent; *libenter*, ait, *hoc honore carebit Maria, quo peccatum honorari et falsa videtur induci sanctitas.* Ergo etc.

Resp. ad I. Verba ex S. Thoma citata in emendatioribus ejus operibus non leguntur. Alia autem pluribus in locis docuit, quae nostram sententiam confirmant; atque quando ait peccatum in omnes omnino homines transiisse, illas affert rationes, quas nos ipsi supra attulimus, ut probaremus B. Virginem debitum peccati contraxisse.

Ad II. S. Bernard. reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod festum Conceptionis proprio motu celebrassent, non exspectata Ecclesiae sententia. Suam vero hac de re opinionem, quaecunque illa fuerit, his verbis concludit: *Quae autem dixi, absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanae praesertim Ecclesiae, cujus auctoritati, atque examini totum hoc reservo.* — Diffusius hanc materiam tractarunt plures Theol. impr. *Bellarm.* lib. cit. cap. XV. XVI. XVII. — Continuat. *Tournelii* de peccatis P. II. cap. I. art. 4. — D. *Wiest* Opus M. tom. V. §§. 31 et 75.

CAPUT QUARTUM.

DE ANGELORUM CUM HOMINE NEXU.

§. I.

De Angelis bonis.

OBSERVANDA.

I. Cum ex Revelatione constet magnam Angelorum partem in gratia non stetisse (vide cap. III. art. I.); sequitur duplicis

a) Part. I. quaest. XXVII. art. II.

nunc generis Angelos existere, eosque recte distingui in bonos et malos. Illi, qui ab exordio suae creationis libera voluntate Deo adhaeserunt, perfruuntur beatitudine coelesti, seu visione Dei, et ita nunc sunt confirmati in bono, ut neque peccent, neque etiam peccare possint. Ante Thronum Dei sunt, ad omnem ejus voluntatem parati; ideo enim Angeli vocantur, quia Deus eorum ministerio et obsequio utitur, ad ea, quae decrevit exequenda. Nullum autem Angelorum officium est, quod nosse nobis jucundius sit, et utilius, quam quod in ministerium mittantur nostrae salutis. Non exigua haec est mortalibus in hac vita peregrinantibus consolatio, quod sciant intimum esse sublimium illorum spirituum cum homine nexum, nosque et eorum perfrui consortio, et potenti praesidio muniri. Neque timendum est, ut dum amorem illis et cultum impendimus, ea, quae Dei et Christi sunt, ad eos transferantur; optime enim norunt Catholici omnes, haec nobis praesidia a Domino esse comparata, et Angelos divinae ejus erga nos beneficentiae dispensatores esse et administros. *Nam, ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent, et periculorum adjutores, sic coelestis parens in hoc itinere, quo ad coelestem patriam contendimus, singulis nobis proposuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus ... iisque ducibus rectum iter teneremus a).*

II. Et haec quidem apud Catholicos extra omnem controversiam sunt. Quaeritur autem, an singulis hominibus singuli Angeli sint attributi? An fideles saltem singuli Angelum habeant sui custodem? An homo in illius, cui semel commissus fuerat, Angeli tutela semper permaneat? An unus plurimorum hominum curam habeat? Aut an plures ad unius custodiam ordinentur? An certi Angeli regnis et provinciis quasi praesides destinentur? Haec et alia quaedam huc pertinentia, cum nullo sint Ecclesiae judicio definita, possunt adhuc in controversiam adduci. Hoc tamen pro certo habendum, nos non ita esse unius Angeli curae commendatos, ut nulla nobis cum caeteris Spiritibus necessitudo intercedat; omnes uno consensu nos diligunt, omnes pro salute nostra solliciti sunt: nam de omnibus

---

a) Catechis. Rom. P. IV. cap. IX. quaest. IV.

Angelis in Evangelio dicitur *a*), quod plus gaudeant super uno peccatore poenitentiam agente quam super nonaginta novem justis. Caeterum, quid Catholici sentiant, clare et dilucide exponit Clar. *Petrus Gazzaniga b*), cujus verba ex opere maj. Doctiss. D. *Wiest* hic apponimus *c*). «Fatendum est, nullam esse hac de re Ecclesiae definitionem; quamquam ubi de electis, justis, atque etiam fidelibus agitur, adeo concors est SS. Patrum consensus, ut saltem sine maxima temeritate negari nequeat, eorum singulis Angelos custodes datos esse. Non ita fortasse res certa est de infidelibus et reprobis: nam etiam *Origenes* refert, suo tempore duplicem hac de re fuisse opinionem; alii enim dicebant, unicuique homini adesse Angelum custodem a tempore nativitatis, alii, duntaxat post Baptismum. Insuper etiam aliqui Patres id asserunt de omnibus hominibus, alii vero videntur id restringere ad fideles, alii ad solos justos, vel electos. Opinio tamen hanc Angelorum custodiam singulis hominibus sine exceptione tribuens communis modo est inter Theologos.»

III. Acatholici plerique hac in re nobiscum consentiunt. Calvinus in institutione Chr. Rel. *d*) copiose de Angelis disserit, eosque docet esse administratorios spiritus, ad hominum custodiam et protectionem a Deo ordinatos: dubitat tamen an singulis fidelibus singuli Angeli praesint. Melius, certiusque sententiam suam exprimit Lutherus, aliique etiam ex Calvini sectatoribus. Quin et Gentilium animis haec insita erat persuasio, et veteres Philosophi quamplurimi Angelos hominibus ad tutelam praesidiumque adjunctos esse confessi sunt *e*). Illud, ne plures in re notissima testes adhibeamus, tuetur *Epictetus*, cujus haec verba sunt *f*): «Tutorem unicuique Deus assignavit singulorum genium, et huic ipsum custodiendum tradidit. Itaque quando januas occluseritis, et tenebras intus induxeritis, mementote, uti vos nunquam solos esse dicatis, non enim estis soli, sed Deus intus est, et vester genius.» Neque mirum, haec apud Philosophos et antiquos populos reperiri; praeterquam enim, quod illud ex vetustissima traditione acceperint, ratio etiam et sana Philosophia

---

a) *Luc.* XV, 7. *b*) Praelect. Theol. de Ang. *c*) Tom. IV. pag. 713. *d*) Lib. I. cap. XIV. §. 3. et seq. *e*) Vid. quaest. Alnet. lib. II. cap. IV. *f*) Apud Arrian. Diss. lib. I. cap. XIV.

id quam maxime persuadent. Nam si praeter hominem ex corpore et mente concretum, alia est mere spiritualis natura inter Deum et homines media et interjecta, non potest ea extera esse rebus humanis. « Sicut omnia in mundo corporeo, ut optime observat clariss. *Zimmer*, sive naturae inter se et cum hominibus cohaerent, prout hi corporibus vestiti sunt; ita similiter in mundo spirituum omnes inter se, et cum hominibus cohaerent, in quantum hi spiritus sunt. Hunc ergo nexum Angelos inter et homines Revelatio tradit. »

PROPOSITIO I.

Deus Angelis utitur tanquam ministris ad hominum salutem et custodiam.

Prob. Nihil fere est, quod crebrius Scriptura commemoret, quam Angelos Dei esse internuntios ad homines et ejus erga nos beneficentiae administros. Primum quidem multae sunt generales sententiae, quae id continent. Sic (ne plura commemorare necesse sit) Psalm. XCI. dicitur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psalm. XXXIII, 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum; et eripiet eos.* Huc et illud spectat, quod Elisaeus dixit ministro suo VI, 16.: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Ex novo Testamento decretorius est locus ad Hebr. I, 14. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?*

Idem exemplis probari potest pene innumeris, quibus sacrarum litterarum historia referta est. Angelus Domini consolatur Agar fugitivam (Gen. XVI. et XXI.); Angelus Abrahamum ab immolatione filii prohibet (Genes. XXII.); protegendis Israelitarum castris Angelus praefectus est (Exod. XIV. XXIII.); et quando Deus redimere voluit populum e manu hostium, non raro Angelos vindices adhibuit (IV Reg. XIX.). — Taceo, quae in libro Tobiae narrantur de Raphaële Archangelo, qui juniori Tobiae dux et comes itineris divinitus adjunctus est; tum Gabrielis Archangeli cum Daniele colloquia (Dan. IX.), aliaque multa. Jam si novum Testamentum percurrimus, ubique iterum

Angelos reperimus divinae in homines providentiae administros. Sic Angeli Christo ministrant; luctanti in agonia adsunt, ejus resurrectionem mulieribus, discipulis gloriosum in fine mundi adventum nuntiant. Ad Zachariam primum, tum ad B. Virginem Archangelus Gabriel mittitur. Ab Angelo Petrus educitur ex carcere (Actor. XII.); Angelus Paulo apparet Actor. XXVII., Joanni Apocalyps. XVII. Haec aliaque, quorum copiam suppeditant divinae litterae, ... « *testantur,* ut habet Catech. Rom. *a*), *saepe Dei benignitate factum esse, ut inspectantibus hominibus Angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur, innumerabilia ejus generis, quae sub oculos non caderent, a custodibus nostrae salutis Angelis effici utiliter et salutariter.* »

PROPOSITIO II.

Dubitari non potest singulos fideles et electos suum habere Angelum; imo probabile est, singulis hominibus ejusmodi custodem adesse.

Prob. I. pars. Hanc fuisse veterum Patriarcharum persuasionem Genes. XLVIII. indicatur, ubi Patriarcha Jacob Josephi filiis benedicens inquit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hac persuasione erecta Judith in castra Assyriorum perrexit. *Custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem.* In novo testamento primum habetur Christi ipsius manifestum testimonium Matth. XVIII, 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Dein Actor. XII. legitur, educto Petro e carcere et pulsante ostium dixisse qui domi erant: *Angelus ejus est* . . . quod iis in mentem venire nisi ex communi fide, non potuit. In haec verba ita commentatur Origenes, hom. II. in Numer. *Ergo intelligitur et alius Pauli Angelus, sicut et Petri, et alius alterius Apostoli et singulorum per ordinem.* Alia multa Patrum testimonia collecta sunt a Doctiss. *Petavio* tom. II. lib. II. de Angelis.

---

a) Loc. citat.

Prob. II. pars. Ea quoque sententia, quae cuilibet homini Angelum custodem adesse docet, plurimorum Patrum habet consensum. *Magna dignitas animarum,* ait S. *Hieronymus a), ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. S. Anselmus b): Unaquaeque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur. S. Bernardus c): Putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur.* Vid. *Petav.* loco citato.

Quaeres I. Utrum ex omnibus Angelorum ordinibus coelestes spiritus mittantur ad hominum tutelam: an Angeli tantum et Archangeli, ut sensisse videtur S. *Gregorius? Hi, qui minima nuntiant, Angeli,* ait *d*); *qui autem summa annuntiant, Archangeli vocantur.*

Resp. Non una est Patrum et Theologorum sententia, longe tamen videtur probabilius et ad mentem Scripturae magis accommodatum, Angelos omnes mitti a Deo, non inferiores tantum. Id Apostolus perspicue tradere videtur ad Hebr. I. *Omnes sunt administratorii spiritus* etc. Neque opponas, alios esse oportere, qui Deo semper assistant, alios qui ad obeunda mandata mittantur. Nihil inter eos distinguunt Scriptura et Patres. S. *Athanasius* Orat. II. et III. ait: *Multi sunt Archangeli, multi Throni, et Potestates, et Dominationes, millies millia et decies centena millia assistunt et apparent, qui se promptos offerunt, ut mittantur.* Raphaël ad Tobiam missus est et tamen ait (Tob. XII.), se esse unum ex septem, qui adstant ante Dominum.

Quaeres II. An civitatibus etiam et nationibus praepositi sint Angeli?

Resp. Communior haec est Christianorum opinio, Patrum sententiis innixa. Daniel. X. duorum Angelorum fit mentio, quorum alter Persarum, alter Graecorum imperio praeerat; et Michaëlis, qui populi Judaici princeps vocatur. S. *Basilius* de Angelis ait *e*): *Ex iis alii quidem praefecti sunt gentibus, alii*

---

a) In cap. XVIII. Matth. *b*) In Elucidario lib. II. cap. XXXVII. *c*) Lib. V. de Consid. cap. IV. n. 8. *d*) Hom. XXXIV. in Evang. *e*) Lib. III. advers. Eunom. n. I.

vero cuique fideli adjuncti comites sunt. S. *Hieronymus* in cap. VII. Danielis: *Quatuor ventos coeli, quatuor arbitror Angelicas Potestates, quibus principalia regna commissa sunt, juxta illud, quod in Deuteron. legimus a): Quando dividebat Altissimus terram juxta numerum Angelorum Dei.* Haec verba ad illud saltem valent, ut quae S. *Hieronymi* et illorum temporum opinio fuerit, ostendant. Equidem textum ex Deuteron. citatum Vulgata aliter et Hebraeo textui magis consentanee ita interpretatur: *Quando separabat filios Adam juxta numerum filiorum Israël.* Confirmat autem sententiam nostram si non ipse textus, at certe septuaginta interpretum auctoritas et Patrum plurimorum, qui eos secuti sunt, assensus.

SCHOLION I.

Novatores omnes, qui fidem adhuc adhibent Scripturae, non tantum Angelos existere fatentur; sed eos etiam dicunt nobis esse consociatos multiplici nexu. Quod autem opponere solent, Catholicos cultum superstitiosum Angelis deferre; Christi gloriam obscurari, cum ipsis tribuuntur, quae ad solum Deum pertinere dignoscuntur; haec utique alio loco discutienda venient. Unum hic observamus, immerito prorsus haec nobis objici a Protestantibus; et si Apostolus, ut Calvinus ait *b*), « tanta solicitudine urget, in epist. ad Colossens. *c*), Christum non modo Angelis omnibus esse anteferendum, sed ipsis quoque bonorum omnium esse auctorem, ne eo derelicto ad eos convertamur, qui nec sibi sufficere possunt; sed ex eodem, quo nos fonte hauriunt — » quid aliud ibi docet Apostolus, quam quod semper docuit Ecclesia? Unde vanam quidem et haereticam superstitionem, non autem Catholicorum doctrinam impugnat idem Calvinus, quando de Angelorum ministerio disserens subjicit *d*): « Quam igitur praeposterum est, ab Angelis nos abduci a Deo, qui in hoc sunt constituti, ut praesentiorem ejus opem nobis testentur? Abducunt autem, si non recta ad ipsum manu ducunt; ut solum auxiliatorem spectemus, invocemus, ac praedicemus. Si non in uno Mediatore Christo nos retinent, ut ab eo

---

a) Deuter. XXXIII. *b*) Institut. lib. I. cap. XIV. n. X. *c*) Ad Coloss. I, 16. et 20. et II, 18. 19. *d*) Loc. cit. n. XII.

prorsus pendeamus, in eo recumbamus, ad eum feramur, et in ipso acquiescamus.» Vide quae ex Clar. *Doederlein* citantur in Schwarz Handb. I. B. S. 311.

SCHOLION II.

Sunt etiam Argumenta Incredulorum aliqua, vel vana prorsus et inepta. Nostra doctrina ad Revelationem pertinet, ergo ex Revelationis fontibus erat eruenda. Quod autem sanae etiam Philosophiae arrideat, supra ostensum est. At dicunt: *Numquid ministris indiget Deus, ut sua nobis dona largiatur?* Braucht Gott einen Kammerdiener? — Hoc idem puerile et frigidum acumen his diebus *a*) contra miracula torsit scriptor, ipsis quas in vulgus spargit, Ephemeridum pagulis levior. Nam cum de morborum sanationibus ageret, quae a Principe ab *Hohenlohe* viro piissimo ac religiosissimo inspectante innumera hominum multitudine effectae sunt; omnia impia hac cavillatione explosisse se, ac penitus dejecisse existimat. Nemo non videt hanc probandi rationem non esse adeo exquisitam, sed ex trivio, aut popinis deductam, eamque in sanam Philosophiam aeque, ac in Religionem Christianam impingere. Si facta publica, et omni qua fieri potest auctoritate comprobata hoc argumento explodi possunt, quod Deo indignum esset, ad adjuvandos homines famulum adhibere (einen Kammerdiener), ut scriptor ille effutivit; ergo ruunt miracula omnia, quae ab Apostolis patrata sunt, et quibus ab initio per totum orbem propagata est Christiana Religio. Sed et ipsa naturalis Dei providentia evertitur; omnia enim in hoc orbe ita ordinata sunt, ut unus ab alio pendeat, et alter alterius indigeat ope. An non haec considerans objiciet nasutulus noster: Si Deus rebus humanis providet, cur divitum opibus sustentantur pauperes? Cur potentium viribus fulciuntur inermes? Cur ad medicum confugiunt aegroti? Cur magistro indigent rudes? Es gäbe alſo auch keine Vorſehung, denn Gott hätte ja keinen Kammerdiener vonnöthen, um die Menſchen zu unterrichten, oder ſie von ihren Gebrechen zu heilen. Doch auch dieſe Folgerung hat nichts Abſchreckendes für unſere ſtarken

a) Scripta haec sunt octavo Calend. Septemb. 1821.

Geiſter, die ihre Vernunft, ſo klein und unvernünftig ſie iſt, an den Platz der Gottheit ſtellen.

Longius nos abduxit haec controversia ex recenti indignatione nata, quamquam non omnino a nostro proposito aliena. Nam sicut Deus optimus et sapientissimus ad bona sua hominibus dispensanda hominum ministerio utitur, ita et Angelorum; ut nempe omnis rationalis creatura, humana et angelica, multis mirisque nexibus colligata unam tantum coelestis Patris familiam efficiat.

§. II.

De Angelis malis.

OBSERVANDA.

I. Quando de Angelis malis sermo instituitur, memoria repetenda sunt, quae jam observavimus; scilicet eos, quidquid mali habent, defectione sua et lapsu sibi accersisse; nam boni a Deo prodierunt, mali autem effecti sunt propria depravatione. Homo qui medius est inter mundum corporeum, et spiritus a materia secretos, cum his, sicut cum illo cohaeret. Hoc autem cum spiritibus commercium prorsus diversum est, pro naturae eorum diversitate. Qui boni sunt, ii bene volunt hominibus, multisque eos amoris officiis prosequuntur; at qui mali sunt, in nostram perniciem conspirant, nec quidquam intermittunt, quo malos nos efficere possint, et infelices. Sacrae literae non tantum de Daemonum machinationibus frequentissime loquuntur, sed etiam unum nobis exhibent, caeterorum ducem, qui et Satan et Diabolus vocatur, et quasi princeps denotatur ilius regni iniquitatis, quod adversatur regno justitiae. Quemadmodum enim Ecclesia et Sanctorum societas sub invisibili suo capite Christo continetur; ita et impiorum factio cum suo principe depingitur, qui in eos imperium exercet durum aeque ac ignominiosum. Hinc Diabolus princeps hujus mundi vocatur Joan. XII, 31., et qui veritati resistunt, in laqueis Diaboli esse dicuntur, *a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* II Timoth. II, 26. Ille spiritus mendax est, omnisque malitiae et iniquitatis auctor et architectus (Joan. VIII, 44.). Verumtamen haec non ita accipienda sunt, ut putemus Deum cum Diabolo divisum habere

hujus mundi imperium; quod nos in impiissimum Manichaeorum errorem induceret. Illud semper fixum et integrum manet, sicut Dei verbo omnia condita sunt, sic ejus voluntate et nutu omnia gubernari; nihil autem facere daemonem posse, nisi volente et annuente Deo. Hoc quidem a se ipso, suaque nequitia habet, ut cupiditate, et proposito Deo adversaretur; sed quia Deus illum potentiae suae fraeno vinctum constrictumque tenet, non potest ipse exequi, nisi quae sibi divinitus concessa fuerint, atque ita Creatori suo, velit nolit, obsequitur.

II. Daemones hominibus nocent duplici ratione, sive dum animam depravant peccatorum illecebris, sive dum corpus affligunt, et malis temporalibus homines vexant. Utrumque Scripturae disserte adstruunt; neque aliquid contra afferre potest humana Philosophia, quod aut fidem factorum elevaret, aut repugnantiam ostenderet hujus doctrinae cum divinis attributis; dummodo fraudibus et superstitioni aditus praecludatur, nihilque vanis et intempestivis opinionibus permittatur contra Ecclesiae doctrinam et leges sapientissime statutas.

III. Multa sunt in antiquorum populorum traditione, multa quoque in veterum Philosophorum scriptis, quae huic nostrae doctrinae de malorum Angelorum nequitia assentiuntur. Alia omnino sentiunt novioris Philosophiae alumni: atque si in abusus tantum inveherentur, et vulgi insulsas opiniones, vagosque terrores; si magiae multiplices fraudes, et plena vanitatis commenta perstringerent, utique consentientes haberent omnes, quotquot veri et genuini Religionis cultores sunt; at illi aut Daemonum existentiam negant omnino, aut certe vim omnem illis adimunt nocendi. Naturalistarum vestigia premunt hodierni Protestantes quam plurimi. Nihil eos innumera et clarissima Scripturae testimonia morantur; quippe his difficultatibus facillime se nova sua exegesi expediunt, cum sensum non quaerant auctoris in sacris litteris contentum, nec ulla verbi divini reverentia moveantur; sed suum sensum, qualiscunque ille sit, in Scripturam inferant. Jam saeculo XVII. *Balthasar Becker* Calvinianus in opere: Bezauberte Welt, omnia convellere conatus est, quae in Scripturis de malorum spirituum operationibus narrantur. Ad hanc sententiam Saeculo XVIII. accessit ex Hollandia, Gallia, Anglia et Germania doctorum et indoctorum Protestan-

tium innumerabilis turba, qui omnes uno ore clamant, per obsessos a daemone, quorum frequens in Evangelio mentio habetur, nihil aliud intelligi, quam homines gravioribus morbis oppressos, quibus distortum erat corpus, vel mens turbata et agitata phrenesi; epilepticos, furiosos, maniacos etc.; Christum autem et Apostolos quando Daemones alloquebantur, eisque, ut exirent e corporibus, imperabant, communi tantum hominum opinioni se accommodasse.

IV. Notandum est, discrimen inter Philosophos et Protestantes hoc intercedere; quod hi culpam omnem in Patres et Scriptores ecclesiasticos conjiciant, quos dicunt, hanc de daemonibus eorumque infestatione doctrinam ex Paganismo in Ecclesiam intulisse, cum eam nec Christus docuerit, nec Apostoli; illi autem Christum ipsum et Apostolos hujus superstitionis insimulent. In hoc utique melius concludunt Increduli, quam Protestantes; cum cuilibet Scripturas perlustranti apertum sit, unum ex duobus necessario esse admittendum, vel existere daemones, et a daemonibus vexatos et obsessos; vel Christum et Apostolos exitiosam et insanam superstitionem et dictis suis et factis comprobasse. Sed hoc jam satis ostendit, quo tandem venire oporteat eos, qui pellici se sinunt novarum opinionum incitamentis. (6)

PROPOSITIO I.

Daemones hominum saluti insidiantur, eosque variis modis tentant et ad peccatum alliciunt.

Prob. Diaboli ac daemonum pessimam voluntatem et innumeras, quibus homines ad malum sollicitant, artes et fallacias tum veteris tum novi testamenti Scripturae denuntiant. Diabolus auctor illius peccati dicitur, quod genus humanum perdidit; ipse peccatorum omnium, omnisque iniquitatis architectus habetur. I Joan. III, 8. *Qui facit peccatum ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli* ... et Joan. VIII, 44. *Vos ex Patre diabolo estis, ille homicida fuit ab initio.* De ipso dicitur, quod concitaverit Davidem, ut numeraret Israël, I Paralipom. XXI.; Judam, ut Christum traderet, Joan. XIII.; Ananiam, ut mentiretur Spiritui sancto, Act. V.; Petrum et Apostolos,

ut a Christo deficerent, Lucae XXII. *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Matth. XIII. inimicus vocatur, qui zizania in agrum, ad corrumpendum vitae aeternae semen spargit; Lucae VIII. Christus ait: *Venit Diabolus et tollit verbum de cordibus eorum, ne credentes salvi fiant.* Inde illae tam frequentes Scripturae monitiones, ne socordia vel ignavia opprimi nos sinamus, sed cum magna constantia periculosum certamen sustineamus; ut I Petr. V. dicitur: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Et Ephes. VI. *Induite vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias diaboli . . . etc.* I ad Timoth. IV. haereses dicuntur doctrinae daemoniorum, et Christus ipse Matth. XVI. de Ecclesia ait: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* His Scripturae testimoniis quam plurima ex Patribus addi possent ad comprobandam omnium saeculorum traditionem. Sed res satis nota est, ut probatione non indigeat.

PROPOSITIO II.

Daemones possunt infeste agere in corpora et bona hominum externa.

Prob. Daemones ex naturae suae perversitate ad hominum perniciem semper esse intentos et malis temporalibus, quando Deus id fieri patitur, homines vexare, constans est Judaeorum et Christianorum traditio, multis Scripturae testimoniis suffulta. Legimus in historia Jobi cap. I. et II., quantis eum cladibus Satanas afflixerit; et quamvis illud, quod Satan comparuerit coram Deo cum sanctis Angelis, parabolae speciem habeat; in aperto tamen est et auctoris sacri auctoritate comprobatum, saevas illas, quas Job subiit, tempestates a Daemone fuisse concitatas, hunc-que hostem esse generis nostri malignum et nocendi cupidissimum. Iterum Psalm. LXXVII, 49. legitur: *Misit in eos* (Aegyptios) *iram indignationis suae; indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Tobiae III, 8. de Sara filia Raguelis dicitur: *Tradita*

fuerat septem viris, et daemonium nomine Asmodaeus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam. Zachar. II, 1 et 2. exhibetur Jesus Sacerdos magnus stans coram Angelo Domini . . . *et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.*

PROPOSITIO III.

Daemonum possessiones admittere nos cogit Scripturae auctoritas et constans Ecclesiae fides.

I. Scriptores Evangelici ita de daemoniacis loquuntur, ut manifestum sit, quidquid novi Exegetae ab adverso positi declament, eos homines intellexisse a malis Angelis infestatos. Nam 1.° expressis verbis dicunt, eos habuisse daemonia. Matth. IV, 14. *Obtulerunt ei omnes . . . qui daemonia habebant.* Eodem cap. VIII. narrat S. Matthaeus Christo in regione Gerasenorum occurrisse duos habentes daemonia. Et Lucas cap. VIII. ait: *Occurrit illi vir quidam, qui habebat daemonium.* ἀνὴρ ὃς εἶχε δαιμόνια. — Ibidem v. 2. de Maria Magdalena dicitur: *Ex qua septem daemonia exierant.* Marc. XXI. *De qua ejecerat septem daemonia.* — 2.° Evangelistae male habentes, seu aegrotos disserte ab illis, qui daemonia habebant, distinguunt. Sic Matth. VIII, 16. *Obtulerunt ei multos daemonia habentes; et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit.* Marci I, 34. *Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus; et daemonia multa ejiciebat et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* Vid. Matth. VIII, 16. Marc. III, 10. et 11. Lucae VI, 18. 19.

II. Si opinio de malorum spirituum infestatione merum fuisset judaicae superstitionis commentum, Christus ipse non sui tantum temporis, sed omnium sequentium temporum homines in crassissimum errorem induxisset; ita enim in hac re se gessit, ita palam locutus est, ut omnes, qui in eum crediderunt, hanc opinionem, si non habuissent, ab eo accepissent. Luc. XI. ostendit se in digito Dei daemonia ejicere, non in principe daemoniorum; regnum suum opponit regno Satanae, suamque divinam missionem ex eo probat, quod ipse fortior sit Satana, eumque

verbo suo exire cogat ex iis, quos occupaverat. Lucae XIII. cum mulierem aegrotam sanasset, expresse ait daemonem hujus infirmitatis auctorem fuisse. v. 16. *Hanc filiam Abrahae, quam alligavit Satanas ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbathi?* Aliis in locis Christus Daemones expressis verbis alloquitur, illisque imperat cum summa potestate. Marci IV. *Comminatus est spiritui immundo dicens illi: Surde et mute Spiritus, Ego praecipio tibi, exi ab eo.* Lucae IX, 43. *Increpavit Jesus spiritum immundum.* Cum illi occurreret daemoniacus in terra Gerasenorum Marc. V. ad daemonem verba dirigit: *Exi immunde spiritus ab homine.* Tum interrogat: *Quod tibi nomen est?* Et cum deprecarentur eum Spiritus dicentes: *Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus; concessit eis statim Jesus; et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos.* An forsan morbus viri illius totum subito porcorum gregem corripuit? Sed et illa Christi cum daemone sermocinatio quam insulsa esset et ridicula sublato daemone! Dicamus potius, quanta impietas, ejusmodi quidquam de Christo cogitare!

Accedit et illud, quod Christus non tantum spectante et audiente populo ita locutus fuerit: sed et privatim cum solis Discipulis agens, quos diligentius in iis, quae ad regnum coelorum spectant, erudiebat. Sic Lucae X. quando Discipuli peracta praedicatione ad eum reversi cum gaudio dixissent: *Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo* ... non tantum hanc eorum opinionem non correxit, sed confirmavit potius, cum illis respondit: *Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem.*

III. Novum huic argumento pondus accedit ex eo, quod Jesus discipulis suis potestatem concesserit ejiciendi daemones et ita quidem, ut hanc potestatem expresse ab ea curandi infirmos distinxerit. Marc. III, 15. *Dedit eis potestatem curandi infirmos et ejiciendi daemonia.* Marc. XVI, 17. 18. *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient. Super aegros manus imponent et bene habebunt.* An hic populi opinionibus se

accommodavit Christus, cum ita jam ascensurus ad Patrem solos discipulos alloqueretur?

IV. Eadem in actibus Apostolorum narrantur, quae in Evangelio; eadem quoque Apostolorum, quae Christi, agendi ratio fuit. Actor. V, 16. dicitur: *Concurrebat multitudo vicinarum civitatum, afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Omni attentione dignum est, quod Actor. XIX. legitur. Cum Paulus Ephesi versaretur, *super languidos deferebantur a corpore ejus sudaria et semicinctia: et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur* .... (v. 12.). Ne autem dubium maneret, de daemonibus ibi agi eorumque infestatione, statim additur v. 13., quid Judaeis quibusdam exorcistis contigerit, qui nomen Jesu invocabant super eos, qui habebant spiritus malos. *Respondens spiritus nequam dixit eis, Jesum novi et Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, invaluit contra eos* etc. Idem Apostolus Act. XVI. spiritum Pythonis ejecit ex puella: v. 18. dicitur: *Dolens autem Paulus et conversus Spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea; et exiit eadem hora.*

Manifestum igitur est eo tempore, quo Christus et Apostoli vivebant, multos extitisse a daemonibus infestatos. Neque enim de hoc dubitare potest, quisquis sensum aliquem Religionis retinuit. Rem tanquam certam et indubitatam tradunt scriptores Evangelici; sed et Christus ipse et Apostoli ita constanter se gesserunt, ut si error subesset, is merito in Christum et Apostolos refunderetur.

V. Facillimum esset, ea quae in Scripturis apertissime praedicantur, etiam ex Veterum Testimoniis, ex sensu et praxi totius Ecclesiae probare. Omnis enim retro antiquitas et proximiores Apostolorum temporibus Patres, non tantum in eo conspirant, veras fuisse illas daemonum possessiones, quae in sacris litteris narrantur; sed in suis temporibus similia contigisse testantur et daemones invocato Jesu nomine ex hominibus expulsos. Ad finem adhuc saeculi secundi tam frequentes erant daemonum possessiones, tam certa quoque Christianorum in daemones potestas, ut ausus

sit *Tertull.* in Apologetico cap. XXIII. Imperatorem et Romanos ita compellare. «*Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem a Daemone agi constet; jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius, quid hac probatione fidelius? Dictis non stetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis.*» Multa alia veterum Patrum testimonia praetermittimus; neque enim ea negant adversarii, sed explodunt, majori utique supercilio quam ratione. Nam homines isti nullius plerumque studii, et levissimae doctrinae multo se celeberrimis quibusve Ecclesiae Patribus doctiores putant, vix adhuc Scripturae parcentes, quam hac tantum lege retinent, ut omnem, quam ipsi volunt, formam induat, neque de vi sibi illata conqueratur. Constans Ecclesiae traditio vel ex solo exorcismorum usu, qui a primis saeculis in Ecclesia perduravit, evincitur.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Objiciunt *contra* I. *Propos.* 1.° Indignum est Deo, hominem coecum et imbellem tot acerrimis hostibus objicere, qui eum tantis adoriri insidiis possent, tot incursionibus sollicitare, ut ab illis cavere non valeret. 2.° Christus in mundum venit, ut opera diaboli dissolveret. (I Joan. III.). Ipse moriens expoliavit tartareas potestates; palam triumphans illos in semetipso. (Coloss. II, 15.). Ergo diabolus jam nihil juris habet in hominem, neque eum tentare potest ad malum, sed *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* (Jac. I, 14.).

Resp. ad I. Deo equidem indignum esset hominem inermem nullo munitum praesidio, nullis ad vincendum armis instructum cum potentissimis hostibus committere. Verum longe haec sunt a divinae providentiae consiliis. Hostes quidem experimur nobis multo valentiores, et odio incitatos implacabili; at nec quantum, nec quamdiu volunt, tentare nos aut vexare possunt, sed omnis eorum potestas Dei nutu et permissu gubernatur. Porro satis superque admonemur in Scripturis, ut solliciti simus ad praeca-

vendas daemonum molitiones, ut fortiter resistamus in fide, nec socordia aut ignavia torpeamus. Tentationis hic locus est, hic probanda virtus, hic promerenda corona est. Multa certantibus parata sunt auxilia, praemia vincentibus magna nimis. Vires quidem nostrae in tam pertinaci certamine non sufficiunt, sed facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Fortis est, quem Deus adjuvat; aderit autem Deus, si viribus nostris diffidentes, et omni spe incolumitatis nostrae in Deo collocata, pie casteque a Deo petimus, ne nos tentari sinat supra id quod possumus, sed' faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. (I Cor. X.).

Resp. ad II. Christus revera Satanam vicit morte sua, et triumphum de illo egit, qui habebat mortis imperium. Unde et illud verissimum est, Diabolum nihil in nos juris habere, nisi volentes jugum subeamus ignominiosae servitutis. Sed et neminem potest in sua potestate retinere, qui pristinae nobilitatis memor ad Deum, quem sponte reliquerat, recto et sincero animo revertitur. Locus ex S. Jacobo citatus ad rem non pertinet. Scopus Apostoli est, ostendere, Deum nemini auctorem peccati esse, nec esse posse; omne autem peccatum ex prava hominis voluntate prodire. Verum sicut concupiscentia sola proxima causa est omnium peccatorum, ita multae esse possunt ejusdem mali occasiones et causae remotae. Neque daemones, neque mundus, neque perversi homines, qui daemonum voluntatibus subserviunt, nocere alia ratione possunt, quam cum malas cupiditates ita vitiorum illecebris inflammant, ut homo propria voluntate in interitum ruat.

Objic. II. Notum est vocem spiritus antiquitus non raro fuisse adhibitam, ad affectiones quasdam animi et mentis commotiones designandas. Inde factum est, ut, quemadmodum bonae motiones a Deo in anima excitatae Angeli boni dicerentur; ita ex affectibus, et perturbationibus a mala cupiditate excitatis Daemonia exorta sint seu fides malorum spirituum, quos vulgus superstitiosum sibi finxit in hominum perniciem conjuratos.

Resp. neg. conseq. Quod vox Spiritus in Scripturis saepius tropice adhibeatur, non inficiamur; sed falsa est, quae exinde deducitur, conclusio. An non ignis, aut aër, aut alia hujusmodi multa in Scripturis usurpantur, ad motus animi significandos,

aut alios effectus physicos, aut morales? An ergo nihil sunt revera existens? Nugantur certe, qui ita concludunt. Nos sicut bonorum spirituum, ita et daemonum existentiam, eorumque multiplicem cum homine nexum ex illis Scripturae locis probamus, in quibus manifestum est de entibus realiter existentibus sermonem esse. Sic Jacobi II, 19. legitur: *Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis; et daemones credunt, et contremiscunt.* Quis hoc loco motus et affectiones animi intelligat?

Contra II. *et* III. *propositionem.*

Argum. I. 1.° Multi ex Veteribus crediderunt, daemones nihil aliud esse, quam animas hominum emortuorum. 2.° Ipsi antiquiores Patres ea, quae de daemoniacis in sacris litteris dicuntur, vario sensu interpretati sunt; atque morbos, aut persecutiones malorum hominum, aut vitia homini dominantia intelligi fatentur. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Quid gentiles, quid multi etiam inter Judaeos de daemonibus senserint, ad nostram quaestionem non pertinet; multa enim apud eos confusa erant et vaga; nostrum est inquirere, quae Christi, quae Apostolorum, quae Christianae Ecclesiae doctrina fuerit. Cum evidens sit, Christum, quando de daemonibus locutus est, non animas hominum intellexisse, sed angelos malos, ejusdem cum satana et diabolo naturae, et ad ejus regnum pertinentes: quis non videt eum potius falsas Judaeorum opiniones correxisse, eisque genuinam substituisse de diabolo ejusque angelis doctrinam?

Ad II. neg. ant. Veterum omnium unanimis sententia est, daemonum infestationes, quae a sacris auctoribus narrantur, in sensu obvio et proprio esse accipiendas. Si qui ad populi fidelis instructiouem sensum moralem consectati sunt, litteralem non tantum non excludunt, sed supponunt potius. Ita S. Gregor. cum de Maria loquitur, de qua, ut Scriptura refert, septem daemonia exierant, ait: *Quid per septem daemonia, nisi universa vitia designantur?* Constat autem eundem S. Patrem in omnibus fere evangelicis factis ejusmodi explicationes mysticas quaesivisse.

Argum. II. 1.° Christus et Apostoli daemones alloquendo vulgi opinionibus sese accommodabant, quod pessima quaeque

morborum genera daemoni adscribebat. 2.° Christus ipse potestatem, quam habuit ejiciendi daemones, cum illa comparat, quam exorcistae Judaeorum exercuerunt; Matth. XII, 27. *Si ego in Belzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt?* At nemo dicet daemonia revera ejecta fuisse ab Exorcistis Judaeorum. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Ex eo, quod populus ad superstitionem proclivis saepe daemonum infestationi adscribat, quae morbi naturalis effectus sunt, non sequitur nullas unquam daemonum possessiones extitisse. Contrarium potius ex hac ipsa populi persuasione colligendum est. Sicut falsae Prophetiae veras, falsa miracula vera extitisse probant; sic falsae obsessiones veras non destruunt, sed magis confirmant. An quia tot ubique circumvolant ventosi sapientiae ostentatores, qui sensum communem non habent, nulli dantur veri nominis Philosophi? Nos nullatenus contendimus, vera esse, quae diversis temporibus per vulgus sparsa sunt de daemonum incursionibus et maleficiis; haec enim ut plurimum fraudis aut ignorantiae foetus sunt. Stricto examine et magna cautione in hac materia agendum est, idque semper egit, et ministris suis observandum praecepit Ecclesia. At contendimus possibilia esse facta ejusmodi, eaque absque temeritate negari non posse, si fidem historicam habent, neque absque magna impietate, si divina auctoritate fulciuntur.

Resp. ad II. Christus uti potuit argumento *ad hominem* ut vocant, ac si diceret: Sunt etiam inter vos, qui dicunt, se ejicere daemonia; verum, an unquam repertus est quisquam, qui contenderet, se potestatem depellendi daemones a daemone habere? An non insanire visus esset homo iste? Respondent alii, Christum de suis discipulis loqui, quibus ipse potestatem in daemones concesserat. Id certum, maximum fuisse discrimen inter opera, quae a Christo fiebant, et Judaeorum exorcismos; unde et populus totus in admirationem raptus est quando Jesum vidit imperium in daemones exercere. *Quidnam est hoc? Quaenam doctrina haec nova? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.* Marc. I, 27.

Argum. III. Nemo facile persuadere sibi poterit, eo praecise temporis curriculo, quo Christus publicam inter homines vitam egit, tantum extitisse numerum daemoniacorum; cum nec antea

mentio eorum fiat, neque postea ejusmodi amplius reperiantur. Ergo etc.

Resp. Quid ante et post Christum factum sit, necesse non est operosius examinare; videantur quae in probatione dicta sunt argumento V. Fatemur autem hujus rei exempla nullibi frequentius, quam in N. T. historia occurrere. Quis autem facta historica referens, rationem reddere cogitur, cur eo praecise tempore, et non alio illa facta contigerint? An iis forsan fides historica deest? Sed si omnia habent, quae ad fidem faciendam requiruntur, si insuper (quod iis dictum esse volumus, qui se Christianos nominant,) infallibili auctoritate nituntur; tunc certe nescimus, quo eos nomine appellare debeamus, qui gravissima facta non ex fidei criteriis, non ex historicis momentis, sed ex suis ineptis et levissimis conjecturis aestimant. Praeterea non indignum putamus Dei providentia, ut eo praecise tempore major diabolo potestas daretur in hominum corpora, quo Christus apparuit. Hac siquidem ratione Christus se victorem diaboli palam probavit, et visibili operatione invisibilem victoriam, et Incarnationis saluberrimum finem indicavit. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* 1 Joan. III, 8.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 238. Fide credimus, mundum hunc universum Dei opus esse, ipsamque, ex qua concretus est, materiam a Deo ex nihilo productam. Fide quoque certum est, ea quae cap. I. Genes. de mundi hujus origine narrantur divinae esse auctoritatis. Quod autem sensum attinet verborum, et modum ea, quae a Mose referuntur, interpretandi, diversae sunt tum veterum tum recentiorum sententiae, quas diffusius exponere hujus operis brevitas non permittit. Primum quidem non est, cur nos eorum sententiae morentur, qui aut Scripturam explodunt penitus, aut ea tantum lege admittunt, ut flexibilem se praebeat in omnem sensum. Hoc viris istis promptum est, et expeditum, ut quidquid eorum ingenio non arridet, inter fabulas, aut si parcius loqui placet, inter mythos relegent, et autores sacros

Poëtarum more locutos fuisse dicant, vel potius vetera poëtica aut philosophica fragmenta operi sui assuisse.

Catholici interpretes, ii saltem qui sanioris et maturioris judicii sunt, censent in primo Geneseos capite veram creationis historiam contineri, quamvis quaedam sint figurate dicta; quod et alibi frequenter contingit, cum Scriptura de Deo ad homines humano modo loquatur. Caeterum in opere sex dierum explicando multae occurrunt difficultates, quas discutere Interpretum est. Sunt qui existimant, a principio statim productam fuisse materiem omnibus omnino corporibus communem, quae sex diebus postea distincta fuit et ornata. Id innuere videtur S. August., quamvis non adeo firmus in hac sententia fuerit, et ipse fateatur, se in exponendo Geneseos initio, ut in aliis Scripturis paulatim profecisse. Quaeritur iterum inter alios, an non, postquam versu 1. prima rerum creatio indicata fuerat, versu deinde secundo et deinceps de aliqua telluris restauratione agatur? Aut an per dies sex, quibus opus creationis peractum dicitur, dies intelligendi sint naturales, et nostris similes? Nobis ii, qui in discutiendis ejusmodi quaestionibus tempus absumunt, videnter magis nova et curiosa sectari, quam utilia; neque proferri aliquid hucusque potuit, quod nos cogeret a communi opinione, et sensu obvio Scripturae recedere. — Vid. *Dobmayer* tom. V. p. 329 etc.

Sententiam nostram non parum confirmant vetustissimarum gentium testimonia, quae omnia cum Mosis narratione mire consentiunt, et quorum plurima refert *Grotius* de Verit. Rel. Chr. lib. I. cap. XVI. Inter alia ostendit vir doctissimus, memoriam creationis inter septem dies peractae servatam fuisse non apud Graecos tantum et Italos honore diei septimi, sed et apud Celtas et Indos, quibus omnibus per hebdomadas digesta sunt tempora.

(2) Pag. 264. Hoc argumentum, quemadmodum et illud quod primo loco allatum est, in omnem partem versarunt Increduli nostri, insolentius certe quam verius gloriantes, actum nunc esse de Mosis narratione. Sed in hac etiam parte, sicut in multis aliis dejecta eorum spes est, et tecta verborum ambagibus ignorantia in confusionem adducta. Ne diffusiores in hac materia simus, auctores tantum aliquos indicabimus, qui rem in

tanta luce collocarunt, ut nulla jam maneat difficultas. Vid. *Histoire univers. des Anglais* tom. VI. — *Buffon* histoire nat. tom. VI. — *Catéchisme philos.* Partie I. Art. V. N.° 48 et suiv. — Imprimis *la Ste Bible vengée* tom. I. pag. 295 etc.

(3) Pag. 266. Quae Moses de rerum principiis narrat, veteribus Graecis celebrata fuisse probat erudite *Clemens. Alexand.* Strom. lib. V. — Certe a Mose non valde discrepant, quae *Hesiodus*, et longe minus, quae *Ovidius* scripsit. — Vide *Natal. Alexand.* hist. Eccles. aetat. mundi I. art. III. — Primam hominum vitam felicissimam fuisse, sicut vitiorum, ita et malorum omnium expertem, omnium fere gentium traditionibus continetur; *Sinenses* traditam hanc a majoribus doctrinam religiose servarunt; eamque scriptis consignarunt viri inter eos doctissimi. In libris quos *King* id est sacros vocant, haec leguntur. « Tempore primi « coeli pura voluptas, et pax perfecta ubique regnabant. Nulli « tunc labores, non poenae, non dolores, non crimina; omnia « humanae in terris parebant voluntati. » *Indorum* traditionem refert *Strabo*, qui lib. XV. Gymnosophistarum doctrinam sic exponit. « Olim omnia plena erant triticeae et hordeaceae fari- « nae, ut nunc pulveris; fontes alii lacte, alii aqua fluebant, « nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob « satietatem et luxuriam ad contumeliam se transtulerunt. Ju- « piter igitur illum statum exosus omnia abolevit. » Quae *Persarum* doctrina fuerit Plutarchus refert in *Iside* et *Osiride*. — Eadem apud Graecos et Romanos persuasio viguit. *Plato* in Politico docet, primam hominis aetatem vere auream fuisse, ex ea autem homines in miseram conditionem delapsos. Aureum saeculum, et regnum Saturni, et aeterni veris deliciae, et naturae integritas, qua primi homines pollebant, a Poëtis graecis et latinis passim celebrantur. Sic *Virgil.* Georgicorum lib. I.

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni;
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Praedarique lupos jussit, pontumque moveri.
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit,

Vid. Juvenal. Satyra VI. et locum Ovidii notissimum lib. I. Metamorph. *Aurea prima sata est aetas etc.*

(4) Pag. 285. Eandem hanc materiam attingere necesse erit, quando de facta primis parentibus futuri liberatoris promissione agemus. Interim haec pauca observamus. Attente perlegimus eam, quam Doctiss. D. *Brenner* secundo Volumini praefigit suae exegesis defensionem. Praeclara quidem sunt, quae vir Clariss. ea occasione iterum inculcat circa SS. Patrum lectionem; at liceat nobis, quae cogitamus, aperte dicere. Nobis plene persuasum est, interpretationem illam Capitis III. Genes. quam tom. I. citati operis legimus, a ratione interpretandi SS. Patrum toto coelo differre, neque credimus quemquam eam probaturum, qui in Sanctorum Patrum lectione versatus, et eorum Spiritu imbutus fuerit. Patres quippe, cum sacra verbi divini oracula interpretantur, cum magna agunt ingenii moderatione, atque in ipsis verbis illam ostendunt gravitatem et religiosam venerationem, quae maxime decet divina tractantes. Eadem est optimorum interpretum, et summorum, quae inter Catholicos floruerunt ingeniorum scribendi et commentandi ratio. Hinc in exili illa quae in tom. II. continetur apologia vix unum aut alium citare potuit Clariss. Auctor; et nec hos quidem concedimus. Qui librum *Ambrosii* de Paradiso perlegere velit, illico intelliget S. Patrum ubique verbis et factis in primis Geneseos capitibus relatis sensum mysticum substruere, atque ita historiam tam parum deserere, ut illam asserat potius, seu tanquam certam assumat. An forsan quia Apostolus quam plurima veteris historiae facta in Allegoriam vertit, concludet aliquis, ea facta non contigisse? Sed vana est Allegoria, si rei proprietas tollitur. An, quia idem Apostolus ait *a*): *Scriptum est in lege Mosi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo?* inferre licebit nihil de bobus praeceptum esse in lege?

Neque auctorem quidquam juvat *Calmeti* auctoritas. Sinamus huic Viro, quae ibi congeruntur, praeclara elogia. At mirum! Hoc Ecclesiae Catholicae illustre decus, hic princeps commentatorum, omnino noster est. Totus textus illi vere historicus est, et cum ait Mosen *uti figuratis et aenigmaticis locutionibus* etc.

a) I *Cor.* IX, 9.

id asserit quod et nos, et probatissimi interpretes. Ibi enim de sententia tantum agitur in serpentem lata, quam ille ait etiam ad diabolum pertinere, quamvis nulla de eo expressa mentio fiat. Cum magna fidentia lectores ad Doctiss. *Calmeti* commentaria remittimus, et vix intelligent, qua ratione eum auctor in causae suae patrocinium trahere potuerit.

Manet igitur *Cajetani* magnum quidem et illustre nomen; sed quem merito nimiae in nova et paradoxa porpensionis arguit *Canus a*); Canus, inquam, eidem ac Cajetanus S. Dominici familiae adscriptus, qui Cajetanum a teneris didicerat tanquam Magistrum et Patrem suum venerari. Is inquam neque Ordinis sui amore, neque summa quam alte imbiberat tanti viri reverentia cohiberi potuit; sed studio veritatis incitatus, eum expresso etiam nomine reprehendit, et notandam putavit ejus temeritatem. Et quoniam hac occasione in illum Melchioris locum incidimus, non abs re erit quaedam exscribere, non ad aliorum reprehensionem, sed ad instructionem et utilitatem Candidatorum; nobis enim multa visa sunt a tanto viro, non tantum accurate et elegantissime, sed etiam ad haec nostra tempora valde accommodate dicta. Sic citato loco de Cajetano ait, eum «summis aedificatoribus Ecclesiae « parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, « quasi cujusdam leprae admixtione foedasset; et vel curiositatis « libidine affectus, vel certe ingenii dexteritate confisus, litteras « demum sacras suo arbitratu exposuisset. *Nam vetustae tra-* « *ditionis parum tenax, et in Sanctorum lectione parum quoque* « *versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non* « *suo sensu illa, sed majorum traditione, vera scilicet verbi Dei* « *clave aperuerunt.*» — Tum ostendit hunc communem fuisse Haereticorum et Schismaticorum errorem, et pergit hoc modo. « Quid vero Vincentius Lerinensis adversus profanas novationes « de Origene referat, non pigebit adscribere, *ut vel hoc uno* « *exemplo viri pii in sacris litteris exponendis discant esse modesti.* « Cum igitur is auctor Origenis ingenium, eruditionem, eloquen- « tiam, virtutesque alias admirabiles extulisset; hic idem, ait, « tantus ac talis, dum Dei gratia insolentius abutitur, dum in- « genio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi

---

a) Loc. Theol. lib. VII. cap. III. n.° 10 et seq.

« pendit antiquam Christianae Religionis simplicitatem, cum se « plus cuntis sapere praesumit, dum *ecclesiasticas traditiones*, « *et veterum magisteria contemnens, quaedam Scripturae capitula* « *novo more interpretatur*, meruit, ut de se quoque diceretur: « Si surrexit in medio tui Propheta etc. » Redit deinde ad Cajetanum, et cum hic auctoritatem parvi faciens, rationem in medium protulerit, seu sub rationis nomine sua, quamvis paradoxa cogitata, reponit Canus: « Sed age, ratiocinemur, ostenda- « musque in expositione sanctarum Scripturarum concordem « antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse Catholici. » Revera illud longa deductione probat tum Theologorum ratiocinationibus, tum etiam testimoniis antiquitatis; hancque satis diffusam disputationem subito interrumpens exclamat *a*): « Te nunc, Caje- « tane, appello, te in concilium voco, te non in Lycaeum aut « Academiam induco, sed in sanctorum Patrum pacificum, hono- « randumque conventum. Pone tibi ob oculos, rogo te, tam « numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hunc usque « diem tot saeculorum consensus approbavit, quos praeter ad- « mirabilem sacrarum litterarum peritiam, vitae quoque pietas « mira commendat. Aspice illos, obsecro te, quodammodo as- « picientes te, et mansuete ac leniter dicentes tibi: Itane nos, « fili Cajetane, in sacrarum expositione litterarum simul omnes « erramus? Utrum plus tribuendum esse judicas tot erudito- « rum, sanctorumque martyrum praejudiciis *b*), an tuo singulari « privatoque judicio? Respondebisne ad haec? *Videre mihi* « *videor*, *Cajetane*, *modestiam tuam*, *ingeniique candorem*, « *atque adeo in sanctos religiosam reverentiam et pietatem; et* « *quasi eorum esses*, *audio vocem tuam aures meas circumsonan-* « *tem*: *Vicimus utrique.* » Conf. Schwarz Handb. II. Bd. *Wiest* etc. Et quoniam diximus allegoricam interpretationem Patrum nihil litterali sensui nocere, aliud exemplum afferamus ex auctore recentiore et protestantico, in quo hanc legimus satis ingeniosam accommodationem, si ad haec impietatis et falsae Philosophiae vertigine agitata tempora applicatur *c*). « Sicut

---

a) Cit. lib. et c. N. XVI. *b*) Vox *Praejudicia* non in vulgari sensu hic intelligenda est, sed eo significatu, quem apud optimos auctores habet. *c*) Grot. de verit. Relig. Christ. lib. VI. §. I.

olim, ait, arbori vitae praelata arbor scientiae maxima dederat mala, ita tunc (nunc) quoque curiosam eruditionem pietati antehabitam. »

(5) Pag. 299. De hac materia egregiè disserit D. *Pascal* pluribus in locis. Cap. III. inter alia haec habet: « Les Philosophes ont-ils trouvé le remède à nos maux? Est-ce avoir guéri la présomption de l'homme, que de l'avoir égalé à Dieu? Et ceux qui nous ont égalés aux bêtes, ont-ils apporté le remède à nos concupiscences? Que deviendra donc l'homme? Sera-t-il égal à Dieu, ou aux bêtes? Quelle effroyable distance! Que serons-nous donc? Quelle Religion nous enseignera à guérir l'orgeuil et la concupiscence? » Et postea: « Chose étonnante cependant, que le mystère le plus éloigné de notre connaissance, qui est celui de la transmission du péché originel, soit une chose, sans laquelle nous ne pouvons avoir aucune connaissance de nous-mêmes. . . Sans ce mystère le plus incompréhensibile de tous, nous sommes incompréhensibles à nous-mêmes; de sorte que l'homme est plus inconcevable sans ce mystère, que ce mystère n'est inconcevable à l'homme. » Voyez dans le même auteur chap. XXI. et XXII. — Hujus quoque doctrinae vestigia apud antiquissimas gentes reperiuntur, ut ipse *Voltarius* fatetur. « La chûte de l'homme, ait *a*), est le fondement de la Théologie de presque tous les anciens peuples. » Graecorum quoque et Latinorum Philosophi plurimi, naturali lumine ducti, cum tantum malorum viderent, quantum in hac vita experimur, illud ex praecedenti peccato fluxisse suspicati sunt. Quorundam verba profert *August.* in libris contra Julianum conscriptis. Nam cum Julianus molesta vanitate suam jactabat scientiam, et imperitis venditabat, adductis magnis Philosophorum nominibus, quos suo errori favere dicebat; *August.* affectatam illius eruditionem retundit, simul ac probat, propius ad veritatem accessisse quosdam Philosophos, quam Julianum ipsum; ita tamen, ut ruinam quidem viderint, causam autem nesciverint. Sic lib. XV. cap. 6. insignem Tullii locum ex lib. III. de republ. laudat. « *Tullius*, ait, *hominem dicit non ut a matre, sed tanquam a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, et fragili, et infirmo; animo autem anxio ad*

a) Philosophie de l'hist. chap. XVII.

molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam ignis ingenii et mentis. » Addit *Augustinus*: « *Rem vidit, causam nescivit; latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam . . cum enim sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum.* Tum ita concludit hoc caput: *Tace ergo de illius generis libris, et noli nos inde aliquid contumeliose docere conari, ne quorum te inaniter sublevari credis, eorum testimoniis comprimaris.* » Similia ex Cicerone in Hortensio profert eodem lib. — *Plinius* in prooemio in lib. VII. miseram hominum conditionem ita depingit. « Jacet manibus, pedibusque devinctus flens animal, caeteris imperaturum, et a suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natus est. O dementiam hominum existimantium a talibus initiis ad superbiam se genitos! » Cfr. Schwarz Handb. II. Bd. S. 18. u. folg. — *Bergier* Traité hist. et dogm. tom. I. p. 271. tom. III. p. 330 etc. *Catéchism. philosoph.* lib. IV. chap. IV. art. V. du péché originel. Bible d'Avignon tom. XII. dissert. sur le péché originel. Stolberg I. Bd. 4te u. 5te Beilage.

(6) Pag. 324. Quoniam in re gravissima et hac praecipue aetate multis disputationibus famosa, non possumus cum ea, quam materia exigere videtur diffusione versari; fontes tantum aliquos indicabimus, quos adire poterint, qui rei cognitionem uberiorem expetunt. Conferri itaque possunt Stolberg V. B. III. Beilage. Schwarz I. Bd. bibliſche Kosmologie II. H. Geiſterſtaat. N. 11. und folg. *Wiest* op. M. tom. IV. pag. 716. Brenner freie Darſtel. I. B. S. 602 ꝛc. *Bible d'Avignon* tom. X. dissert. sur les bons et mauvais Anges. Item Diss. sur les obsessions et possessions du démon. *Catech. Rom.* in explic. sextae et septimae petitionis Orationis dom. *Grot.* de veritate Rel. Christ. lib. IV. §. II. in annotatis. *Lactant.* lib. IV. cap. XXVII. Catéchisme Philos. N.° 264. Idem N.° 319. et seq. — Inter alia, quae ibi citantur, haec nobis videntur imprimis adnotanda. « Nos Philosophes, ait auctor, ne refusent pas de citer quelques fois M. de S. Evrémond. Cet homme judicieux à bien des égards disait, que, si le démon se montrait à découvert dans ce siècle, il détruirait l'incrédulité. Si le diable se montrait souvent, dit le C. d'*Oxenstiern*, il n'y aurait pas à coup sûr tant d'impies. L'oiseleur, qui veut attraper des oiseaux, se cache le mieux qu'il

peut, pour n'être pas aperçu. » — « Pour nous entraîner plus sûrement dans l'erreur, » dit Thomas Brown, célèbre auteur et médecin anglais, « le démon à persuadé aux hommes qu'il était un être imaginaire. »

Locus hic esset de Magia, de spectris et sagis quaedam disserendi, si tempus suppeteret. Consuli potest Cl. *Rieger* inst. juris eccles. tom. IV. pag. 271 et seq. — Cui tamen doctiss. *Zalinger* adjungi vellem, qui putat in hac materia sicut in multis aliis aeque ineptum esse omnia negare, quam omnia credere. — Atque haec passim Theologorum Cath. sententia est. Lege *Bernardin. Bauer* Theol. univ. tom. II. pag. 674. *Dobmayer* tom. V. pag. 416. — *Catéch. philos.* loco citato, Diction. théolog. de *Bergier*, art. *Magicien*, *Magie*. *Leibnitz*. Theod. part. I. N.° 97., ubi insigne reperitur elogium Patris *Friderici Spee* Jesuitae, viri religiosissimi, qui primus antiquum modum contra sagas procedendi Religioni aeque ac humanitati contrarium impugnavit in aureo libello: *Cautio criminalis circa processus contra sagas.*

LIBER QUARTUS.

DE GENERIS HUMANI REDEMPTIONE.

Homo justitia originali exutus et divinae iracundiae obnoxius factus, ex eo, in quem dejectus fuerat, miserrimo statu resurgere propriis viribus non potuisset: sed et totum hominum genus paterno crimine foedatum, communi ruina oppressum jacuisset sine spe melioris sortis, nisi in tam luctuoso exitio divinam denuo expertum esset benevolentiam.

Noluit itaque Deus optimus hominem sine spe salutis relinquere, sed liberatorem promisit ex semine mulieris oriundum, cujus mediatione novum pactum sanciretur cum hominibus et homo in gratiam reciperetur, mutata capitis sententia in exilii poenam. Inde novus oritur hominum status, quem naturae reparatae vocant. In hoc jam statu spes omnis mortalium in Salvatore posita est, qui solus naturam humanam reparare potuit et ad eam a qua exciderat dignitatem denuo evehere. Merito igitur, postquam hominis lapsum vidimus et inde secuta tristissima mala, nunc de generis nostri instauratione loquimur, et de ea redemptione, in qua omnis salutis nostrae cardo vertitur. Hunc rerum ordinem novum et supernaturalem Patres speciatim divinam oeconomiam seu dispensationem vocarunt. Sic S. *Cyrillus Alex.* scribens in S. Joannem ait: *Transit Joannes a mera Theologia ad explicandam oeconomiam Incarnationis; cum enim aeternam Verbi nativitatem in principio Evangelii explicavit, ad salutis nostrae oeconomiam dilabitur dicens: Et Verbum caro factum est.* Ut in hac materia satis diffusa omnia certo ordine digerantur, examinabimus I. An aliquis Redemptor promissus fuerit et datus hominibus. II. Qualis ille Redemptor fuerit. III. Qualis fuerit, quae per eum facta est, redemptio. Prima

pars de Redemptore in genere àget: secunda, de Redemptoris proprietatibus, vel de mysterio Incarnationis: tertia de proprietatibus redemptionis, vel de mysterio satisfactionis.

Antequam autem hanc tractationem aggrediamur, non inutile erit, de variis hominum statibus quaedam breviter et summatim praemittere.

Per *statum* hoc loco intelligitur certa hominis conditio, aut modus, quo humana natura se habere potest, tum relate ad finem suum, tum relate ad media, aut impedimenta finis. Primo duplex status distinguitur, *viae* et *termini*. Hic extra vitae hujus mortalis limites positus est et futuram hominum sortem complectitur: ille ad praesentem vitam pertinet et duplici iterum modo spectari potest: vel enim actu et revera extitisse, aut adhuc existere dicitur, vel fingitur tantum naturae status aliquis possibilis. Quod plures cogitari possint status possibiles, necesse non est fusius exponere. Jam vidimus, quid per statum *naturae purae* intelligant Theologi, eumque ad status possibiles pertinere probavimus; potuisset quoque Deus hominem lapsum in illo statu relinquere, in quem per peccatum dejectus fuerat; isque fuisset status *naturae lapsae non reparatae*.

In triplici statu reipsa extitit humanum genus; scilicet, in statu *innocentiae, naturae lapsae* et *naturae reparatae*. Primus ille est, in quo homo a suo Creatore constitutus fuerat, bonis innumeris tum corporis tum animae, tum naturae, tum gratiae cumulatus. Secundus non Dei, sed hominis et peccati opus est. In illo natura humana conspicitur innocentiae donis spoliata, misera, abjecta, atque omnibus destituta mediis, quibus emergere ex tantis malis et pristinam felicitatem recuperare potuisset. Huic secundo statui successit tertius, qui *naturae reparatae* dicitur. In hoc statu peccati originalis labe infecti nascimur quidem, sed Christi sanguine redempti ad Dei amicitiam pervinire denuo possumus, et beatam immortalitatem consequi, ad quam homo primum fuerat conditus.

Status naturae innocentis per breve admodum tempus duravit; sed et lapsa natura mox iterum in spem erecta

fuit futuri liberatoris promissione. Status vero naturae reparatae totum illud spatium complectitur, quod ab Adamo ad finem usque saeculorum decurrit. Sicut autem uniuscujusque hominis, sic et totius humani generis sub hoc statu constituti variae sunt aetates; et quod in uno homine recte educato ordine naturae disciplinaeque contingit, hoc proportione quadam in humano genere fieri per divinam providentiam peragique pulcherrimum est. *Augustin.* diversas generis humani aetates paucis his verbis exprimit *a*): *Ante legem; sub lege; sub gratia; in pace.* Prima erat ante legem Mosaicam, infantiae similis, quae potissimum ignorantia laborat.

Secunda sub lege adolescentiae aetas fuit, in qua concupiscentia acrius inflammata coërcenda erat disciplinae rigidioris fraeno. Tertia legem gratiae exhibet, quae intellectum uberiori luce collustrat et ad prosequendum bonum virile robur infundit. Postrema aetas est vita post mortem sine fine duratura.

Nunc ad propositam nobis materiam intendamus animum, et primum quidem in genere inquiramus: an humano generi promissus fuerit Redemptor et datus?

PARS PRIMA.

AN ALIQUIS REDEMPTOR PROMISSUS FUERIT ET DATUS HOMINIBUS.

Duo sunt, quae hac parte probanda suscipimus. I. Redemptorem promissum hominibus fuisse et non a Judaeis tantum, sed etiam a gentilibus exspectatum. II. Completa fuisse divina promissa in Jesu Nazareno.

---

a) Quaest. LXVI.

CAPUT PRIMUM.

FUTURUS REDEMPTOR PROMISSUS ET EXSPECTATUS.

§. I.

PROPOSITIO.

Statim post lapsum primi parentis promissus est humano generi Redemptor.

Prob. Capite tertio Genesis his verbis serpentem insidiatorem alloquitur Deus, v. 14. et 15. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris et terram comedes omnibus diebus vitae tuae. — Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Haec prima omnium prophetia est et promissionem continet futuri liberatoris. Ergo etc.

Prob. ant. Ita res se habet, si 1.° verba illa non ad serpentem tantum diriguntur; sed etiam et quidem potissimum ad Diabolum, qui sub serpente latuit: si 2.° ea, quae versu 15. leguntur, non aliter ac de futuro Redemptore intelligi possunt; si 3.° certum efficitur, quod primi parentes spem semper habuerint liberationis, atque etiam in posteros transmiserint; quod sine hac Redemptoris promissione cogitari non potest. Ergo etc.

Prob. min. pars. I. Cuilibet vel parum attendenti patet, sententiam a Deo prolatam, si de serpente tantum intelligitur, sensum ineptum habere et Deo prorsus indignum: nostram autem interpretandi rationem rei, quam exprimere debet, omnino esse accommodatam; veterum etiam Interpretum, imo et librorum sacrorum auctoritate confirmatam. Quis non videt ad illum pertinere sententiam judicis, qui primos parentes decepit? Postquam enim Eva dixerat: *Serpens decepit me*, addit sacer textus: *Et dixit Dominus Deus ad serpentem.* Jam vero serpens non potuit proprio instinctu et naturali intelligentia homini persuadere, ut de fructu vetito comederet. Planum ergo est, Deum sententiam dixisse in Daemonem, qui sub specie serpentis

hominem ad inobedientiam provocavit. Haec dictio figurata quidem est, sed a communi usu minime remota; omnibus enim linguis illud familiare est, ut per causam instrumentalem intelligatur efficiens. Porro sensum Prophetiae cognitum fuisse primis hominibus et ab illis ad posteros perductum ex omnium fere gentium traditione liquet. Judaeorum et Christianorum traditionem satis superque ex sacris utriusque testamenti libris discimus. Sufficiant haec pauca. Auctor lib. Sapientiae scribit cap. II. *Deus creavit hominem inexterminabilem ... invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Job. XXVI. post magnificam omnipotentiae divinae descriptionem haec habentur v. 13. *Spiritus ejus ornavit coelos et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.* Quod per haec verba antiquus ille coluber olim intellectus fuerit, qui genus humanum seduxit, constat ex versione LXX. Interpretum, quae textum istum ita reddit: *Praecepto autem peremit draconem desertorem, δράκοντα ἀποστάτην.* Accedunt novi testam. apertissima loca. Hevam a serpente seductam fuisse disertis verbis asserit Apostol. II Cor. XI. *Timeo, ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua.* Quisnam autem serpens ille fuerit in Apocalyps. dicitur XII, 19. *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas.* Quin et Christus ipse Joan. VIII. de diabolo ait: *Ille homicida fuit ab initio.* Non video, qua ratione tantis tamque illustribus testimoniis repugnare possit, qui mentem habet rectam et veritatis cupidam.

Prob. min. pars. II. Haec verba v. 15. *Ipsa conteret caput tuum,* alium sensum habere non possunt, quam quod aliquis exoriturus esset ex semine mulieris, qui contriturus esset caput serpentis, seu potestatem diaboli; nam per serpentem diabolum designari jam ostendimus. Haec iterum interpretatio valde obvia est et ex contextu ac historiae circumstantiis sponte nascitur; neque alia fingi potest, quae non inepta sit et contorta, ac divina majestate prorsus indigna. Jam vero admissa hac nostra interpretatione manifestum est, spem inditam fuisse hominibus futuri liberatoris; et quamvis obscuriora sint Prophetiae verba, id tamen non

obscure continent, quod tunc scire hominibus maxime fuit necessarium, nempe Daemonis victoriam in genus humanum non esse completam, sed illum tandem per semen mulieris omnino vincendum. Imo valde probabile est, Deum promissa sua clarius proposuisse, aut primis parentibus sensum aperuisse prophetiae; atque ita cum Judicis sententia sensum simul fuisse ab Adami posteris conservatum.

Prob. min. pars. III. Constat parentes nostros accepta etiam judicis sententia spem habuisse veniae et restitutionis, Deumque religioso animo coluisse: ergo necesse est, ut Deus aliqua promissione eos in spem iterum erexerit, neque alia in historia Mosaica promissio deprehenditur, quae fundamentum haberi posset illius spei, nisi illa contra serpentem lata sententia, quae Genes. cap. III. legitur. Ergo etc.

Quod autem spem habuerint parentes etiam peccato obnoxii, ex multis Scripturae locis eruitur. 1.° Genes. III. statim post latam in Adamum sententiam dicitur: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, quod mater esset cunctorum viventium.* Si nulla facta fuisset homini spes veniae et liberationis, non viventium mater fuisset Heva, sed morientium. 2.° Genes. IV, 1. Eva, cum filium peperisset, dixit: *Possedi hominem per Deum.* Quae autem fuisset gaudendi ratio, si natus infans tanquam semen maledictum ad aerumnas tantum et mortem aeternam fuisset destinatus? 3.° Ibidem narratur Cainum et Abelem munera obtulisse Domino: hanc autem rationem colendi Deum nonnisi a parentibus habere potuerunt. Ergo primi parentes eorumque posteri nunquam absque Religione fuerunt; Religio autem sine grato in Deum animo et pia in ejus misericordiam fiducia cogitari non potest; ergo neque existere potuisset in semine maledicto et in massa perditionis absque spe veniae relicto. 4.° Eodem Cap. v. 4. Deus dicitur respexisse ad munera Abel (vid. Hebr. XI.): ad Cainum autem ait v. 7. *Nonne si bene egeris recipies?... Sub te erit appetitus tuus etc.* Verum sublata redemptione nec mereri potuisset homo, neque dominari peccato. 5.° Idem clare evincitur ex iis, quae v. 26. ejusdem Cap. de

Patriarcha Enos dicuntur et Cap. V. v. 22. et 24. de Henoch patre Mathusalem, qui *ambulavit cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Cf. Eccles. XLVI. et Hebr. XI, 5. 6.º Expresse ait auctor Sapientiae cap. X, 2. primum hominem per sapientiam eductum fuisse e delicto suo; id autem sine poenitentia, ideoque sine spe veniae et futurae liberationis a Daemonis imperio fieri non potuit.

Recte ergo dicitur, primis parentibus statim post lapsum promissum fuisse liberatorem, illamque Prophetiam olim totius humanae spei et consequenter Religionis fundamentum fuisse. Ad illam respicere videntur, quae Deus per Prophetam suum ait Isaiae XLVI, 9. 10. *Recordamini prioris saeculi, quoniam Ego sum et non est alter Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

Objiciunt I. Verba in probationem allata nihil aliud significant, nisi hoc unum, fore ut serpentes hominum calcaneo insidientur, et ut homines vicissim serpentium capita percutiant. Ergo frustra prophetia quaeritur futuri Redemptoris.

Resp. neg. ant. Verba illa sensum metaphoricum continere sub littera latentem, et ita fuisse a primis parentibus intellecta, in probatione ostensum est. Deus ibi sententiam dicit in homines praevaricationis reos; quis autem credat Deum, cum de ruina totius generis humani agitur, oratione splendida rem praedicere minutam et levissimam; scilicet futurum esse, ut serpens super pectus reptaret, et terram comederet, quod utrumque ipsi naturale est? Item futurum, ut serpentes hominum quorundam calces invaderent, ac vicissim serpentes aliqui ab Evae posteris conculcarentur? Quodnam hoc fuisset parentibus in tanto luctu, et communi totius generis sui perditione solatium? Insulsa est igitur haec recentiorum quorundam Judaeorum interpretatio; et merito illis veteres gentis suae interpretes opponimus, quos constat in Scripturis, in lingua Hebraica, et antiqua populi traditione melius fuisse instructos. Hi autem passim Christum in illis verbis agnoscunt, eaque metaphorice intelligenda contendunt. Sic *Jonathas ben Uziel* ait: «futurum, ut filii mulieris praeceptis divinis obtemperando caput serpentis conterant, rursum calcem

eorum dente invadat serpens, cum prolabantur in vitia; at serpenti remedium fore nullum, piorum vero hominum vulneri Christum, cum venerit, medicinam facturum. » Quod perinde est, ac si diceret, Christum per sanctos homines auxilio ejus fretos insidiantem iis daemonem devicturum. — Eadem fere habet Jerosolymitanus Paraphrastes. Vid. *Huet.* prop. VII. cap. VII. Multa alia celeberrimorum Rabbinorum testimonia collegit doctiss. *Galatinus*, de arcanis Cath. veritatis lib. VI. cap. VII. et seq.

Instant I. Non possunt de Daemone intelligi, quae Daemoni convenire nullo modo possunt: atqui ea omnia, quae v. 14. et 15. ad serpentem dicta legimus, nullo modo daemoni conveniunt. Ergo etc.

Resp. dist. min. Daemoni non conveniunt, si ad litteram tantum attenditur, *conc.* Si scopum spectamus scribentis, et sensum sub littera latentem, *nego.* Deus serpentem est allocutus, quia hic diaboli organum fuit, et ruinae hominum instrumentum. Hinc et verba maledictionis ad litteram accepta aliquo modo serpenti conveniunt, eo scilicet sensu, quod post tentationem factus fuerit invisus et abominabilis homini; atque reptare super terram, terram comedere etc., quae prius ei erant naturalia, jam eidem confirmata sint in infamiam, ut sic etiam esset figura diaboli, qui jam non coelestia cogitat ut ante, sed terrena tantum, imo infernalia; et ad infima depressus totus in eo occupatur, ut homines in lutum deprimat turpissimorum vitiorum.

Eadem circa vers. 15. dicenda sunt, qui ut supra notatum est, sensum ineptum haberet, nisi, quae ad litteram serpenti conveniunt, allegorice de diabolo intelligerentur. Caput quidem diaboli conteri non potest, sed ejus potentia, quae per caput significatur; haec enim loquendi ratio familiaris est scripturae. Sic Psalmo XCI. dicitur: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Lucae X, 19.: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.* Ad Rom. XVI, 20.: *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Quod autem in textu in Genes. additur: *Tu insidiaberis calcaneo ejus . . .* id quidem commode de humano genere dici potest; nam homines tentat diabolus, et quasi in calcaneo mordet, cum partem naturae infi-

mam, quae in sensum et voluptates prona est, aggreditur, ut per hanc mentem et voluntatem subvertat. Verum aptius in ipsum Messiam refertur, qui contriturus erat caput serpentis, et quem diabolus in calcaneo tantum attingere potuit, id est in parte ejus inferiore, seu humanitate, quam laedi a satana permisit Christus, ut eum hac ipsa morte vinceret, quam ipsi per suos ministros intulit. Cf. *Cornel. a Lapid.* in hunc locum.

Instant II. Data explicatio admitti non potest. Ergo etc.

Prob. ant. 1.° Nulla in textu fit mentio diaboli. 2.° Vers. 15. dicitur: *Inter semen tuum, et semen illius.* At diabolus filios non generat. Ergo etc.

Resp. ad I. Nulla quidem diaboli fit mentio explicita, sed probavimus, totum contextum sensum sanum et Deo dignum non habere, nisi daemon sub serpente latens intelligatur.

Ad II. Semen diaboli sunt omnes filii nequam. Locutio haec in Scripturis usitatissima est. Christus Pharisaeos vocat: *Serpentes, genimina viperarum.* Matth. XXIII, 33. Ad Judaeos autem Joan. VIII, 44. ait: *Vos ex patre diabolo estis.* Paulus Elymam magum Actor. XIII, 10. vocat plenum omni dolo et fallacia, *filium diaboli.* I Joan. III. dicitur: *Qui facit peccatum ex diabolo est. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet*; ubi homines justi vocantur semen Dei.

Objic. II. 1.° Haec verba: *Ipsa conteret caput tuum,* non possunt de futuro liberatore intelligi, quia pronomen *ipsa* ad mulierem refertur. 2.° Si per serpentem diabolus intelligendus esset, ergo nullus verus serpens adfuisset, quod tamen pugnat cum communi Christianorum sententia, et illis Scripturae verbis: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae.* Ergo etc.

Resp. ad I. Vulgata quidem habet *ipsa*, at Hebraicum exemplar et septuaginta Senum interpretatio, et Samaritana editio habent *ipse;* ita et *Onkelos*, et *Jacobus Tawosus Judaeus, Persicus interpres*, et *Syrus.* Ita *Irenaeus, Cyprianus* et *Hieronymus.* Nempe significatur Christus. Haec responsio est Illustriss. *Huetii* prop. VII. cap. VII. — Porro observandum est, in Hebraeo quidem adhiberi pronomen הוּא *hu,* quod masculinum est; attamen determinari non posse, an ad *Christum* referendum sit, an *semen,* quia hoc vocabulum in Hebraeo ad mas-

culinum genus pertinet. Primum ideo mihi probabilius videtur, quia Graeca interpretatio vertit per pronomen masculinum αὐτὸς, quamvis nomen substantivum σπέρμα *semen* sit generis neutrius. Nostra Vulgata, cum pronomen foemineum *ipsa* adhibet, in eundem sensum explicari potest; quandoquidem Beatiss. Virgo per semen suum, seu Jesum Christum, cujus mater erat, caput serpentis contrivit; et quoniam de muliere tantum mentio fit, et de illius tantum semine, et illi tantum adscribitur, quod per semen illius efficiendum erat; non obscure indicatur ex muliere virgine oriturum semen illud, absque viri consortio.

Resp. ad II. Fuerunt etiam inter Christianos interpretes, qui nomine serpentis diabolum solum intelligi putarunt, quem serpentem vocatum fuisse dicunt, vel figurate propter astutiam et calliditatem; vel potius, quia ad tentandos primos parentes serpentis formam assumsit. Ita S. *Augustinus.* Alii tamen longe plures contendunt, diabolum vero serpente usum esse, et condemnationem referunt ad utrumque, serpentem nempe et diabolum. Vid. *Calmeti* comment. in hunc locum.

§. II.

Antiqui Patriarchae semper habuerunt spem futuri liberatoris.

Prob. I. *Inductione historica.*

I. *Ab Adamo usque ad Abraham.*

Certum est, *Sethum,* qui in occisi Abelis locum successerat, cultorem Dei eximium fuisse, et ab ipso veram Religionem in ejus posteros dimanasse, qui idcirco filii Dei vocabantur. *Enos* filius Sethi *coepit invocare nomen Domini;* Genes. IV, 26. — quod Interpretes passim de publico Dei cultu intelligunt. *Henoch* (Gen. V.) *ambulavit cum Deo; et non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Cum succedentibus annis inter ipsos Sethi filios grandis irrueret Dei oblivio, repertus est *Noë vir justus, atque perfectus in generationibus suis,* Genes. VI, 9., cui Deus dixit, antequam ingrederetur arcam v. 18.: *Ponam foedus meum tecum* . . . vel ut habet textus hebraeus: *confirmabo pactum meum tecum.* Noë fidem in futurum Redemptorem a patribus acceptam, forsan etiam nova revelatione confir-

matam filiis suis reliquit. Id quidam ex *Semi* benedictione colligunt, quae Genes. IX, 26. his verbis continetur: *Benedictus Dominus Deus Sem etc.* Cur, inquiunt, Noë Dominum speciali ratione vocat *Deum Sem*, nisi quia de Redemptore loquitur, ex Semi posteris oriundo?

II. *Abraham, Isaac, Jacob et Moses.*

Cum diffusis per orbem hominibus veri Dei oblivio invalesceret, promissiones quoque futuri liberatoris partim oblitteratae fuerunt, partim corruptae. Nova ergo requirebantur promissa, ut spes pene collapsa erigeretur, confirmareturque; id autem factum est iis pollicitationibus, quibus Deus Patriarcharum fidem et virtutem prosecutus est.

1.° *Abrahamo* repetitis vicibus (Genes. XII. XVIII. XXII.) dictum est a Domino: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae . . .*, quae *Petrus* ad Judaeos verba faciens Actor. III, 25. de Messia interpretatus est, et Paulus ad Galatas scribens ait cap. III. *Abraham dictae sunt promissiones et semini ejus: non dixit: Et seminibus quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, quod est Christus.*

2.° Hanc benedictionem in *Isaacum* devolvendam esse, antequam nasceretur, Abrahamo promissum fuit Genes. XVII. *Pactum meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara, uxor tua.* Cap. autem XXVI. ad Isaac dicitur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Vide ad Rom. XI, 7.

3.° Ab Isaaco eaedem benedictiones transierunt in *Jacobum*, quamvis natu minor esset. Genes. XXVIII. ait Dominus ad eum: *Ego Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Benedicentur in te, et in semine tuo omnes tribus terrae.* Hinc Eccles. XLIV. dicitur: *Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus, benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum confirmavit super caput Jacob.* Adde locum Apostol. ad Rom. IX, 11. et seq. — Jacobus cum morti proximus filiis suis benediceret, Messiam ex tribu *Juda* oriturum praedixit. Genes. XLIX, 8. *Juda, te laudabunt fratres tui . . . adorabunt te filii matris tuae . . .* et v. 10. *Non auferetur*

sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Haec, ut notat Illust. *Huetius a)*, recentiorum Judaeorum plerique pro more suo commentitiis interpretationibus incrustare satagunt; at vetustiores ad Messiam sine haesitatione referunt. Iterum Jacobus eodem capite cum filio suo *Dan* benedictionem impertiretur, subito filum prophetiae abrumpens, et quasi extra se raptus exclamat: *Salutare tuum expectabo Domine.* Quae verba ita interpretatur Paraphras. Jerosolym. *Dixit pater noster Jacob: Non expectabo redemtionem Gedeonis filii Jos, quae est salus transitoria, neque redemtionem Samsonis, quae est salus temporalis; sed expecto redemtionem Christi, sive Messiae filii David.*

4.° *Mosen* eadem spe Liberatoris fuisse animatum ex variis locis eruitur. Sic Exodi IV. cum iterum iterumque se excusasset, ne ad Pharaonem mitteretur, versu demum 13. ait: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es . . .* vel ut in hebraeo legitur: *Mitte per manum illius, quem mittes.* — Universo deinde populo idem Moses futurum liberatorem annuntiavit Deuter. XVIII, 15. *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Hanc Prophetiam uni Christo convenire probavimus in Demonst. Christ. Tom. I. Accedit Petri, et Stephani auctoritas, qui ad publicos Judaeorum conventus verba facientes *b)*, Christi venturi praedictionem his contineri declarant; quod profecto non fecissent, nisi illud jam vulgata et tralatitia persuasione Judaeis creditum esse scivissent.

Conclusio. Ex his aliisque testimoniis manifestum est, Patriarchas spem habuisse Redemtoris; vel enim novam promissionem continent, aut Prophetiam futurae liberationis; vel vehemens desiderium exprimunt Messiae; vel probant Patriarchas Deo fuisse vera et interna religione devinctos, justos fuisse ante Deum etc. Sed haec omnia fidem in futurum Redemtorem supponunt. Ergo etc.

---

a) Prop. VII. cap. VII. *b)* Actor. III, 22. et VII, 37.

Haec utique ratio est, cur Apostol. ad Hebr. cap. XI. fidem Patriarcharum magnificis encomiis celebret, eique bona omnia, quae aut ab ipsis facta, aut a Deo ipsis collata fuerunt, attribuat. Sic postquam de Henoch. v. 5. dixisset: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem ... ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo;* addit v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Sic v. 7. de Noëmo loquens ait: *Justitiae, quae per fidem est, haeres est institutus.* Ac demum postquam alios complures adduxit veteris testamenti viros justos, qui per fidem Deo placuerunt, cap. II, 2. Jesum vocat *auctorem et consummatorem fidei.*

Prob. II. *Speciatim ex usu Sacrificiorum.*

Certum est ritum sacrificandi mundo coaevum esse, et a primis hominibus usurpatum statim post lapsum. Primum cultus externi exemplum sunt Caini et Abelis sacrificia. Sic et Noë ex arca egressus confestim obtulit sacrificia, idque ab aliis Patriarchis factitatum, antequam sacrificandi ritus per legem Mosaicam sanciretur. Atqui hic sacrificiorum usus probat expectatum fuisse generis humani liberatorem. Ergo etc.

Probat. minor. Ritus Sacrificiorum hic erat: In illis peccator manus suas extendebat super caput victimae, et confitebatur peccata sua; ut ita significaret translationem peccati in victimam, eamque esse sui vicariam hostiam. Deinde effundebatur sanguis ad latus altaris, cujus sanguinis ea erat proprietas, ut simul pollueret, et mundaret; ut significaretur sanguinem ipsum esse immundum, utpote piacularis victimae, et tamen per istam effusionem sanguinis placari Deum. Postea victimae, vel ejus parti supponebatur ignis, quo cremabatur; quod iram Dei significabat, quae juxta Scripturam est ignis consumens, et devorans peccatores. Nidor vocabatur *ascensio*, et *odor suavitatis* vel *requiei*, quem Deum odorari dicitur, quia peracto toto ritu Deum placatum concipiebant veteres.

Haec omnia si absolute sumantur, sine relatione ad sacrificium vere expiatorium Christi, plena sunt vanitatis, neque venire unquam in mentem hominis potuissent. At si

tanquam symbola considerentur mortis Christi, qui cum essemus morti devoti, factus est pro nobis maledictum, et sanguine suo nos reconciliavit Deo, omnia plena sunt reconditae sapientiae. — Idipsum innuit Apostolus ad Hebraeos cap. IX., cum ait v. 22. *Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.* — Cap. autem X. expresse docet vet. testamenti sacrificia imperfecta fuisse, et umbram tantum novi sacrificii.

§. III.

An apud Judaeos semper permanserit spes futuri Redemtoris.

OBSERVANDA.

I. Quamvis eventus fere omnes populi Judaici, atque Legis ipsius praecepta et instituta umbra fuerint futurorum, et quasi permanens quaedam prophetia Messiae: voluit tamen Deus, cum populus ille in littera tantum haereret, et ad ea, quae sub legis figura latebant, non attenderet, spem antiquam novis in dies oraculis excitare; ut patrum traditiones conservarentur, fides in Liberatorem novis viribus augeretur, et desideria dilata crescerent. Quo proprius ad Messiae tempus accedimus, eo magis sese explicant hujus Redemtoris characteres: annuntiatio fit clarior, spes firmior, ardentior expectatio. Sic aurora surgentis solis nuntia crescit paulatim, et lucem spargit uberiorem, donec solem ipsum praesentem conspiciamus. At hoc idem aurorae lumen nihil est a sole distinctum, sed emissi ab eo radii, qui spem dant venientis diei, et mortalium oculos ad illam lucis plenitudinem praeparant, quam mox ortum sidus effundit. Sic et Servator humani generis, antequam inter homines appareret, quosdam veluti radios emisit in antiqua lege, quibus homines ad ejus adventum praepararentur.

II. Constat Psalmorum et Prophetarum libros plenos esse vaticiniis futuri Messiae, in quem nullo non tempore ardentissima Judaeorum vota tendebant. Multa ejusmodi veteris legis oracula collecta et exposita fuerunt in Demonstratione Christiana.

Ibi de Revelatione egimus a Christo Domino facta, et probavimus jam in veteri testamento novum foedus, novamque legem a Prophetis fuisse annuntiatam; eorumque vaticinia in Jesu Christo legis novae institutore fuisse impleta. Nunc de Redemtore agimus, qui cum unus idemque sit cum Revelationis Christianae auctore, clarum est omnia fere Prophetarum oracula, quae in illa tractatione occurrunt, ad praesentem quoque quaestionem pertinere. Pauca tantum citabimus huic materiae magis accommodata.

PROPOSITIO.

Spes futuri Redemtoris apud Judaeos semper fuit conservata, multisque post Mosen vaticiniis confirmata.

Argument. I. ex novo testamento.

Christus ad Prophetias veteris Testamenti provocat, ut probet se esse Messiam a Prophetis praedictum, et a patribus exspectatum; id quoque Apostoli et Discipuli Domini qua data occasione professi sunt, multis Prophetarum oraculis praenuntiatum esse Christum.

Probatur I. pars. Joan. V, 39. ait Christus: *Scrutamini Scripturas, illae testimonium perhibent de me.* Lucae XXIV, 25. Discipulos in Emmaus ambulantes gravissimis verbis castigat, quod ad editas de se praedictiones parum adhiberent fidei. *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae.* Et vers. 27. *Incipiens a Mose et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* In eandem sententiam ad omnes simul Apostolos loquitur ibid. v. 44. *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosi, et Prophetis et Psalmis de me.*

Prob. II. pars. Ab initio statim historiae Evangelicae Zacharias pater Joannis Baptistae, cum jam proximam aspiceret redemtionem Israël, plenus Spiritu sancto exclamat (Luc. I. v. 7.): *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.* Joan. I, 45. Philippus ad Nathanaëlem ait: *Quem scripsit Moses in lege, et Prophetae,*

invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. Actor. II. et III. Petrus ex Prophetis, Psalmis, et Mose probat Jesum Nazaren. esse Messiam promissum. Cap. III. expresse addit v. 24. *Omnes Prophetae a Samuele et deinceps annuntiaverunt dies istos.* Et cap. X, 43. *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* Ep. I. cap. I. idem Apostolorum princeps testatur Prophetas multa praedixisse de Christo, et viam muniisse Evangelio. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt etc.* Sic et Apostolus scribens ad Ephesios inquit, superaedificatos eos esse super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum (cap. II, 19.). Cum autem Romae primos Judaeorum convocasset; *suadebat eis de Jesu ex lege Mosi et Prophetis a mane usque ad vesperam.* (Actor. XXVIII, 23.) Imo vero causam suam agens apud Agrippam, Actor. XXVI. caeteris argumentis praetermissis, hoc unum affert tanquam omnium certissimum, quod nihil dixerit . . . *quam ea, quae Prophetae locuti sunt futura esse,* et paulo post sic Agrippam interpellat: *Credis Agrippa Prophetis?*

Argument. II. ex inductione.

I. *Ex Psalmis.* Nota sunt, et jam alio loco a nobis exposita, quae in Psalm. II. CIX. de futuro Messia dicuntur: utrumque enim praedictiones venturi liberatoris continere vetustiores Judaei palam confessi sunt. Ex aliis haec pauca depromimus. Psalmum XXXIX. totum ex Christi persona a Davide pronuntiatum censuerunt Christiani scriptores imprimis eruditi. At certe Christo conveniunt ista Ps. XXXIX, 7. etc. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio.* Haec quippe ad Christum retulit Paulus in Epistola ad Hebraeos cap. X. — Psalmo LXXI. futurum Messiae regnum magnifice describitur. Quamvis enim Salomonis nomen prae se ferat Psalmus iste, plura tamen continet, quae in Salomonem minime torqueri possunt. Quis enim de Salomone dictum putet: *Permanebit cum sole et ante lunam in generatione et ge-*

nerationem; descendet sicut pluvia in vellus. Dominabitur a mari usque ad mare. Benedicentur in ipso omnes tribus terrae etc. Haec aliaque Christo adscribenda esse consimiles Scriptorum sacrorum praedictiones indicant. Porro hunc Psalmum ad Christum pertinere constans est Judaeorum consensus. De Psalmo LXXXVIII. eadem ferenda est sententia: plura enim habet, quae non Davidem ipsum, sed Christum designant, idque Rabbini ultro confessi sunt.

II. *Ex Prophetis.* Apud *Osee,* qui ducentis tantum post aedificationem templi annis vixit (3194) cap. I. ait Dominus: *Domui Juda miserebor et salvabo eos in Domino Deo suo.* Nota Deum hic loquentem induci et non dicere: *Salvabo eos Ego ipse.*

Isaias, qui anno 3219 munus Prophetae auspicatus est et integro fere saeculo prophetavit, multa edidit et egregia de Christo vaticinia. Ejusmodi sunt, quae cap. II. de Christi regno praedicuntur; insignis capitis VII. prophetia de *Emmanuële.* Item haec capitis XXXV. *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperiuntur oculi caecorum etc.* Capite item XLV., postquam de liberatione a captivitate Babylonica locutus esset, subito ad liberationem generis humani tantis exoptatam votis transiens exclamat: *Rorate coeli desuper et nubes pluant justum: aperiatur terra et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul.*

Michaeas, qui Isaiae aetate suppar fuit, inter alias de venturo Messia prophetias, illam habet celeberrimam de ortu Christi ex Bethlehem, quam testante S. Matthaeo ipsi Judaei ad Christum retulerunt. Haec ejus verba sunt cap. II. v. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egreditur, qui sit dominator in Israël; et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.*

Jeremias (3375) in multis locis Messiam praenuntiat. Quae cap. XIII. XXIII. XXXIII. dicuntur, non possunt de alio, quam de Messia explicari, quemadmodum et illud capitis XXXI, 22. *Creavit Deus novum super terram, foemina circumdabit virum.*

Habacuc, qui eodem fere tempore, quo Jeremias vaticinatus est, praedicens populi e captivitate liberationem

mente assurgit ad Messiam Redemtorem, eumque Jesum vocat. Cap. II, 3. *Adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, expecta eum...* et cap. III, 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Et v. 19. *Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo.* In his, quidquid dicant viri, cavillandi magis, quam interpretandi arte eruditi, Christus homini cuilibet non luscitioso expressus videbitur. Certe Paraphrasis chaldaica posteriore hoc loco, itidem ut priore, Christum reddidit.

Durante adhuc captivitate Babylonica prophetarunt *Ezechiel* et *Daniel* (3398). Celebris est Prophetia Danielis, quae cap. IX. continetur et tempus determinat adventus Messiae, ut alio loco probatum est. Apud Ezechielem cap. XXXIV. et XXXVII. Jehova promittit se suscitaturum pastorem unum super populum suum Israël, eumque vocat servum suum David; quod, cum de Davide intelligi non possit, recte de Messia filio Davidis intelligitur.

Post solutam captivitatem prophetias ediderunt *Aggaeus, Malachias* et *Zacharias* (3485—3490). Nota sunt Aggaei et Malachiae vaticinia, quae desideratum cunctis gentibus et Angelum testamenti annuntiant, eumque venturum, stante secundo templo, praedicunt. Zacharias, quasi praesentem jam cerneret Salvatorem, gaudens exclamat cap. IX, 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator.* Vid. quae in Dem. Chr. dicta sunt parte I. sect. I. cap. II. art. III. et sect. II. art. III. — Item lib. II. Theol. Specialis de divinitate verbi. Imprimis hanc materiem copiose et cum magna eruditione evolvit Illust. *Huetius* in Demonst. Evangel. prop. VII. a cap. XIV. ad XXXII.

§. IV.

An gentes spem aliquam futuri Redemtoris habuerint.

OBSERVANDA.

Multi his ultimis saeculis fuerunt viri eruditione et ingenio clarissimi, qui in elucidandis antiquarum gentium Religionibus

egregiam operam navarunt. Qui horum vestigia premeret, et, quae ab ipsis magno studio collecta, et explicata fuerunt, in usus suos converteret, is laborem susciperet nec inutilem, nec injucundum. Verum, cum statutum nobis sit dogmata Catholica brevi tantum compendio proponere, non possumus diutius in hac materia versari. Id potius muneris nostri est, junioribus Theologis viam monstrare, qua sibi aliquando uberiorem rerum segetem colligere possint; et ipsis quaedam quasi delibanda, et praegustanda offerre. Imprimis notandum credimus, praeferendam esse vetustissimarum gentium Theologiam, quae, quo est antiquior, eo majorem habet cum primaeva Revelatione consensionem; quo non parum confirmatur illa doctissimorum Theologorum sententia: Religionem, quam ab exordio homines ab ipso Deo acceperunt, fontem esse et originem omnium aliarum, quae solummodo sunt totidem quasi haereses a primaria illa fide in pravum deflexae. Unde et purior permansit apud illas gentes, quorum status civilis pauciores mutationes passus est, aut quorum sacrae traditiones non ita obscuratae sunt fabulis et Poëtarum figmentis. Facile tamen concedimus, multa etiam ex Judaeorum consortio, eorumque Scripturis didicisse gentes, et maxime Graecos, a quibus deinde Latini sapientiam hauserunt.

PROPOSITIO.

Apud alias etiam gentes permansit spes futuri Liberatoris.

ARGUMENTUM I.

Ex auctoritate Scripturae et SS. Patrum.

I. *Genesis* XLIX, 10. Patriarcha Jacob Messiae adventum praenuntians addit: *Ipse erit expectatio gentium.* Aggae quoque Propheta, qui post captivitatem Babyloniscam vixit, cap. II. Messiam vocat: *Desideratum cunctis gentibus.*

II. Patres quamplurimi existimarunt, Sibyllae carmina de Christo esse authentica, atque justos ex omnibus gentibus fuisse; quod passim asserunt *Justinus, Clemens Alexand., Origenes* et alii. Unum laudabimus S. *Augustin.*, qui lib. XVIII. de civitate Dei cap. XLVII. ait: *Homines quosdam*

non terrena, sed coelesti societate, ad veros Israëlitas, supernae cives patriae pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt (Judaei): *qui si negant, facillime convincuntur de sancto et mirabili viro Job. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem, quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis praenuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitatem perducat.*

ARGUMENTUM II.

Ex inductione historica.

I. Apud Idumaeos et Arabes vixit Jobus, omnibus fere consentientibus ante Mosis aetatem. Hunc *Augustin. a)* merito Prophetam appellat. Praeclarum est hoc ejus de Messia oraculum cap. XIX, 25. *Scio quod Redemtor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum. Reposita est haec spes mea in sinu meo.* Ita Vulgata interpretatio; at Hebraica aliter. *Scio quod Redemtor meus vivit, atque elevabitur quondam super pulverem . . .* quod mirifice convenit Christo Redemtori, qui resurgere debuit, atque super pulverem sese elevare. Haec vulgatissima est sanctorum Patrum et Christianorum interpretum in hunc locum sententia. Vide *Calmeti* comment.

II. In libro Numerorum cap. XXIV. legitur, *Balaamum* ex Mesopotamia Syriae oriundum, qui in medio Madianitarum, Moabitarum et Ammonitarum habitabat, hoc de Christo edidisse vaticinium: *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope: orietur stella ex Jacob, percutiet duces Moab.* Quae verba celeberrimi Judaeorum

---

a) Epist. ad Hieronym.

et Christianorum interpretes de Christo intelligunt. Vid. *Huetium* prop. VII. cap. IX.

III. Schisma Samaritanorum annis 779 ante aeram Christianam incepit et majora deinde incrementa sumpsit, quando annis ante Christum 668 Salmanasar rex Assyriorum colonias deduxit in Samariam, a quo tempore *Samaritanorum* nomine vocati sunt incolae. Quae autem gentis hujus fides fuerit et spes in Messiam ex Joan. cap. IV. discimus, ubi mulier Samaritana ad Christum ait: *Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus)* . . . et postea Samaritani ad mulierem v. 42. *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.*

IV. Ejusdem traditionis vestigia occurrunt apud Persas, Indos et Sinenses. *Persae*, praeter *Oromanzen*, qui eorum summus Deus est et ingenitus, alium adorant *Mithram* nomine, quem medium esse dicebant inter *Oromanzen* seu principium boni et *Arimanum*, qui auctor credebatur malorum. Inde est quod Persae Mithram suum Messiten appellarint, id est mediatorem, seu intermedium. Multa quoque habent de Mithrae cum Arimano certaminibus et illius in hunc victoria. Vetustissima est *Indorum* Religio; praecipua ejus dogmata in libro continentur, cui nomen fecerunt *Chaster*. Habent etiam antiquos Brachmanorum codices, in quibus multa continentur de hominis creatione, generis humani exitio et reparatione. Apud *Sinenses* floruit Confucius, celeberrimus gentis hujus Philosophus, quem Sinensem Socratem vocat *Huetius*. Praeclara sunt haec *Confucii* verba principem ad virtutem adhortantis: *Legibus coeli ac terrae facta ejus consentiunt, neque vereri debet, ut cum Sanctus ille expectatus advenerit, idem tunc virtuti ejus, ac dum regnaret, honos habeatur.*

V. Quod ad *Graecos* attinet et *Latinos*, notum est ab eorum Poëtis non tantum saeculum aureum describi magnifice, sed et ejus restitutionem, quo tempore Astraea in terras reversura est et secum allatura innocentiam, pacem et omnia, quae ad felicitatem conferunt. Ex hac antiqua traditione, quam Patres passim credunt in Sibyllinus libris

fuisse conservatam, Virgilius materiam desumsisse videtur Eclogae IV.

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas:
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto... etc.

Huc quoque referendum est illud Socratis dictum, quod in Demonstratione Christiana attulimus.

Cfr. Clariss. *Hoocke* tom. II. de antiquitate Relig. Christ. — Illustriss. *Huetius* prop. IV. et VII. — Stolberg. I. B. Beilagen.

Nota. Quae hucusque diximus, non parum confirmantur 1.° ex usu sacrificiorum, qui tam communis erat apud omnes gentes, ut in nulla re magis peccarint pagani, quam nimia in hac parte superstitione. At sacrificia haec cruenta nunquam natura suggessisset hominibus: neque ratio eorum alia dari potest, quam positiva institutio, ut figura essent mortis Christi, et spem alerent futurae liberationis. Inde profecto contigit, ut ubique gentium usque ad Christi mortem obtinerent; cessarent autem, et prorsus interirent, ubicunque recepta fuit Christi doctrina.

2.° Ex consensione inter antiquissimorum populorum Religiones, et Religionem patriarchalem; et cum Patriarcharum Religio, uti monstravimus, spem in aliquem Salvatorem, aut reparatorem humani generis partim contineat, partim supponat: consequens est eandem spem ad alias quoque gentes transiisse. Quod autem primaevae Religionis vestigia in antiquissimorum populorum Theologia reperiantur, a viris doctissimis luculenter probatum est. Cf. modo nominatos auctores, aliosque quos priore libro, cum locus erat, citavimus.

OPPONUNT.

Ex propositione sequeretur, non apud Israëlitas tantum, sed apud alias etiam gentes servatum fuisse depositum prophetiae, et primae revelationis: falsum consequens. Ergo etc.

Resp. Populus quidem, qui proprie populus Dei diceretur, praeter Judaeos nullus fuit. Huic credita sunt eloquia Dei Rom. III. — Neque illud contendimus, singulos paganos animis fidem

spemque explicitam concepisse futuri Salvatoris, quod de singulis Judaeis asserere temerarium esset. Verum exinde inferri non potest, veri Dei cognitionem apud alias gentes penitus fuisse oblitteratam. Verum Deum adorarunt *Abimelech*, rex Gerarae, Genes. XX. et XXVI.; *Melchisedech*, rex Salem, Genes. XIV.; *Job* et *Balaam; Jethro* socrus Mosis apud Madianitas erat Sacerdos Dei altissimi Exod. XVIII. — Haec nobis procul dubio in sacris litteris referuntur, ut ex paucis exemplis sciremus, etiam per alias gentes fuisse, qui Deum timerent, et operarentur justitiam. (Vid. Actor. X, 34. 45.) Hi autem ad salutem pervenire utique poterant, si non per fidem explicitam in Redemtorem; saltem per implicitam, ex obscura traditione haustam, et operante intus gratia ad eum gradum perductam, qui sufficeret ad salutem consequendam. Vid. S. *Thomam* II. Secundae quaest. II. art. VII.

Instant. Si apud antiquas gentes servata fuisset spes liberatoris, vocatio gentium non esset adscribenda Christo: falsum conseq. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Quamvis enim aliqua futuri liberatoris traditio conservata fuerit apud gentiles; haec tamen valde obscura erat, et ridiculis saepe fictionibus adulterata; atque ad doctiores tantum ex omni gente derivata. Id autem neque docti scire poterant, neque commune vulgus, Jesum Nazarenum, in Judaea oriundum, et a popularibus suis cruci affixum, Messiam illum esse, qui humano generi promissus fuerat. In his ergo per Evangelii praedicationem erant instruendi.

CAPUT SECUNDUM.

JESUS NAZARENUS EST REDEMPTOR ILLE, QUI GENERI HUMANO FUIT PROMISSUS.

Quoniam in Demonstratione Christiana quamplurima ad hoc argumentum pertinentia uberius explanata fuerunt: licebit nunc in arctiores limites contrahere quaestionem hanc, et breviter ac strictim, quae dicenda sunt, attingere. Quando de Revelatione divina actum est, probavimus Jesum Nazarenum, a quo Religio Christiana originem habet, eundem

esse, quem Moses et Prophetae annuntiarunt novi foederis sponsorem, Legislatorem et Prophetam, ac novae Ecclesiae ex omnibus gentibus colligendae fundatorem. Haec cum a nobis ostensa jam sint et demonstrata, difficile non erit probare hunc Jesum Nazarenum, Messiam quoque esse seu Redemptorem toties annuntiatum, tamque ardentibus votis expetitum. Non enim alius esse debuit novae legis institutor, alius humani generis redemptor: utrumque Messiae attribuunt Prophetae, utrumque in Jesu Nazareno impletum esse, omnes novi Test. paginae docent. *Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est* ... ait Joan. epist. I. cap. V. — Idem Apost. ita concludit Evangelium suum: *Haec scripta sunt, ut credatis, quoniam Jesus est Christus, filius Dei.*

Sequuntur primo argumenta quaedam generalia; tum alia quaedam, quae magis ad convincendos Judaeos valere possunt.

§. I.

Argumenta generalia.

ARGUMENTUM I.

Regnante Augusto Messiam expectarunt Judaei et Gentiles: sed nemo alius tunc apparuit, cui ille titulus possit convenire praeter Jesum Nazarenum. Ergo etc.

Probat, majoris pars I. Lucae II. Simeon dicitur *homo justus et timoratus, expectans consolationem Israël.* Hic *responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Ibidem de Anna Prophetissa dicitur: *Et loquebatur de illo* (Christo) *omnibus, qui exspectabant redemptionem Israëel.* Quando Joannes Baptista primum inter Judaeos apparuit, omnes incessit dubitatio, an non ipse esset Christus. Joan. I. Luc. III, 15. At Joannes ipse, cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Matth. IX.

Certum praeterea est, quo tempore natus est Jesus, receptissimam fuisse inter Judaeos opinionem, nasci tunc

debere Messiam; fatentur enim ipsi Judaeorum Doctores, Majores suos, qui temporibus Christo paulo superioribus vixerunt, confessos esse Messiae adventum imminere; alios autem paulo recentiores, Messiae tempus jam venisse. Vid. *Huetium* prop. IX. cap. VII. n. 1. — Hac spe innixi bellum contra Romanos susceperunt Judaei, teste Josepho de bello Judaico lib. III. et VII. Neque alia ratio dari potest, cur hoc praecise tempore multi Christi nomen ac dignitatem usurpare ausi sint, cum ante id tempus quemquam hoc attentasse nulla prodat historia. Vid. *Huet.* prop. VII. n. 33.

Prob. major. pars. II. Eandem quoque exspectationem viguisse apud Gentiles, testantur duo celeberrimi rerum Romanarum scriptores, *Suetonius* et *Tacitus*. Primus in Vespasiano cap. IV. ait: « Percrebuerat Oriente toto « vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore « Judaea profecti rerum potirentur. » Eadem fere Tacitus refert Histor. lib. V. « Pluribus persuasio inerat, inquit, « antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, « ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potiren- « tur. » Quamvis auctor uterque puganus perperam asseruerit, haec in Vespasiano completa fuisse; idemque jam antea Judaeorum Scriptor Josephus turpi assentatione in Vespasianum traxerit; manet tamen, quod volumus, argumentum.

ARGUMENTUM II.

Jesus saepius et expressis verbis asseruit, se esse Christum, seu Messiam. Ergo ipse est Redemptor a Deo promissus.

I. Consequentia evidens est ex Demonst. Christiana; nam cum in Jesu Nazareno impleta fuerint V. T. vaticinia; cum ipse tum per Prophetias eventu impletas, tum signis et prodigiis pene innumeris probaverit, se a Deo venisse, et quae a Patre accepit annuntiasse nobis, consequens est, vera esse, quae docuit.

II. Prob. ant. Ex plurimis Scripturae locis sufficiant haec pauca. Joan. VIII, 56. Jesus ad Judaeos ait: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit et ga-*

visus est. Matth. XXVI. cum a summo Sacerdote interrogaretur, an ipse esset Christus Filius Dei? respondit: *Ego sum.* Marc. XIV. — Lucae XXIV. cum Discipulis in Emmaus euntibus socium se adjunxisset, et illi respondissent v. 21. *Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israël . . .* ait ad eos: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Mose et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* v. 25. 26. 27.

ARGUMENTUM III.

Apostoli et Discipuli Christi ubique terrarum annuntiarunt, Jesum Nazarenum esse Messiam, seu Redemptorem patribus promissum. Ergo Jesus est reversa ille Redemptor.

Prob. I. conseq. Apostoli et Discipuli Domini multis et splendidis miraculis probarunt, se esse a Deo legatos, et divinam esse, quam annuntiabant, doctrinam; ut in Demonstrat. Christ. probatum est. Ergo fides ipsis denegari non potest.

Prob. nunc ant. Actor. VI, 8. de S. *Stephano* dicitur: *Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat signa et prodigia magna in populo.* At idem imperterritus fidei assertor cap. VII, 52. ita Judaeos alloquitur: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis.* Hoc idem Petrus ipso Pentecostes die palam annuntiavit universae multitudini. Actor. II, 36. *Certissime sciat ergo omnis Domus Israël, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Actor. IX. narrata Pauli admiranda conversione, pergit sacer auctor, v. 22. *Saulus multo magis convalescebat et confutebat Judaeos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.*

ARGUMENTUM IV.

Veri sunt omnes N. T. libri, *ex Demonstrat. Christiana:* imo stricte divini sunt, et a Deo inspirati, *ex De-*

monstr. Cathol. — Atqui omnes N. T. libri, omnes librorum paginae id, quod asserimus, continent, et probant, nempe gesum Nazarenum verum esse Messiam, et Redemptorem Jeneri humano datum. Ergo etc.

Minor ex innumeris Scripturae locis prabari posset. Evangelistae toti in eo sunt, ut ostendant Prophetias in Jesu Nazareno esse impletas. Cum Jesus natus esset in Bethlehem, Angelus pastoribus illud annuntiavit his verbis Lucae II, 11. *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Porro nomina *Jesus,* et *Christus* in libris N. T. constanter conjunguntur.

ARGUMENTUM V.

Vera est et divina Religio Christiana. *Ex Demonstr. Christ.* — Ergo verum est, et fide divina certum, Jesum esse Filium Dei, seu Christum, aut Messiam, in veteri lege praenuntiatum. — Consequentia per se patet, cum huic veritati tota Christiana Religio tanquam fundamento innitatur.

Corollarium. Ergo omnia, quae adhibentur ad comprobandam Religionis Christianae divinitatem, ad hoc quoque argumentum valent. — Ergo probatur Thesis nostra ex miraculo propagationis Religionis Christianae; ex hoc enim miraculum illud quam maxime elucet, quod Jesus ex Nazareth oriundus, Judaeus, obscuris parentibus natus, et sub Pontio Pilato cruci affixus, totum sibi orbem subjecerit, non ferro, sed ligno, omnesque nationes eum adoraverint ut Christum Dei, et Salvatorem mundi.

Ergo probatur ex Martyrum insigni constantia, qui ideo Martyres dicti sunt, quia testimonium reddiderunt Jesu Christo, et fidem, quae in eum est, sanguine suo obsignarunt.

§. II.

Argumenta quaedam specialia contra Judaeos.

ARGUMENTUM I.

Prophetiae V. T. praecipuos venturi Redemptoris characteres exprimunt; v. g. quod deberet Deus esse et homo,

nasci ex Virgine etc. etc. Atqui omnes illi characteres Jesu Nazareno conveniunt. Ergo etc.

Major et minor propositionis probatae sunt in *Demonstr. Christiana.*

ARGUMENTUM II.

Omnia vaticinia, quae tempus adventus Messiae praenuntiant, in Jesu Nazareno impleta sunt.

Prob. Praecipua, quae tempus adventus Messiae concernunt, vaticinia ex *Demonstratione Christ.* nota sunt. Scilicet 1.° *Jacobi a);* 2.° *Danielis b); Aggaei* et *Malachiae c).* Ex his vaticiniis manifestum est, Messiam venire debuisse stante adhuc templo secundo et antequam tribus Juda terrena potestate excideret. Nullus autem praeter Jesum eo tempore apparuit, qui agnitus fuerit ut Messias et Messiae characteres omnes expresserit tum ortu, vita et morte sua, tum gloriosis, qui mortem consecuti sunt, triumphis et gloria nominis interminata. Haec luculenter exposita fuerunt in *Demonst. Christ.*

ARGUMENTUM III.

Urbis Hierosolymae et templi desolatio, quae Christi mortem secuta est, et Judaeorum per totum orbem dispersio, probant Jesum esse Redemptorem a Deo promissum.

Prob. Hujus vindictae divinae ratio alia dari non potest, quam rejectio Messiae: atqui Judaei alium non rejecerunt, praeter Jesum Nazarenum. Ergo etc.

Minor fide publica constat; neque Judaei repugnant, ut, si rejectum ab ipsis fuisse Messiam probaverimus, id in Jesu Christo factum fuisse dicamus.

Prob. itaque major. 1.° *Ex Prophetarum oraculis.* Omissis illis, quae a Prophetis praedicta sunt de conversione gentium et Judaeorum incredulitate, unum laudabimus Danielis vaticinium, qui cap. IX., postquam tempus designavit adventus Messiae, eumque occidendum fore praedixit,

---

a) Gen. cap. XLIX. *b)* Dan. IX. *c)* Agg. II. Mal. III.

ita pergit v. 26. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est: et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Eandem urbis et templi ruinam jamjam imminentem praenuntiavit Christus, causamque addidit: *Eo, quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* Luc. XIX, 44. — Vid. Demonstr. Chr. *De Prophetiis a Christo editis, proposit.* I. et II.

2.° *Ex praesenti Judaeorum conditione cum eorum statu ante Christum comparata.* Nunquam tanta fuit Dei in puniendis Judaeis severitas etiam post longa et gravissima crimina. In captivitate Babylonica positi suos habuerunt Judices, qui secundum legem Mosaicam jus dicebant; suos habuerunt Prophetas, qui animos erigebant spe futurae liberationis et tempus determinabant, quo redire liceret in patriam tellurem, et, ut uno verbo omnia complectamur, nunquam rescissum penitus fuerat foedus Mosaicum, nunquam desierant esse populus Dei. Sed haec, quam per octodecim fere saecula patiuntur, calamitas tanta est, ut nihil ejusmodi in historia Judaeorum reperiatur, et apertum sit, eam, prout jam alio loco diximus, non poenam tantum esse et correctionem, sed rejectionem. Omnes enim quamvis gravissimas poenas, quas unquam divina vindicta in populum rebellem effuderat, longe superat acerbitate, universalitate et diuturnitate. Quanta fuerit in ultima Hierosolymae expugnatione tribulatio, ex Josepho Judaeo discimus, qui libros VII. de bello Judaico scripsit. Tam manifeste in illo excidio Dei vindicta apparuit, ut *Titus* ipse palam confessus fuerit, Judaeos Deum sibi iratum habere. Et iterum: «Deo, inquit, favente bellum gessimus» et: « Deus ab istis munitionibus Judaeos detraxit.» Quod poenae universalitatem et diuturnitatem attinet, superfluum ducimus longius exponere, quae omnium oculis patent. Respondent autem hi characteres totidem characteribus criminis in rejectione Messiae patrati, quod simul fuit atrocissimum et toti genti commune, atque ad praesentem usque diem perdurans, cum consentientes sint filii parentibus et si non consentirent, Judaei esse desinerent.

PARS SECUNDA.

DE REDEMPTORIS PROPRIETATIBUS, SEU DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

Prima, quam nunc absolvimus, pars libri hujus ad eos potissimum pertinet, qui ipsum Christi nomen impugnant et Religionis, quae ab ipso nomen habet, divinam originem inficiantur. Hinc breviter hanc materiam complexi sumus, quia contra nominis Christiani hostes in Demonstratione Christiana dimicavimus. Nunc cum Haereticis agendum, qui, quamvis Christianos se esse glorientur, de Christo tamen perverse sentiunt. Quamdiu de Redemptore, seu Messia in genere instituitur quaestio, nobiscum sunt, hancque insignem praerogativam Jesu Nazareno vindicant: verum, quando ulterius quaeritur: quaenam sit Redemptoris illius natura, quae origo? quando Incarnationis dominicae mirum arcanum ex Revelationis fontibus eruendum est, subito magna exsurgit adversantium Haereticorum turba, qui Christum ita dilacerant, ut nullam ejus partem intactam et integram relinquant. Alii in Divinitatem Christi, alii in suscepti hominis naturam offenderunt; alii iterum circa Dei, hominisque conjunctionem errarunt, cum Christum in duas personas dividere, aut in unam naturam arctare voluerunt. Sed antequam ad evertendos impios errores accedamus, quaedam observanda censemus, ut plenius innotescat quaestio, quam tractandam suscipimus.

OBSERVANDA.

I. Incarnationis Mysterium variis nominibus designari, et describi solet a Patribus. A graecis vocatur: *οἰκονομία, dispensatio; ἐπιφάνεια, apparitio; Θεοφάνεια, Dei manifestatio;* quia nempe per Incarnationem Deus *manifestus est in carne,* I Timoth. II, 16. — A latinis Patribus, iis imprimis qui ante exortas Nestorii et Eutychetis haereses scripserunt, dicitur *unio, unitio, adunatio,* naturae scilicet divinae cum humana in una Verbi persona: item *mixtura, commixtio,* non ea quidem, qua permiscentur naturae, ut putabat Eutyches, sed qua intime uniuntur unione hypostatica. Ab Ambrosio *inhumanatio* vocatur: *corporatio*, seu

incorporatio a Tertulliano. Nunc communi Theologorum usu recepta est vox *Incarnatio*, graece ἐνσάρκωσις. Synodus Nicaena jam profitetur in Symbolo, Filium Dei fuisse *incarnatum*, quod idem sonat, ac haec verba *Joan.* I. 14. *Verbum caro factum est.* Scilicet carnis nomine totus homo intelligitur more Scripturae. Sic Genes. VI. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam.* Lucae III. *Videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Matth. XXIV. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* etc.

II. *Incarnatio* definitur: Unio hypostatica naturae divinae et humanae in una Verbi persona, ex qua unus est Christus. Fidem magni hujus et stupendi Mysterii ita luculenter et nitide exponunt Patres Concilii Chalcedonensis in definitione fidei. *Sequentes,* ajunt, *sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium, et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus; eundem perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate; Deum verum et hominem verum; eundem ex anima rationali et corpore; consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato a): ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem; in novissimis autem diebus eundem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum, eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente; non in duas naturas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium Unigenitum, Deum, Verbum, Dominum Jesum Christum.* Eadem fides dilucide exponitur in Symbolo, quod Athanasii nomine inscribitur.

III. Omnes quae adversus Incarnationis mysterium effusae sunt haereses, ex eo ortae sunt, quod homines superbi et male curiosi humanis ratiocinationibus, ac Graecae Philosophiae ope et praesidio summa et incomprehensa concipere voluerint, neglecta fidei simplicitate. *Certum est,* ait S. *Fulgentius* ad Trasimundum regem *b), pene omnes haereticae pravitatis errores hinc quibusdam*

---

a) *Hebr.* IV, 15. *b*) Lib. I. ad Tras.

multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria a), nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credunt; et ille lapis, qui ab aedificantibus reprobatus in caput factus est anguli, quibusdam pravae credulitatis caecitate possessis lapis offensionis, et petra scandali efficitur. Igitur, quae supra de SS. Trinitatis mysterio diximus *b)*, ad hoc quoque pertinent admirabile Sacramentum; scilicet illud lumine naturali nec verum, nec falsum probari posse, esse autem evidenter credibile, cum fidem exigant argumenta tam certa et splendida, ut ratio ipsa obsequium jubeat. Adoranda est tanti mysterii profunditas, non scrutanda. Quae enim humana ratio explicare poterit, quomodo *salva proprietate utriusque naturae, et in unam coëunte personam, suscepta fuerit a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas?* ut ait. S. *Leo* in celebri ad Flavianum epistola. Et *Augustin.* ad Volusianum *c)*: *Si ratio hic quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Apostolus hoc mysterium vocat *absconditum a saeculis.* Ad Colos. I. — et ad Ephes. III, 9.

IV. Ne in hujus partis tractatione aliquid nos moretur, praeter id, quod proprie ad defensionem dogmatum pertinet; praemittemus quaedam, ut poterimus brevissime circa illas quaestiones, quae olim in scholis agitari solebant: An scilicet possibilis sit Incarnatio? An Deo et humano generi conveniens? An necessaria? et, quod huic connexum est quaestioni, an hominis lapsi reparatio ita finis Incarnationis fuerit, ut, si non peccasset homo, Verbum tamen hominem induisset? Prima quaestio ex iis, quae mox dicta sunt, facile dissolvitur; nam si incomprehensum est assumpti hominis Sacramentum, si nec verum, nec falsum probari potest rationibus intrinsecis; manifestum est, illud etiam nec possibile probari posse nec impossibile *a priori*, ut loquuntur. At

---

a) I *Timoth.* III, 16. *b)* Lib. II. parte I. cap. I. §. 1. *c)* Epist. 134. alias 312.

possibile probatur *a posteriori*; probatur enim actu completum. Porro, quae ab hominibus incredulis contra hujus mysterii possibilitatem opponuntur, commode dissolvi poterunt, quando de naturarum in una persona conjunctione agetur.

V. Quod ad convenientiam attinet hujus mysterii, sufficeret forsan illud unum, quod ad probandam possibilitatem attulimus, argumentum. Factum esse revera Incarnationem omnibus illis rationibus demonstrabimus, quibus solent revelata dogmata probari: constat ergo nihil in ea reperiri posse, quod minus decorum esset, et divinam majestatem dedeceret. Nam quod indecens est et minus consentaneum, eo ipso Deo est impossibile. *In Deo*, ut S. *Anselmus* docet, *vel minimum inconveniens sequitur impossibilitas.* Quoniam vero tum veteres tum recentiores rerum Christianarum tractatores libenter in hac materia versati sunt, et rationes convenientiae evolvendo quamplurima protulerunt ad fovendos pietatis et religionis sensus apprime accommodata, nemo nobis succenseat, si et nos paucula quasi libando attingimus. *Infinitus enim est thesaurus hominibus, quo qui bene usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Sapient. VII, 14.

Et primum quidem quam utilis Incarnatio fuerit, et apta humano generi, quanta in nos ex hoc mysterio commoda redundarint, non est pluribus explicandum. Manifesta res est. Quae enim major et perfectior Dei communicatio cogitari potest, quam ea, qua Deus fit homo, et homo Deus? Cum Deus hominem induit, ad tantum fastigium evecta est humana natura, ut quo attollatur altius non habeat; et merito S. Leo haec perpendens exclamat *a)*: *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Accedit et illud, quod divina sapientia ad nos descendere, et nostris infirmitatibus se contemperare voluerit, ut doceret nos, et in hac mortali natura exempla nobis daret illarum virtutum, puta, humilitatis, obedientiae, patientiae, mortificationis etc., quas divina natura propter infinitam perfectionem non admittit, nostra autem conditio quam maxime exigit.

Quis nunc indignum Deo causabitur illud, quo tanta salus facta est universo humano generi? An non hoc ipso conveniens

a) Serm. I. de Nativ.

Deo, quia utile homini? *Haec indigna Deo videntur*, dicebat olim *Tertull.* ad Marcionem *a)*, *nobis autem necessaria; et ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis.* Sed a Deo ipso sumamus argumentum. Illud Deo maxime convenit, in quo divinae perfectiones singulari quadam ratione resplendent: sed nusquam magis fulgent divinae perfectiones, quam in ipsa verbi incarnatione. Praecipuas tantum seligamus, quia nimis longum esset ire per singula.

Omnipotentiam ex hoc mysterio quam maxime elucere, nemo negabit, qui oculos habet fide illustratos. Quae enim alia, nisi divina virtus ita potest humana divinis, ima summis conjungere, ut in utraque natura... *unus idemque sit Dei filius, nostra suscipiens, et propria non amittens b)?* Et quis hominem Deum crederet ex Virgine matre natum, nisi illico cogitet, *non esse impossibile apud Deum omne verbum?* Luc. I, 37.

Si *Bonitatis* quaerimus experimentum; nullibi evidentius se manifestat. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis*, ait Joan. *c)*, *quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Sed et Filii immensus in homines amor omnem eloquii facultatem excedit: ipse etenim animam suam posuit pro nobis, ut nos reconciliaret Deo in sanguine suo. Unde merito S. Leo *d)*: *Bonitas divina omnem abundantiam solitae benignitatis excessit; quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit.* Jam vero haec ineffabilis clementia cum Dei *Justitia* amico foedere conjungitur; ita enim hominem reparare Deus voluit, ut simul plenam, et ad rigorem juris accuratam satisfactionem exegerit, ultionem peccatorum repetendo a Christo... *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae.* Rom. III, 25.

Atque in hoc ipso quanta divinae *sapientiae* commendatio! Quis non miretur modum illum prorsus divinum conciliandae justitiae divinae cum ejus misericordia? Ut perfecte in hoc mysterio impletum sit, quod David praedixerat *e)*: *Misericordia et*

---

a) Lib. II. contra Marc. cap. XXVII. *b)* S. Leo Serm. VII. de Nativ. *c)* I Joan. IV, 9. *d)* Serm. IV. de Nativ. *e)* *Psalm.* LXXXIV, 11.

veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt. Quis non miretur illud profundissimae sapientiae consilium, ut Deus peccato ipso tanquam occasione uteretur ad destruendum peccatum; et cum hoste humani generis non in sua divinitate, sed in nostra congrederetur humanitate? *Ut inventor mortis diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur. S. Leo* Serm. I. de Nativ.

Cum hac materia aliae quaedam quaestiones connexae sunt, scilicet: An conveniens fuerit, ut Deus ipse veniret et salvaret nos? An convenienter dilata fuerit Incarnatio ad eam temporum plenitudinem, in qua Christus apparuit? An filium incarnari oportuerit potius, quam Patrem et Spiritum sanctum? Haec et alia ejusmodi ad illam Dei sapientiam pertinent, quam Apostolus ait *a)* in mysterio esse absconditam. Quis enim unquam consilio suo assequi poterit, quanto haec consilio facta sunt? Aut quis neget sapientissime facta fuisse, quae ab eo facta sunt, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi?* Col. II. Atque, ut unum hoc in exemplum afferamus, an non convenientissimum videtur, ut Verbum potius carnem assumeret, quam alia ex Trinitate persona? ut ita filius hominis in tempore fieret, qui filius Dei erat ab aeterno; ut reparator esset generis humani, qui ejusdem fuerat conditor, et natura humana per eum, per quem facta fuerat, reficeretur. Plura apud majores Theologos.

VI. Superest, ut de necessitate Incarnationis pauca dicamus. Credimus, eam necessariam non fuisse absolute, ut *Wicleffus* commentus est; nec ex hypothesi creationis mundi, ut *Malebranchius* voluit, aliique pauci; imo ne posito quidem hominis lapsu, siquidem *gratis justificati sumus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu.* Rom. III. — Ita passim Patres sentiunt et Theologi. Sed nova nunc exsurgit controversia: An posita hypothesi, quod Deus voluerit hominem lapsum reparare; id sine Incarnatione effici potuisset? Ex Patribus alii affirmant, negant alii, quamvis specie potius, quam re ipsa dissentire videantur; loquuntur enim in diversa iterum hypothesi. Deus potuisset utique peccatum absque plena et condigna satisfactione condonare, et tunc necessaria non fuisset Incarnatio: necessaria autem fuit in hypothesi perfectae seu condignae satisfactionis. Ita Patres sensisse

---

a) I *Corinth.* II, 7.

ex ipsis eorum testimoniis perspicuum est. Sic *Athanasius*, qui Orat. III. contra Arianos ait: *Sine ullo ejus adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem;* haec tamen habet Orat. de Incarnat.: *Cum Verbum omnibus longe antecellat, solus idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, et pro cunctis apud Patrem intercederet.* Et S. *Augustinus*, qui lib. de agone Christiano cap. II. dissertis verbis ait: *Sunt stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem; quibus dicimus: poterat omnino;* nihilominus cap. CVIII. Enchirid. sic loquitur: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, nisi esset Deus.*

VII. Si vellemus curiosas et vagas speculationes sectari, possemus hoc loco de quaestione illa disserere, quae diu utramque Scholam, Doctoris angelici et subtilis, valde exagitavit. Scilicet: An hominis lapsi reparatio ita finis fuerit Incarnationis, ut si non peccasset homo, Verbum hominem non induisset? Verum non video, quodnam possit ex subtilibus ejusmodi speculationibus commodum emergere. *Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* Rom. XI, 34. In illis, quae a divina pendent voluntate, non alia quaerenda est ratio, quam ea, quae ex Scripturis ipsis et Traditione Ecclesiae depromitur. Cum autem una sit vox Scripturarum et Traditionis, ideo Verbum in carne apparuisse, ut placato Deo nos a morte in vitam colligeret, nimiae certe temeritatis esset, aliam causam vel alium finem assignare. Christo ipsi fidem adhibemus, qui adventus sui causam multis in locis apertissime declaravit; ut Lucae XIX. *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.* Consonat Patrum tum Graecorum, tum Latinorum sententia. Unum audiamus *Augustinum*, qui Serm. VIII. de verbis Apostoli ita ait: *Venit Filius hominis quaerere, et salvare quod perierat. Si homo non periisset, filius hominis non venisset.*

Haec neque praetermittenda esse censuimus, ne penitus ignota essent junioribus Theologis; neque etiam diffusius tractanda, quia ad majora et graviora properandum est. Quae ad hanc II.^m^ partem pertinent, commode possunt in tria capita distingui. *Primum* aget de Christi tum divinitate, tum humanitate; *secundum* de utriusque, divinitatis scilicet et humanitatis conjunctione; *ter-*

tium varia ex his consectaria deducet, quae ad fidem Catholicam pertinent.

CAPUT PRIMUM.

DE CHRISTI REDEMPTORIS DIVINITATE ET HUMANITATE.

ARTICULUS I.

De divinitate Christi.

OBSERVANDA.

I. De haereticis, qui Christum Dominum nihil nisi hominem esse crediderunt, perpauca hic commemoranda sunt, quod in Libro de Trinitate de ejus divinitate uberius disputatum a nobis fuerit. *Theodoretus* in secundo contra haereses libro undecim hujus erroris artifices nnminat. Praecipui sunt: *Simon Magus, Cerinthus,* et *Ebion* Cerinthi discipulus, qui ritus Judaicos cum Christiana professione conjunxit. Unde S. *Hieronymus* lib. XIX. de scriptoribus ecclesiasticis de Joanne habet: *Novissimus scripsit Evangelium, adversus Cerinthum, aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Hos exceperunt *Carpocrates*, Gnosticorum princeps; *Theodotus* quidam coriarius, patria Byzantinus: *Beryllus* Bostrae in Arabia Episcopus, qui in Ebionitarum errorem incurrerat, teste Hieronymo, sed ab Origene correctus in viam rediit. Nota sunt *Pauli Samosateni*, et *Sabellii* impia dogmata. Uterque Christum Deum fuisse negavit, cum nasceretur; sad factum tamen postmodum eo sensu, quod efficientia et operatio divinitatis in ipso essent. Id ita *Sabellius* explicavit, teste *Epiphanio* haeresi LXII.: Emissum esse Filium aut Verbum in Christum tanquam radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quae ad Evangelii procurationem, et humani generis redemptionem attinent, et expleta functione rursum ad coelum assumptus est; ut radius emissus a sole iterum in solem recurrit. Hoc ergo omnes, quos recensuimus, haeretici commune habuerunt, quod in Christo nullam agnoscerent Incarnationem, sed

nudum eum hominem fuisse dicerent; et si Verbum a Christo distinxerunt, illud puram Dei efficaciam fuisse asserebant, aut mandatum, quo Deus per illum hominem Christum, quae vellet, imperaret et faceret.

II. Quando in libro de Trinitate de Verbi divinitate disputavimus, non ea tantum Scripturae et Traditionis testimonia protulimus, quae de Verbo, aut Filio Dei expresse agunt; sed alia quoque quam plurima, quae Jesu Christi divinam aeternamque originem probant. Et merito quidem: nam si Christus in Scripturis idem est ac Verbum, aut Dei Filius, ut clare a nobis monstratum est; consequens est, argumenta quae Christo divinitatem attribuunt, Verbi quoque divinitatem evincere. Nunc invertimus argumentum. Nunc ad propositum finem directe nos ducunt ea omnia testimonia, quae de Christo Jesu dicuntur; indirecte autem probant, quae Verbi, aut Filii divinitatem stabiliunt. Haec omnia cum jam exposita fuerint alio loco, nunc liceat breviter expedire.

PROPOSITIO.

Christus Jesus, quem promissum a Deo Redemptorem esse probavimus, verus Deus est et quidem secunda Trinitatis persona.

Probatur prima pars. 1.º Ex omnibus tum Scripturarum, tum divinae Traditionis argumentis, quae directe Jesu Christi divinitatem probant. Vid. de SS. Trinit. parte I. cap. II. art. I. — Probatur 2.º *indirecte* hoc modo: Quodsi Verbo aut Filio divinitas attribuitur, illam Christo Jesu eo ipso convenire manifestum est; cum Scripturae Jesum Christum a Verbo vel Filio Dei non distinguant. Atqui Verbi aut Filii divinitatem innumera V. et N. Test. loca evincunt. Ergo Christus Jesus verus Deus est. — Majorem et minorem argumenti enucleatius deductam reperies loco mox citato de SS. Trinit.

Prob. II. pars. 1.º Christus non est Pater, neque Spiritus sanctus, ut ex tota N. T. Scriptura apertum est. Ergo etc. 2.º Christus est idem ac Verbum et Filius, quod probatum est: atqui Verbum aut Filius est secunda Trinitatis persona. Ergo etc.

ARTICULUS II.

De humana Christi natura.

OBSERVANDA.

I. Praeter Haereticos illos, qui in Christi divinitatem peccarunt, fuerunt et alii non pauci, qui humanam ejus naturam aggressi sunt: atque alii quidem Christum in substantia carnis nostrae venisse negarunt; alii animam sustulerunt, aut saltem mentem humanam, cujus vices Verbum ipsum supplere arbitrati sunt.

Quod ipsis Apostolorum temporibus Haeretici extiterint, qui veram Christi carnem impugnarunt, a S. Joanne edocemur, qui epist. I. cap. IV. contra eos invehitur, eosque Pseudoprophetas nominat: *Multi Pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Graece dicitur: *Omnis Spiritus, qui non confitetur, Jesum in carne venisse, ex Deo non est.* — Hos utique Haereticos omnibus pene epistolis perstringit Martyr *Ignatius.*

II. Primus in hoc grege numerandus est *Simon Magus*, cujus impios errores Irenaeus lib. I. cap. XX. commemorat. Discipulos habuit *Menandrum*, *Saturninum* et *Basilidem*, quorum amentiam complures alii secuti sunt. Hi omnes docuerunt, ut Tertullianus ait *a)*: *Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum passum fuisse.* Graeci eos Δοκήτας et Φαντασιάστας nominant. A *Tertulliano* autem confutati sunt integro libro de carne Christi. — Sub idem fere tempus *Valentinus* ex Hesiodi Theogonia plures Deos finxerat, quos *Aeones* vocavit, et Jesum ex omnibus illis prolatum commentus est; cui errori id quoque adjecit, teste Epiphanio *b)*, Christum *e coelo detulisse corpus, ac per Mariam Virginem velut aquam per canalem transiisse, nec quidquam ex virginali utero sumpsisse.* — Taedet omnia obscurorum aeque ac impiorum hominum deliramenta recensere. *Tertullianus*, qui contra *Marcionem* quinque libros scripsit, inter alias nefarias haereses hanc quoque ipsi

---

a) Lib. de praescript. cap. XLVI. *b)* Haeres. XXXI. §. 7.

attribuit, quod veram Christi carnem negaverit. *Appelles*, Marcionis discipulus, paulo aliter ab eo de Christi corpore videtur existimasse. Ita ejus sententiam exponit *Tertull.* de praescript. cap. LI. *Christum neque in phantasmate dicit fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet: sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sidereum sibi carnem et aëream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quae in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse.* Omittimus eos, qui *Patripassiani* dicti sunt, et quos constat eosdem fuisse cum *Sabellianis*. Nam cum personarum distinctionem negarent, omnia illa, quae in Sacramento Incarnationis ad personam unius Filii pertinent, patri consequenter adsignant.

III. Inter Haereticos, qui Christum anima aut mente spoliarunt, primum nominandi sunt *Ariani*. Quod in divina Patris persona ausi sunt Patripassiani, hoc in Verbo aut Filio Ariani moliti sunt. Etenim corpus absque anima credebant assumptum a Filio Dei, adeo ut animae instar esset divina ipsa Verbi substantia, ex quo necessario sequebatur, divinitatem in Christo fuisse patibilem: quod utique intelligi non posset, nisi simul observaretur, eos veram in Christo divinitatem non admisisse, sed eum ita Deum dixisse et Filium Dei, ut simul Patre minorem, et patibilem dicerent. Porro, cum error praecipuus Arianorum in eo consisteret, quod divinitatem Verbi oppugnarent; perversa eorum de Incarnatione sententia, quae prioris erat consectarium, a plerisque Patribus leviter tantum perstricta est.

Evidentius hic error in lucem prolatus est per *Apollinaristas*, qui sic dicti sunt ab utroque *Apollinari*, patre, et filio; haeresis tamen inventor Apollinaris filius creditur. Hic Laodiceae fuit Episcopus, vir insigni doctrina Athanasio et Catholicis omnibus, antequam in haeresin laberetur, charissimus, uti Epiphanius ejus aequalis testatur. Multa scripsit soluta et stricta oratione, ita *ut librorum suorum multitudine totum orbem impleverit*, ait *Basilius a)*; qui illud quoque subjicit: *in tractanda Theologia non illum ex Scripturis, sed ex humanis inventis argumenta petiisse.* Primum quidem Apollinares absque ulla restric-

---

a) Epist. LXXXII.

tione negarunt, animam a Verbo esse assumptam: tum quadam quasi poenitentia ducti partem tantum, qua rationales sumus, Christo defuisse professi sunt; ita ut pro mente divinitas esset. Alius quoque erat Apollinaris error non minus capitalis, quo funditus evertitur Incarnationis mysterium. Humanitatem nempe Christi divinitati esse consubstantialem; carnem Christi non fuisse ex Maria natam, sed e coelo delapsam, eamque Christum semper habuisse.

IV. Christum ex Maria Virgine carnem sumpsisse, eamque sanctissimam matrem perpetuo Virginem mansisse communi consensu docent omnes Catholici. Praeter Haereticos, qui veram Christi carnem, aut mentem rationalem negarunt, fuerunt et alii, qui Christum aliorum hominum adinstar ex Josepho et Maria progenitum commenti sunt. Iterum alii a Virgine quidem conceptum docuerunt, sed violato virginitatis claustro in lucem editum. Inter hos non pauci perpetuam B. Mariae virginitatem impugnarunt, proterve asserentes, eam post natum Christum ex Josepho conjuge suo alios habuisse liberos, qui fratres Christi in Evangelio appellantur. Hic jam Origenis aetate quorundam error fuit; sed notiora sunt Apollinaris, Eunomii, Helvidii et Joviniani, Bonosi etc. commenta. — De *Apollinaristis* testis est Epiphanius haeres. LXXVII. N.° 26., et initio haeres. LXXVIII., quae est *Antidicomarianitarum.* — *Eunomius* et *Helvidius* ex Arianorum secta prodierunt. *Helvidius* Auxentii Ariani discipulus fuit, homo perinde ac scriptor impurus et putidus, quem Hieronymus luculento opere confutavit. — Hunc Haereticum paulo post secutus est *Jovinianus* Monachus Mediolanensis, qui *Christianorum Epicurus* ab Hieronymo vocatus est. Hunc Romae primum a Siricio Papa, tum et Mediolani a S. Ambrosio damnatum Imperatores exilio mulctarunt. Mortem obiit homine voluptuario dignam, nam... *inter Phasides aves*, ut ait Hieronymus, *et carnes suillas non tam emisit spiritum, quam eructavit.* His adjungendus est *Bonosus* in Macedonia olim Episcopus, cujus meminit *Ambrosius* Epist. V. et Innocent. I. cap. XX., qui eum ait Photini venena sectatum.

Hanc quaestionem, sicut et alias omnes ad sanctissimum incarnati Verbi mysterium pertinentes perspicue et copiosissime exposuit doctiss. *Petavius* tom. V. et VI.

PROPOSITIO I.

Christus verum corpus humanum et quidem ex Maria assumpsit.

Prob. I. pars. Hanc conclusionem utriusque testamenti paginae praedicant. Christus semen mulieris vocatur Genes. III. Ex semine Patriarcharum oriundus dicitur Genes. XII. et alibi. Prophetae genus illius indicant ex Juda et Davide deductum, nativitatem et mortem, omnesque vitae ejus mortalis circumstantias describunt, quae nonnisi verum hominem designare possunt. In novo Testamento Evangelistae et Apostoli Christi humanitatem ubique eloquuntur; Matthaeus et Lucas Genealogiam illius pertexunt; S. Joannes dissertis verbis ait, quod *Verbum caro factum fuerit et habitaverit in nobis.* Christus ipse Discipulos Lucae XXIV, 30. ita alloquitur: *Videte et palpate, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Apostolus Rom. I. Filium Dei, ait, *factum esse ex semine David secundum carnem.* Et Joan. epist. I. caput IV. *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Fidem hanc, quam Scripturae tam clare eloquuntur, nullo non tempore palam professa est Ecclesia. In symbolis fidei Christus dicitur caro factus, passus, mortuus et sepultus. Neque aliter locuti sunt Patres, quorum testimonia hic congerere superfluum esset.

Accedit quod id ratio ipsa fide adjuta persuadeat. 1.° Si Christus carnem veram non induisset, nec pati pro nobis potuisset, nec mori, neque se tanquam piacularem victimam pro peccatis offerre. *Sic enim,* ait *Tertullian.* lib. III. cont. Marcionem cap. VIII., *nec passiones Christi fidem merebuntur; nihil enim passus est, qui vere non est passus; vere autem pati phantasma non potuit: eversum est igitur totum Dei opus.* 2.° Frustra Apostoli et Patres nos exemplo Christi ad labores et aerumnas hujus vitae patienter sustinendas excitassent. — 3.° Christus ipse nos fefellisset, quia hominem aliquo modo mentitus fuisset. Unde iterum *Tertull.* de carne Christi cap. V. *Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri et quidem in semetipsum, ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis soli-*

dam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem.

Prob. II. pars. Matth. I, 16. dicitur: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus.* Lucae I, 31. *Ecce concipies in utero et paries filium.* Item v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Huc alia quoque non pauca pertinent ex *Matth.* et *Lucae* cap. I. et II. quae ortum Christi ex Maria apertissime adstruunt. Neque alio sensu explicari potest illud Apostoli ad Galatas IV, 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.*

Confirmatur constanti denique omnium Christianorum, Judaeorum et Mahumetanorum consensione.

PROPOSITIO II.

Maria ita Christum genuit, ut virgo intemerata permanserit ante partum, in partu et post partum.

Prob. I. pars. Christum ex integra et experte viri foemina prognatum fuisse, nemo negare potest, quem Scripturae commovet auctoritas. Soli repugnarunt hucusque Judaei et Gentiles, aut obscuri ex primis saeculis haeretici; quorum vestigia hodie sequuntur modernae impietatis sectatores, qui Christianorum nomen, cum usurpant, commaculant; sanctiora autem Religionis mysteria, cum aspernantur, confirmant. Nihil potest esse his Scripturae locis expressius: Matth. I, 18. *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et vers. 20. Angelus ad Joseph ait: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Luc. I, 30. et seqq. *ait Angelus: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Idipsum jam diu ante *Isaias* praedixerat cap. VII, 14. *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc vaticinium in Christo completum fuisse ex Evangelio discimus. Matth. I, 22. 23.

Superfluum ducimus ex Conciliorum decretis et publicis fidei professionibus, aut ex Patrum unanimi doctrina argumentum depromere. Nam ii qui nobis adversantur, haec omnia non negant, neque negare possunt; sed superbissime repudiant et Ecclesiae decreta et omnium saeculorum fidem.

Prob. II. pars. Quod in partu ipso servata fuerit Dei genitricis virginalis integritas, ostendunt verba mox laudata Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Ergo non tantum concipiendo, sed etiam pariendo filium virgo permansit. Haec Patrum Graecorum Latinorumque communior sententia est, Conciliorum etiam auctoritate suffulta. S. *Ambrosius* Catholicam doctrinam propugnavit plurimis in locis, imprimis in Epistola, quam ex sententia Concilii Mediolanensis ad Siricium Papam scripsit; ubi inter alia haec habet. *De via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Haec est virgo, quae in utero concepit, virgoque peperit filium suum. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit.* Quemadmodum ex Isaiae vaticinio S. Ambrosius argumentatur, sic ex Symbolo S. Augustinus: ita in Enchiridio scribens cap. XXXIV. *Quo si vel nascente corrumperetur ejus* (Mariae) *integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia.*

Sed nihil hac in re certius afferri potest et ponderosius, quam sententia Concilii generalis ex sexcentis Episcopis in Chalcedone congregati.. In allocutione ad Marcianum Imperatorem dicunt Patres, Filium Dei *suae genitrici virginitatem post conceptum largitum esse, atque, ut Deo dignum erat, uterum ejus obsignasse.* Idem Concilium approbavit epistolam Leonis Magni, in qua et haec habentur: *Conceptus est de Spiritu sancto intra uterum matris virginis, quae*

illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. Vid. *Natalem Alex.* Diss. XLVIII. in saecul. IV. — *Petavium* de Incarn. lib. XIV. cap. V. et seq. etc.

Probat. III. pars. Sententiam, quae ait B. Dei genitricem effuso partu, alios ex Josepho liberos suscepisse, ut execrandam impietatem semper exhorruit Ecclesia. *Origenes* eam Hom. VII. in Lucam, magnam insaniam; *Ambrosius* sacrilegium; *Gennadius* blasphemiam appellat. *Basilius* Homilia in sanctam Christi generationem ait: *Christi amantes audire non sustinent, quod deipara aliquando desierit esse virgo. Helvidius,* qui in hanc amentiam proruperat, ab Hieronymo confutatus et inter Haereticos numeratus est. Eandem doctrinam in Apollinaristis reprehendit *Epiphanius* haeres. LXXVIII; eamque haeresin *Antidicomarianitarum* vocat, quam et confutat variis momentis, et isto praecipue, quod ad sua usque tempora nemo *Mariae* nomen pronuntiasset, nisi praeposito *Virginis* vocabulo; hoc enim onomastice, ac velut proprium uni Dei matri ab omnibus Christianis semper attribuebatur. At ipsa vox *τῆς ἀειπαρθένου, semperviginis,* qua utitur Ephiphanius, passimque Graeci omnes et generales etiam Synodi, satis demonstrat, in quanto errore illi versentur, qui hanc Mariae intemeratam integritatem impugnant.

PROPOSITIO III.

Corpus Christi doloribus, et aliis communibus humanae naturae infirmitatibus fuit obnoxium.

Prob. I. *Ex Scripturis.* Isaias cap. LIII. multa de Christi futura passione spiritu prophetico annuntiat, atque inter alia eum vocat *virum dolorum et scientem infirmitatem.* Quam vere haec praedicta fuerint, tota Evangelica historia demonstrat. Ibi . . . *videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut, gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.* Hebr. II, 9. — Videmus Pontificem nostrum . . . *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ibid. IV, 15. Videmus in toto vitae ejus mortalis cursu multa humanae infirmitatis argumenta;

ejusmodi sunt: fames Matth. IV., sitis Joan. XIX., somnus Marc. IV., defatigatio Joan. IV. Hinc Christus ipse Lucae XXIV, 25. et 26., Discipulos objurgans ait: *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Petrus autem epist. I. cap. II. Christi cruciatus, mortemque acerbissimam Christianis proponit in exemplum, et incitamentum patientiae. *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Probat. II. *Ecclesiae et Traditionis auctoritate.* In Symbolis, quae ab exordio usque per totam late Ecclesiam recitantur, unanimi voce profitemur, Christum hominem factum, passum, crucifixum, mortuum. In decreto fidei Conc. Chalced. expresse dicitur: *Sequentes sanctos Patres unum confiteri D. N. Jesum Christum consonanter omnes docemus. Deum vere, et hominem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato.*

PROPOSITIO IV.

Christus animam, et mentem humanam assumpsit; ejusque anima vera libertate gaudebat.

Prob. I. pars I. Veram animam humanam in Christo fuisse, probant 1.° haec et similia Scripturae loca. Psal. XV. *Non derelinques animam meam in inferno,* quod testimonium S. *Petrus* Actor. II. usurpat. — Joan. X, 15. Christus ait: *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* Et v. 17. ejusdem capitis: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Anima, quam Christus ponere, et iterum assumere potuit, procul dubio non erat ejus divinitas. Probant 2.° omnia illa testimonia, quae veras animae humanae proprietates et affectiones Christo attribuunt. Humanae animae proprium est velle et intelligere; sed de Christo dicitur *quod profecerit aetate et sapientia.* Luc. II, 52., quod suam voluntatem divinae voluntati submiserit. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Lucae XXII. Porro eum hu-

manas affectiones expertum esse haec pauca satis demonstrant. Marci XIV. *Coepit pavere et taedere.* Matth. XXVI. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Luc. II. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Probat 3.° mors ipsa Salvatoris; mors enim est separatio animae a corpore. Et quando Joan. XIX, 30. *inclinato capite tradidit spiritum;* quis per spiritum divinitatem intelliget, et non potius animam spiritualem?

Siquis autem animam quidem assumptam fuisse diceret, at non rationalem; nescio an non ipse animam haberet mente destitutam. Christus homo fuit nobis similis, ergo animam habuit vere humanam. Sed anima humana rationalis est, et quae mente caret, belluis attribuitur: neque de alia quam rationali intelligi possunt, quae superius de proprietatibus et affectionibus animae dicta sunt. Sed et ea quae mox indicabimus argumenta utrumque probant, et animam fuisse in Christo et mentem humanam.

II. Scripturae suffragantur Concilia et Patres et ipsa fide illustrata ratio. De his pauca. 1.° Synodus oecumenica II. in epistola synodica ad Damasum Papam ait, *se nec animae aut mentis expertem, nec imperfectam carnis oeconomiam admittere.* Sic Chalcedonensis Synodus in Decreto fidei unum confitetur Christum . . . *perfectum in humanitate . . . eundum ex anima rationali et corpore.* 2.° Ex Patribus unum audiamus *Augustin.*, qui epist. 187. alias 57. ad Dardan. n. 4. *Quaero,* inquit, *quemadmodum accipias hominem Christum. Non utique, sicut quidam Haeretici, Verbum Dei et carnem, hoc est sine anima humana, ut Verbum esset carni pro anima; vel Verbum Dei, et animam, et carnem, sed sine mente humana; ut Verbum Dei esset animae pro mente humana. Profecto, cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam vis intelligi. Non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animae ipsi mens defuerit.* 3.° Adsunt etiam rationum momenta; eaque non pauca afferuntur a Patribus. Praecipua sunt: *Primum,* quod modo ex S. *August.* audivimus, in eo consistit, quod Christus verus homo non fuisset, sine anima et mente. *Secundum,* quod Verbum totum illud assump-

serit, quod fuerat sanandum; sed animae succurrendum erat, quam peccati labes infecerat. *Quid opus fuit carnem suscipere sine anima*, ait S. Ambros. lib. de Incarn. cap. VII., *cum utique insensibilis caro et irrationabilis anima nec peccato sit obnoxia, nec digna praemio? Tertium*, quod absurdum videatur dicere, assumptum a Verbo id, quod in nobis deterius est, relicta nobiliori parte. Ita S. *August.* lib. de fide et symbolo. *Quomodo sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit Sapientia Dei, quod habemus commune cum pecore; illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientiae et quod hominis proprium est?*

Prob. II. pars. Animam Christi humanam vera libertate fuisse instructam, clare in Scripturis continetur. Isaiae LIII, 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ad Philipp. II. *Factus est obediens usque ad mortem.* Et haec ipsius Christi Domini apertissima verba Joan. X, 17. et seq. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Christus hic praeceptum subeundae mortis conjungit cum libera moriendi, aut non moriendi potestate: et merito; nam praeceptum libertatem non tollit, sed probat; et frustra praecipitur, ubi nullus est libertati locus.

Ex Patribus sufficiat *August.*, qui lib. IV. de Trinit. cap. XIII. ait: *Qui posset non mori, si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est.*

COROLLARIUM.

Ergo Christus non tantum Deus est, sed et verus homo.

Probatur. Christus verum assumpsit corpus humanum; ex propos. I. — Veram assumpsit animam et mentem humanam; ex propos. IV. Ergo etc.

Hinc I ad Timoth. cap. II. Apost. ait: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Et Conc. Chalced. in decreto fidei: *Eundem docemus perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere.*

CONTRARIORUM CONFUTATIO.

Objiciunt contra primam propositionem.

1.° Christus ad Philipp. II. dicitur *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Ergo verus homo non fuit. — 2.° Idem Apost. I ad Corinth. XV, 47. de Christo loquens ait: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis.* Patet ergo Christum non terrenum, sed coeleste corpus habuisse. — 3.° Matthaeus cap. I, 20. Christum ait *in Maria* natum esse, non ait: *ex Maria;* et Christus ipse declarat, nihil sibi commune esse cum Maria. *Quid mihi et tibi mulier?* Joan. II. — 4.° Indignum videtur, quod Deus cum carne nostra tam arcte jungeretur; imprimis cum carnem Christus ipse despexerit et damnaverit. *Caro non prodest quidquam.* Joan. VI, 64. *Beatus es, quia caro et sanguis non revelavit tibi.* Ergo etc.

Resp. ad I. *Dist. ant.* Christus dicitur factus in similitudinem naturalem, *conc.* In similitudinem fictam et phantasticam, *nego.* De illa similitudine loquitur Apostolus, quae est inter ejusdem speciei individua. Sic Adam dicitur genuisse Seth in similitudinem suam Genes. V., et Jacobi V. Elias dicitur homo similis nobis passibilis.

Ad II. *Nego conseq.* Quando I. ad Corinth. XV. Christus Adamo opponitur, oppositio haec non fit ratione carnis; nam secundum carnem et ipse filius Adami vocatur Lucae III. Opponitur autem ratione dignitatis et officii. Quemadmodum enim ab Adamo trahimus, quod terrenum in nobis est et mortale; ita per Christum regeneramur in spem vivam, in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam. Hinc bene concludit Apostol. loco citato: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.*

Ad III. Vana est illa haereticorum argutia, vel, ut *Tertullianus* ait, tortuositas. *In ea erat*, ait idem Pater *a)*, *quod ex ea erat.* Praeterea S. Lucas cap. I, 35. particula *ex* utitur. *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* Quod illa verba attinet: *Quid mihi, et tibi mulier?* observat S. *Augustin. b)*, Christum nos admonere, *ut intelligamus secundum Deum non eum*

---

a) Lib. de carne Chr. cap. XX. *b)* Lib. de fide et symbol. cap. IV.

habere matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo.

Ad IV. *Nego ant.* Equidem si res creatae per se considerentur, nulla est, quae divino digna sit congressu. Verum quod dignum non est, ut Deo copuletur, non est ideo positive indignum. Nihil enim hoc sensu Deo indignum est, nisi quod turpe est: at solum vitium naturae turpe est. Caeterum unum est, quod Deo quam maxime conveniat, ut *Gregor. Nyss.* pulchre observat, nimirum egenti benefacere, et ubi est morbus, illuc medicinalem adhibere potestatem. Quae autem a Christo aut Apostolis dicta reperiuntur in carnis contumeliam, illa non de substantia carnis intelligenda sunt, quae cum a Deo sit, mala esse non potest, sed de operibus carnis, seu de modo sentiendi illorum hominum, qui terrenis rebus addicti sunt.

Objiciunt contra secundam propositionem.

Tria sunt praecipue, quae contra Mariae integerrimam virginitatem protulit *Helvidius.* 1.° Quod Matth. I, 18. legitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ergo, ait perditus ille, certum est, postea convenisse. 2.° Eodem capite v. 25. Matthaeus scribit: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Duplex hic tuendae perversitatis argumentum reperit Helvidius, nam et particula *donec*, et vox, *primogenitus*, indicare videntur, alios ex Maria natos fuisse filios. 3.° Et illud urget, quod plures Christo fratres in Scriptura assignentur, ut Matth. XII, 46. etc.

Resp. ad I. *Hieronymus a)* falsam esse istam consecutionem multis exemplis probat contra Helvidium. Scilicet Scriptura tantum quid factum non sit ostendit, non vero, quid postea contigerit, de quo ibi plura dicere locus non erat.

Ad II. Observant sancti Patres *Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, Isidorus Pelusiota* etc., particulam *donec* apud autores sacros non semper significare, illud, quod antea factum non fuit, postea contigisse. Sic est illud *Isaiae* XLVI. *Ego sum, Ego sum, et donec senescatis, Ego sum.* Et *Paulus* ait *b)*: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Quod et in

---

a) In cap. I. Matth. *b)* I *Cor.* XV.

Psalm. CIX. dicitur. Vid. Genes. VIII, 7. — Porro *primogenitus* in Scripturis non perpetuo ille dicitur post quem alius, sed ante quem nullus est genitus; idque propter legem primogenitorum, quae aequaliter ad omnes eos pertinebat, qui primo partu edebantur, sive alii dein sequerentur, sive non. Vid. Exod. XIII. et XXXIV., Levit. XXVII. et Numer. VIII.

Ad III. 1.° Mos Scripturae est, ut cognati fratres vocentur. Sic Genes. XIII. et XIV. Loth, qui Abrahae nepos erat, ejusdem frater dicitur: *Cum audisset Abraham captum videlicet Loth fratrem suum.* Cap. XIX. Laban ad Jacobum ait: *Num, quia frater meus es, gratis servies mihi?* 2.° Affertur et alia interpretatio, quae Josephum, antequam Mariam sponsam accepit, filios habuisse ait ex priori conjugio, hosque fratres Christi appellatos fuisse, quia Christus, ut Lucae III. dicitur, *putabatur filius Joseph.* Verum necesse non est, ut ex priore responsione patet, ad hanc solutionem recurrere, quae quamvis Epiphanii, Cyrilli Alexandrini, et aliorum quorundam Veterum suffragio nitatur, non est tamen communior inter Christianos. Multo plures cum S. Hieronymo tenent S. Josephum semper fuisse virginem.

Objicitur contra tertiam propositionem.

1.° Dolores et infirmitates sunt poena peccati; atqui nullum fuit, nec esse potuit in Christo peccatum. 2.° Psalm. XV. dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ergo Christi corpus corruptioni non fuit obnoxium. 3.° Plurimi Veterum Christum impatibilem docuerunt; inter alios S. *Hilarius* Pictaviensis in libro X. de Trinitate hoc argumentum ita tractavit, ut dolores, omnemque affectionum naturalium sensum a Christo videatur excludere.

Resp. ad I. Ideo Christus in humana natura infirmitatibus et doloribus obnoxius fuit; quia, cum naturam per peccatum sauciatam liberaturus venerat, eam etiam, qualis post peccatum erat assumpsit. Poenas ergo tulit peccati, non sui, sed nostri, pro quo se vadem et sponsorem dedit. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Isaiae LIII. Quod pulchre explicat *Hugo Victorin. a): Quia caro peccatrix*

---

a) De Sacram. p. I. cap. VII.

a poena peccati liberari non potuit, nisi caro ejus, quae sine peccato erat, pateretur: infirmitatem passibilitatis et mortalitatis in carne assumpta retinuit potestate, sustinuit voluntate, non passus est necessitate.

Ad II. Aliud est, non videre corruptionem, aliud esse incorruptibile: alia iterum est corruptio putredinis, alia corruptio mortis. Hanc experiri debuit Redemptor, qui posuit pro peccato animam suam, cujus livore sanati sumus.

Ad III. Non defuerunt Theologi, qui fidenter pronuntiarunt, unum aut alterum ex Patribus, atque imprimis Hilarium in hac parte errasse. Nihilominus, quae ab ipsis non satis accurate dicta videntur, meliorem in sensum explicari possunt. Ac illud quidem apud omnes concessum esse oportet, multum distare Christi passiones a nostris, tum causa, tum necessitate, tum effectu. Quae nos patimur mala, a peccato sunt; ut plurimum violenter incurrunt, et animi vires infringunt; sed haec longe a Christo removenda esse nemo non videt. Ille enim nulla necessitate constrictus, non invitus, sed ultro et libenter dolores perpessus est, neque doloris sensus unquam menti illius vim inferre potuerunt, aut dominari impotentius. Omnia ad nutum divinitatis tanquam rectricis et moderatricis administrabantur. Qui praeterea attenderit, Patres non raro de illo statu loqui, quem Christi corpus post resurrectionem habuit; deinde ab illis incorruptibile dici, quod reipsa corruptum non fuit propter Verbi hypostasin, quamvis naturam corruptibilem haberet; huic difficile non erit illos, qui passionem et dolorem in Christi corpore negare videntur, ab erroris suspicione liberare. Sic, ut de caeteris taceamus, Hilarius contra Arianos agens totus in eo erat, ut a Verbo ipso, seu deitate Christi dolorem, passionesque removeret; simulque ostenderet, Christum non ex necessitate naturae, sed ex voluntate dolores mortemque tolerasse. Satis porro seipsum explicat tum in ipso lib. X. de Trinitate, tum aliis in locis. Libro citato de Trinitate ita loquitur: *Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum infirmitates . . .* et in Psalmum LIII. N.° 7.: *Christus omnia, quae hominum sunt, passus est. Esurivit, sitivit, lassatus est, moestus fuit, passus et mortuus est.*

Objicitur contra quartam propositionem.

Explicari non potest, qua ratione Christi libertas conjungi possit cum impeccantia. Nam contra mandatum Patris facere nihil potuit; ipse autem ait Joan. X. se a Patre mandatum accepisse moriendi. Ergo etc.

Resp. I. Haec jam dudum inter Philosophos nota sunt, libertate, cum de ejus existentia agitur, nihil esse certius, cum ejus natura indagatur, nihil intricatius. Quid mirum, si in Christo, in quo ineffabili nexu divina humanis junguntur, multa sint, quae sinus habent, nodosque inextricabiles; quamvis, quod ea sint, et ratio nos et revelatio convincant. Et certe, alio loco confectum est, Deo ipsi liberam voluntatem et electionem deesse non posse, quamvis difficillimum sit, eam cum ejus immutabili voluntate, et summa in agendo sapientia componere. Ita et impeccabilem dicimus Christum, et libere Patris voluntati obsequentem. Ita Christus ipse Joan. X. aperte declarat, et mandatum se accepisse moriendi, et potestatem ipsi fuisse ponendi animam, et iterum sumendi eam.

Resp. II. In solvenda hac difficili et intricatissima quaestione multum hucusque desudarunt Theologi, et in varias abierunt sententias; quas referre nimis longum esset. Nobis illa prae caeteris arridet, quam gravibus rationibus et auctoritatibus tuetur Doctiss. *Petavius a)*; ait enim praeceptum subeundae mortis non absolutum fuisse imperium, et a libero Christi illud acceptantis consensu omnino independens; sed conditionatum, si nempe vellet Christus illud acceptare: liberum ergo Christo fuisse, ut inter multa, quae illi proponebantur media ad humanam salutem recuperandam, quod vellet eligeret. Neque defuit obedientiae meritum, cum Christus quatenus homo erat, promptum se ostendit, ad ea, quae placita erant Patri efficienda, quamvis absolutum mandatum non haberet. Hoc quippe obsequendi genus multo perfectius est, ut S. Thomas docet *b)*, quando expressum praeceptum obediendo praevenit inferior, voluntate superioris intellecta. Porro potuit Christus intellecto Patris consilio non tantum ultro se ad mortem offerre, sed etiam petere a Patre, ut illud accuratiore imperio

---

a) Tom. V. Theolog. dogmatum. Lib. IX. cap. VIII. *b)* P. 2. q. 104. art. 2.

praeciperet, et ita locum daret humilioris obsequii. Non nostra haec est, sed doctissimi *Petavii* observatio.

QUAESTIO I.

Utrum Beatissima Virgo votum emiserit perpetuae virginitatis?

Resp. Beatam Virginem, cum Josepho nupsit, non tantum propositum habuisse, servandae perpetuae virginitatis; sed illud ipsum voti religione sanxisse, prorsus affirmandum existimamus, gravissimorum Patrum et communi Catholicorum omnium auctoritate commoti. Idque maniteste ex ipsis B. Virginis verbis apparet Lucae I, 34.: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Neque contrarium ex eo inferri potest, quod matrimonio juncta fuerit cum Josepho; recte enim votum virginitatis stare potest cum matrimonio ex mutuo consensu. Matrimonium enim in animorum unione, ac individuae vitae societate consistit potius, quam in carnali cohabitatione. Idcirco non sine divina inspiratione factum est, ut Joseph Mariam in conjugem acceperit, ad quam nunquam erat accessurus. Rem totam exponit S. *Augustinus a*): *Profecto*, ait, *non diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco; nisi Deo virginem se ante vovisset: sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat.* Vid. inter alios *Bellarm.* lib. II. de Monachis. cap. XXII.

Quare autem viro desponsata est Virgo, voto servandae virginitatis obstricta? Rationes afferunt SS. Patres, 1.° ut Mariae, et, quod consequens est, Christi prosapia clare innotesceret ex Josepho, qui fuit ex familia David. 2.° Ut Virginis, quae de Spiritu sancto conceptura erat, honori consuleretur. 3.° Ut Josephus castitatis uxoris suae testis esset et custos. 4.° Quartam affert S. *Ignatius* martyr; ut partus celaretur diabolo.

QUAESTIO II.

An Christus fuerit egregia corporis forma conspicuus?

Resp. Haec quaestio utique curiositatis plus habet, quam utilitatis; neque certi aliquid ex Scripturis, aut sanctis Patribus

---

a) Lib. de Sancta virginitate cap. IV.

definiri potest. Veteres nonnulli ut *Clemens Alexandr. a)*, *Tertullian. b)*, *Origenes c)*, Christum corpore deformem fuisse docuerunt; verum levissimo haec sententia argumento innititur; nam locus ille Isaiae (cap. LIII.), in quo de Christo dicitur: *Non est species ei neque decor... Vidimus eum despectum, et novissimum virorum...* etc. de Christo patiente, et vulneribus deformato prorsus intelligi debet. Plurimi igitur ex Veteribus imprimis a quarto saeculo, Christo formam speciosam attribuerunt, et tanta pulchritudine conspicuam, ut solo aspectu omnes ad se potenti illecebra traheret. Ita prae caeteris *Hieronymus d)*, *Chrysostomus e)*. Sed haec quoque sententia fundamentum sat firmum non habet. Illa enim Scripturae verba: *Speciosus forma prae filiis hominum...* et alia ejusmodi, quae formam corporis commendare videntur, ad sanctitatem internam referenda sunt, et ad spiritualia dona, quibus Christi anima cumulata fuit. Probabile est, Christum neque deformem fuisse, neque eam assumpsisse formae elegantiam, quae vanorum hominum oculos irretiret; sed habitum corporis induisse plenum dignitatis, atque totum ita compositum, ut facile indicaret, quantus intus lateret animus.

CAPUT SECUNDUM.

DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM ADMIRABILI NEXU.

Hactenus de duabus naturis separatim egimus et contra illos dimicavimus, qui Christum aut Deum fuisse negarunt, aut hominem. Nunc de illis haeresibus dicendum est, quae quinto saeculo ortae sunt, circa naturae utriusque unitionem; quamquam illae quoque ex vetustioribus prognatae videntur. Sunt autem, quae huc spectant, duae perniciosissimae haereses, a veritate aeque discedentes, quamvis in oppositas partes; cum una Christum in duas personas dividat, altera ipsam naturarum distinctionem tollat.

---

a) Paedag. lib. III. cap. I. Stromat. III. et IV. *b)* Lib. de carne Christi, cap. IX. *c)* Lib. VI. contr. Celsum. *d)* In Matth. cap. IX. v. 9. *e)* Hom. XXVII. in Matth.

Contigit hic quod et alias saepe, ut nondum exorta haeresi quaedam innocenter dicta fuerint a Patribus, eaque adhibita vocabula, quae postea repudiare necesse fuit, ob cavillationes et argutias haereticorum. Sic vox *συνάφεια*, quae a *Basilio*, *Chrysostomo* et aliis Patribus, cum de divinitatis et humanitatis in Christo conjunctione agerent, usurpata fuit, a *Cyrillo* postmodum non aliam ob causam est rejecta, quam quod Nestorius in pravum sensum eam detorqueret, consociationem tantummodo utriusque naturae ea voce designans. Alia praeterea sunt vocabula, quae sunt usus magis ambigui, ut *μίξις*, *κρᾶσις*, *ἀνάκρασις*, *σύγκρασις* et similia, quibus latina respondent, *mistio*, *mixtura*, *temperatio* et ejusmodi alia. Ex Veteribus plures, tum Graeci tum Latini arctissimam in Christo naturarum conjunctionem his vocibus expresserunt. Sed male iis *Eutyches* usus est, cum naturarum confusionem docuit. Huic errori jam in antecessum occurrit *Cyrillus*, qui lib. I. contra Nestorium ita habet: *Etenim temperationis, κράσεως vocabulum usurparunt aliqui SS. Patrum, quoniam vero timere te dicis, ne qua confusio contingere putetur instar liquidorum, quae inter se temperantur; libero te hoc metu. Non enim illorum iste sensus fuit; sed ea voce sunt abusi, dum summam unitionem eorum, quae in se mutuo convenerunt, demonstrare student.*

Antequam utriusque haeresis *Nestorianae* et *Eutychianae* praecipua capita impugnemus, brevis earum historia praemittenda est, cui supplementi loco adjiciemus pauca de V. Synodo et tribus, quae in ea damnata sunt, capitulis.

Haeresis Nestoriana.

I. *Nestorius* Antiochiae Presbyter factus, ob virtutis et doctrinae famam Constantinop. vocatus est, ut *Sisinio* succederet, qui secundus post *Chrysostomum* Constant. sedem occupaverat. Nestorius in omnes Haereticos vehemens ostendit odium; sed et ipse mox novae haeresis auctor factus est, quam a Theodoro Mopsuestiae Episcopo hausisse creditur. Hujus pestiferae haeresis fons et caput hoc fuit. Conjunctionem duarum in Virginis utero naturarum ita factam asserebat, ut ante formatus sit homo integer

et perfectus, deinde cum Deo copulatus fuerit. Hinc Θεοφόρον, id est, *deiferum* vocabat Christum, ut *Cyrill.* ostendit *a*), ***non vere Deum, sed hominem potius cum Deo tanquam dignitatis aequalitate conjunctum.*** Incarnationem autem nihil aliud esse existimabat, quam ***habitationem Dei in homine***, velut in domicilio suo, vel in templo. Ex his necessaria consecutione fluit, duas esse in Christo personas, duos filios, unum Deum, alterum hominem; unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque Nestorium revera in hac sententia fuisse extra omne dubium est; quamvis, quod solemne est novorum dogmatum architectis, verborum ambiguitate usus fuerit, ut incautos deciperet. Hinc duas in Christo personas verbo professus non est; imo unum Christum, unam personam, unum filium, dixit, sed late sumpto *unitatis* vocabulo; ut cum habitudine, affectu, vel commercio et societate unum dicuntur, qui plures ***sunt***, ***re*** ac ***persona*** disjuncti.

II. Itaque Nestorius miris artibus haeresin suam adstruere conatus est. Nam aliorum primum operam adhibuit, ut populi judicium experiretur; deinde non crude statim perversum dogma evomuit, sed haeresis virus in hoc quasi collectum occultabat, quod affirmaret, B. Virginem non Θεοτόκον, *Deiparam*, appellandam esse, sed χριστοτόκον, *Christiparam.* Audita impia Nestorii doctrina populus fere omnis et monasteria ab ejus communione abstinuerunt. Cumque ejus homiliae in vulgus editae, et in Aegyptum perlatae nonnullos in errorem impulissent, *Cyrillus* Alexandriae Episcopus, ne pestis haec latius manaret, epistolam ad Monachos Aegypti scribere coactus fuit. Scripsit quoque ad Imperatorem, et ad ipsum Nestorium, quem amice hortabatur, ut corrigeret, quae temere ab eo dicta circumferebantur. At ille acrius haeresin propugnavit suam. Quod ubi compertum habuit Cyrillus, et Nestorium ad *Coelestinum* Romanum Pontificem scripsisse; ipse itidem litteras dedit ad eundem, quibus statim e Synodo respondit Coelestinus, vices suas Cyrillo committens, ut, nisi Nestorius intra decem dies, quibus esset admonitus, resipisceret, huic nuntiaret, Romanae Sedis et omnium Episcoporum communione esse summotum: ipse autem Cyrillus

a) Lib. II. contr. Nestor.

Constant. Ecclesiae prospiceret. In eandem sententiam Coelestinus scripsit Nestorio, Clero et Populo Constant., et Joanni Antiocheno.

III. Cum vero Nestorius in impietate perstaret, ac famosis duodecim capitulis, vel anathematismis a Cyrillo ad eum missis, alia ipse opposuisset, atque etiam Imperatoris animum commovisset contra Cyrillum; ita turbata res est, ut generalem Synodum cogere necesse fuerit. Synodus a *Theodosio juniore* ad diem 431
Pentecostes *Ephesi* indicta, coepta est die 22. Junii in Basilica S. Mariae. Citatus est Nestorius; cum autem secundo et tertio vocatus tergiversaretur, omnibus diligenter examinatis, unanimi Patrum consensu damnatus, et sacerdotali gradu privatus est. In principio I. Actionis expresse dicitur, *Cyrillum Coelestini* sanctissimae sacratissimaeque Romanae Ecclesiae Archiepiscopi locum obtinuisse. *Joannes Antiochenus* quinto post Nestorii depositionem die Alexandriam venit, cum suis Episcopis ex Orientali Dioecesi, et, quamvis Patres eum per sexdecim dies ultra constitutam diem expectassent; et Episcopi ac Clerici ei obviam missi fuerint; ille tamen adesse Concilio renuit, et ipso adventus sui die, in diversorio Synodum habuit ex triginta aut circiter Episcopis, in qua Cyrillum et Memnonem Episcopum Ephesinum deposuit, et reliquos Patres communione privavit. His utrinque peractis advenerunt Legati Coelestini Papae cum litteris ejusdem Pontificis. Actione III. ea, quae contra Nestorium acta fuerant, lecta sunt, postulantibus Legatis, atque ab iis probata. Actione V. Joannes Antioch., cum tertio citatus adesse coram Synodo noluerit, cum XXXII. Episcopis communione et sacerdotio privatus est, ac de omnibus litterae datae sunt ad Imperatorem et Coelestinum Papam.

Nihil non egerunt Nestorii fautores et amici, ut Synodum apud Imperatorem opprimerent; donec hic, re tandem melius perspecta, ratam esse jussit Nestorii depositionem. Id quoque Imperatoris studio effectum est, ut Cyrillus et Joannes sibi mutuo reconciliarentur. Nestorius Antiochiam reversus in monasterio suo per quatuor annos habitavit; sed cum haeresin iterum spargeret, jussu Imperatoris in Thebaidem relegatus est (435), ac reliquum vitae egit miserrime.

IV. Nestoriana haeresis in imperio Romano proscripta, in Persiden confugit; ubi ducem et Antesignanum habuit *Barsumam* Nisibi in Perside Episcopum, qui cum aliis quibusdam ejusdem sectae Episcopis impiam haeresin disseminavit. Ex Christianis alii opum, aut honorum, aut liberioris disciplinae illecebris pellecti, alii fraude et captiosis fidei expositionibus circumventi, alii demum metu et vi armorum subacti, aut saltem compressi. Profuit scilicet factiosis hominibus Persarum in Romanos odium; ita enim magis sibi devinctos fore putabant Christianos subditos, si ab imperio Romano etiam Religione dissentirent. Ex Perside latius diffusa est pestifera lues: nam et Syriam, Mesopotamiam ac Chaldaeam infecit, et paulo post, saeculo, ut creditur, sexto per Aegyptum, Arabiam, Indiam, aliasque Orientis regiones propagata est. Sub finem Saeculi XVII. quadraginta Nestorianorum millia in Mesopotamia numerabantur. Plures Nestorianorum Patriarchae diversis temporibus aut Romam venerunt, aut suam fidei professionem transmiserunt, ut cum sede apostolica communionem inirent; quorum tamen sinceritatem valde suspicatur D. *Renaudot.* Vid. Perpétuité de la foi etc. Tom. IV. Lib. I. — Et Doctiss. *Assemani* biblioth. orient. Tom. IV. — Diction. Théolog. de M. *Bergier*, Art. *Nestoriens.*

Quaestiones criticae.

I. Utrum Nestorius haereseos reus fuerit, et legitime a Concilio Ephesino damnatus?

Protestantes, qui tam libenter omnium Haereticorum, quos Ecclesia Catholica damnavit, patronos agunt, Nestorii quoque defensionem susceperunt. Purum fuisse dicunt a labe haereseos. Ideo injuste a Concilio generali III. damnatum, et a S. Cyrillo, viro, ut ajunt, arrogante et imperioso inique vexatum criminantur. At Nestorium haereticum fuisse, tota semper credidit Ecclesia; idque ex ipsis Haeresiarchae scriptis, quae in Ephesina Synodo lecta sunt, clarum est et evidens. Ipsi adeo, qui vetere viri amicitia ducti aliquamdiu ex ejus partibus steterant, et inter caeteros Joannes Antiochenus, re melius cognita in ejus condemnationem consenserunt. Haec porro omnium abhinc saeculorum, omnium Patrum et Conciliorum sententia fuit. Sed, res prorsus

stupenda! quae Cyrillus, Coelestinus, aliique summi viri Nestorio coaevi non viderunt; quae secuti postea Ecclesiae doctores, quae Synodi ex toto orbe Christiano congregatae non viderunt; id nunc post tredecim saecula vident noviores quidam haeretici; nempe Nestorium Saeculo quinto perperam fuisse haereseos accusatum!

Neque objiciant Protestantes, omnia in Concilio Ephesino inordinate et contra canones acta fuisse. Ex Historia enim et actis Concilii apparet, scripta Nestorii a Concilii Patribus summa cura et diligentia fuisse excussa; testesque auditos complures et fide dignissimos: ipsum ter honeste invitatum et monitum, ut se Concilio sisteret, contumaciter recusasse; neque postmodum adduci unquam potuisse, ut errorem revocaret. — Caeterum, si Nestorium erroris circa Incarnationem reum facimus, nolumus tamen cum quibusdam contendere, eum in Trinitatem quoque peccasse, et Pauli Samosateni et Photini errore fuisse implicatum: nam Nestorius *Verbum*, quod ajebat in Christo homine habitasse, personam a Patre distinctam esse docuit, et Patri consubstantialem. — Totam hanc quaestionem luculenter et erudite tractarunt *Petavius* de Incarn. lib. I. cap. VII. et seq. — *Natal. Alexand.* Diss. VI. in Saecul. V. — *Tournel.* de Incarn. Quaest. VII. Art. I. etc.

II. Quid de Joanne Antiocheno sentiendum sit, qui partes Nestorii tenuit, contra Cyrillum et Synodum Ephesinam?

Resp. Communis sententia est, Joannem purum fuisse a labe Nestorianae haeresis; quamvis propter suam cum Nestorio amicitiam aliquo tempore in haeresis suspicione fuerit. Ea, quam Ephesi tenuit, agendi ratio culpanda prorsus fuit, et schismatica. Verum rebus melius perpensis ad Ecclesiae unitatem rediit, Nestorium damnavit, et cum S. Cyrillo, et Maximiano Nestorii successore pacem perpetuo fovit. — Vid. auctores citatos.

Haeresis Eutychiana.

Haeresis ortus et progressus.

I. *Eutyches*, Presbyter et Archimandrita Const. acerrimus fidei Catholicae defensor fuit contra Nestorium. Sed odio Nesto-

rianae haeresis. et ex verbis Cyrilli male intellectis in aliam huic oppositam incurrit. Scilicet

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Praecipuum Eutychianae perfidiae caput fuit, quod unam tantum in Christo agnoscebat naturam post unionem. Sic enim interrogatus in Concilio Const. respondit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem: post unitionem vero unam naturam confiteor.* Quo autem modo id factum fuerit, neque ipse, neque ejus discipuli explicare potuerunt. An ex duabus integris naturis tertia quaedam conflata fuit et composita? An utraque extincta tertia prodiit? Quis ferat tantam deliratione nem! Manet ergo, ut humanitas dicatur a divinitate absorpta. Ex quo et illud consequens est, vel divinam naturam doloribus et morti fuisse obnoxiam; vel Christum vere passum non esse. Verum non sunt haec omnia errorum monstra, quae deliri senis pertinacia peperit. Tanta hominis imperitia fuit, ut Nestorii haeresin impugnans in ipsam, quam impugnabat, incurrerit. Nam si naturae ante unionem duae extiterunt, necessarium erat, ut in sua quaelibet persona existeret, cum unitae nondum essent. Id quoque cum Nestorio commune habuit Eutychianus error, quod Incarnationem Verbi destrueret, cum carnem ex B. Virgine sumptam negaret, siquidem Eutyches, ut *Flavianus* ad Leonem Papam scribit, expresse docuit: *Virginem quidem, quae eum genuit secundum carnem, consubstantialem nobis esse: ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis.* Sic et Θεοτόκον negavit B. Virginem, hancque divinae matris dignitatem, si non verbo, re tamen ipsa destruxit, Θεοτόκος enim non solum est, quae peperit, id est fudit ex utero Deum, sed quae genuit.

448 II. Eutyches in Concilium vocatus a Patriarcha suo Flaviano, haeresin suam coram est professus, nec adduci potuit ut eam ejuraret. Itaque de Concilii sententia damnatus, et Sacerdotali dignitate spoliatus est. Flavianus ad Leonem Papam scripsit, et acta Synodi ad eum transmisit; scripsit et Eutyches. At Pontifex Eutychetis damnationem ratam habuit, et Flaviano respondit
449 celebri illa epistola, quae postmodum a Patribus Concilii Chalcedonensis summis laudibus celebrata fuit. Interim Eutyches Chrysaphii Eunuchi opera usus, quem e sacro fonte susceperat, quique

Flaviano erat infensissimus, a Theodosio impetravit, ut Synodus generalis Ephesum indiceretur, cui *Dioscorus* Alexandrinus Episcopus praeesset. *Barsumas* Syrus Archimandritaimmanis sicarius, nominatim vocatus fuit ad Synodum. Omnia porro in ea tam nefarie, et per vim apertam acta sunt, ut merito *latrocinii Ephesini* nomen obtinuerit. Legati summi Pontificis aegre dilapsi Romam aufugerunt; Flavianus pro eo, quod oppressus a *Dioscoro* de more Romanum Pontificem appellasset, ita pugnis et calcibus contusus est, ut triduo post ex plaga pectoris extinctus fuerit. S. Leo acta Concilii rescidit, sed impetrare a Theodosio non potuit, ut res in novo Concilio examinaretur.

III. Theodosio successit *Marcianus* vir praestantissimus, cui 450
nupsit *Pulcheria* Theodosii soror, religiosissima, et excelsi animi foemina. Jussu Imperatoris Eutyches in exilium missus est; quid autem de ipso deinceps factum sit, prorsus ignoratur. Idem Catholicus et piissimus Princeps, Leonis Pontificis, et Pulcheriae Augustae hortatu Concilium generale Chalcedone congregavit ex 451
520 Episcopis, cui praeerant legati Rom. Pontificis. Cuncta in hac Synodo ex ordine facta sunt, fides Catholica contra Eutychianam haeresin stabilita, praedatoria Synodus damnata, una cum turpissimo Dioscoro Alexandrino.

Aegyptii a Synodo reversi maximos toto orbe excitarunt tumultus. Dioscoro damnato, et jussu Imperatoris Gangram Paphlagoniae relegato, in sedem Alexandrinam electus est *Proterius*, vir apprime Catholicus. Quod multarum turbarum occasio fuit, urbe in duas partes divisa; nam Haeretici *Timotheum Aelurum* Eutychianae sectae addictum in eam sedem per vim intruserunt; qui Marciano Imperatore vita functo Proterium interficiendum 457
curavit. Re ad Leonem imperatorem delata, hic litteras misit ad omnes Episcopos, una cum actis Concilii, jussitque, ut de Timotheo, deque Synodo Chalcedonensi praescriptae omnium ad se sententiae mitterentur. Id praestiterunt 1600 Episcopi, ut scribit Eulogius Alexandrinus. Omnium autem pene Episcoporum una fuit sententia, Timotheum ne Christiani quidem nomine dignandum, et Chalcedonensem Synodum omnino retinendam. Itaque Timotheus in exilium pulsus, et Proterio successor datus est alius *Timotheus Solofaciolus* dictus. 460

Haeresis Eutychianae propagines.

I. Hoc Eutychianae haeresi proprium est, ut nulla unquam fecundior extiterit, neque vel latius effusa, vel in plures particulas, factionesque distracta. Quae Alexandriae contigerint sub Leone imperatore, vidimus. Eodem fere tempore in Oriente tur-
463 batum est, *Petri Cnaphaei*, aut *fullonis*, nequissimi hominis fraude et perfidia. Hic Antiochiam venit, *Zenonem* Orientis ducem secutus, hujusque favore fretus sedem Antiochenam invasit. At Leonis imperatoris decreto exilio damnatus, clanculum aufugit. Interim Imperator moritur, et Zeno purpuram induit. Cum hoc
475 regnante *Basiliscus*, qui Eutychiana labe infectus erat, tyranni-
477 dem invasisset, Timotheus Aelurus Alexandriam rediit. At Zeno devicto tyranno, Cnaphaeum Antiochia, Aelurum Alexandria expelli jubet, et Solofaciolum restitui. Cum Aelurus paulo post diem suum obiisset, Haeretici *Petrum Moggum* Episcopum eligunt, qui ab Imperatore primum damnatus, postea Acacii Const. Episcopi perfidia restitutus est, *Talaïda*, quem Catholici elegerant, expulso.

II. Eo non contentus *Acacius* etiam Zenoni auctor fuit, ut
482 fidei formulam ederet, quam Ἑνώτικον, hoc est *Conciliatorium* appellavit, quasi ad conciliandos cum Haereticis Catholicos. In eo Ephesinam et Chalcedonensem Synodos probat, Nestorium et Eutychen rejicit, sed de una aut duabus naturis post incarnationem reticet omnino. Henotico una cum Acacio Constant. subscripserunt tum Petrus Moggus, tum Petrus Cnaphaeus, vel Fullonus. Ambo enim ab Eutychetis doctrina in hoc recesserant, quod humanam Christi naturam non absorptam dicerent a divina, nec divinae permixtam, sed utramque sine confusione aut mutatione ita intime copulatam, ut unam tantum efficerent. Hinc rejecto Eutychianorum nomine *Monophysitae* appellati sunt. At Petrus Cnaphaeus sede Antiochena, opera Acacii, recuperata, Henotico non contentus Synodum Chalcedonensem palam damnavit, tum trisagio hanc clausulam adjecit: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, ac *Theopaschitarum* sectae initium dedit, qui totam Trinitatem passam esse dicebant. Alexandriae Petrus Moggus Concilium Chalcedonense retinuit, quod ita displicuit Eutychianis, ut multi ea de causa ejus communionem ejurarint; ac propterea *Acephali* nominati fuerint, quod a capite, id est Patriarcha suo

disjuncti, seorsim congregarentur. Quemadmodum Zenonis Henoticon multis ex Eutychiana secta valde displicuit, ita et invisum fuit Catholicis, quia intempestiva oeconomia plus aequo favebat Eutychianis. Acacius, qui ejus auctor fuerat, a Felice III. in Synodo Romana communione privatus est; at ille parvi pendens 483
Pontificis sententiam in haereticorum communione perseveravit, ac Felicis ipsius nomen e sacris diptychis exemit. Inde natum est Ecclesiae utriusque Romanae et Constant. dissidium, quod nonnisi post annos 35 extinctum est. Zenoni successit *Anastasius*, 518
qui Eutychianos fovit. Hic *Severi*, impuri e secta Acephalorum haeretici, fraude delusus, *Macedonium* Catholicum Episcopum e sede Constant. expulit, et *Flavianum* itidem Antiochenum, in cujus locum ipse est ordinatus Severus. Post Anastasium *Justinus* 519
Imperator renuntiatus est; hic, ut erat Catholicae Religionis studiosissimus, haereticorum audaciam repressit. Successorem habuit *Justinianum* ex sorore nepotem, quo regnante mota est 527
celebris de tribus Capitulis controversia.

III. Justino adhuc imperante *Severus*, cui Imperator linguam amputari jusserat, Alexandriam se recepit, fuga supplicium antevertens. In eandem urbem jam ante *Julianus* Halicarnassensis confugerat, ejusdem ac Severus haeresis particeps. Ex hoc ergo scelleratorum hominum concursu Alexandriae eo tempore plures Eutychianorum sectae prodierunt. *Severus* corpus Domini *corruptibile* fuisse asseruit, *Julianus incorruptibile* dixit. Ille sectae *Corrupticolarum* dux fuit, hic *Incorrupticolarum*. His tertia accessit *Agnoëtarum* dicta, quia Christum multa ignorasse affirmabat. Sed in multas alias partes distracti sunt, qui certam semel fidei regulam, Ecclesiae docentis auctoritatem dimiserunt. Imprimis hic commemorandus est *Jacobus*, et ab eo prognata *Jacobitarum* haeresis, quae penes Armenos potissimum resedit, et etiamnum viget. Nam cum Saeculo sexto Eutychiana haeresis sensim dilabi videretur, *Severus* cum aliis quibusdam *Jacobum* hunc genere Syrum Edessae Episcopum elegit, qui Monophysitarum venena 541
popularibus suis propinavit, eoque celebris evasit apud Orientales. Catholici dogmatis professores a *Jacobitis* vulgo *Melchitae* nominantur, tanquam qui diceret *βασιλικούς*, sive *Imperatorios*, quia Imperatoris auctoritate conflatam quartam Synodum sequebantur. Qui Aegyptum incolunt Eutychiani *Coptarum* nomine veniunt;

hi usque nunc ritum Copticum retinent, ex Graeco et veteri Aegyptiorum lingua mixtum.

Postremo notandum est, totam Eutychianorum sectam ad duas partes revocari posse, ut Facundus Hermianensis, Africanus Episcopus, observat *a)*. Prima eorum, qui per totum sequuntur Eutychetis principis sui sententiam: altera vero, quae in quibusdam ab eo dissentiens per superbiam tamen dedignatur ad Ecclesiam reverti. Hos Graeci Acephalos vocant, Facundus vero *Semieutychianos*. Ita appellati sunt, quia, ut supra N. II. dictum est, unam quidem naturam dicebant, sed ex duabus minime permixtis et mutatis compositam. Ita multi hodie ex *Jacobitarum* secta docent. Exinde quidam Catholici auctores, et inter alios D. *Renaudot* in Liturgia Orientali concludunt, Jacobitas, si Concilium Chalcedonense non respuerent, posse in Ecclesiae communionem recipi; cum per naturam compositam idem intelligant, ac Catholici per naturam duplicem. Verum Eutychianorum patronis fortiter restiterunt ex Acatholicis *Samuel Basnage*, et ex Catholicis *Natal. Alexand.* Diss. X. in Saec. V.

APPENDIX.

De tribus Capitulis, et de quinta Synodo.

I. Centum fere post Concilium Chalcedonense annis *Theodorus* quidam, ex Acephalorum secta Caesarea in Cappadocia Episco-
546 pus, novarum turbarum auctor fuit. Is per *Theodoram Augustam*, quae Eutychianis clam addicta erat, *Justiniano* persuasit, Acephalos ideo tantum Chalcedonensi Synodo repugnare, quia Concilii Ephesini auctoritatem imminutam fuisse querebantur per illam Synodum, utpote quae *Ibam* Edessae Episcopum, et *Theodoretum* Cyrensem ab omni haeresis suspicione liberatos inter Patres sedere permisit; quamvis primus in Epistola ad *Marim* Persam Cyrillum reprehenderit; defensionem Theodori Mopsuesteni susceperit, a quo constat multa fuisse impie et haeretice edita; secundus autem acriori stylo contra Cyrilli anathematismos scripsisset. Unde facillimum fore dicebat, ut cum Catholicis pacem inirent, et Concilium Chalcedonense reciperent; si *Theodori Mopsuesteni* scripta

---

a) Facund. lib. I. cap. VI. p. 36.

et persona, Epistola item *Ibae Edesseni*, et *Theodoreti Cyrensis* adversus Cyrillum scripta damnarentur. Haec sunt tria illa celeberrima Capitula, quae Theodorus Caesareensis cum Acephalis suis damnari magnopere cupiebat, ut ita notam inureret Concilio Chalcedonensi. *Mopsuesteno* autem non ideo infensus erat, quia de Incarnatione male sentiebat; sed quia contra Origenem scripserat, quem ille a Justiniano primum, tum etiam a sede Apostolica et caeteris Patriarchis damnatum aegre ferebat.

II. Justinianus spe pacis delusus edictum tulit, quo tria illa Capitula proscripsit; effecitque, ut Orientis Episcopi eadem quoque damnarent. Verum non ignarus, nihil in hoc negotio utiliter tentari posse citra Romani Pontificis sententiam, *Vigilium* in urbem regiam evocat. Restitit Imperatori Vigilius, atque, ut trium Capitulorum damnationem rescinderet, postulavit; cum retractari, et in disceptationem venire non possint, quae Concilii generalis auctoritate fuerint definita. Cum autem Imperator omnibus modis ageret, ut a Vigilio damnationem extorqueret trium Capitulorum, hic tandem, ut res in Conventu LXX. Episcoporum diligentius excuteretur, passus est. Sententiis Episcoporum ad se delatis, ipse quoque assensus est, et ad *Mennam* Cp. *Judicati* titulo constitutionem misit, in qua tria Capitula damnavit *salva Concilii Chalcedonensis reverentia*. Decretum Vigilii, 548
quemadmodum Acephalis displicuit propter adjectam conditionem, ita et Occidentales vehementer offendit, quia putabant Concilii Chalcedonensis auctoritatem labefactari.

III. In his rerum augustiis postulavit Vigilius ut ex omnibus provinciis generalis Synodus cogeretur. Annuit Justinianus; at mox Theodori importunitate victus, et longioris morae impatiens, contra datam Vigilio fidem rursus edictum proposuit adversus 551
tria Capitula; cui Vigilius reclamans denuo Imperatoris iram in se concitavit, et multas calamitates perpessus est. Convenerunt tandem Const. Orientis Patriarchae cum suis Episcopis. Vigilius 553
saepe invitatus Concilio adesse noluit, causatus Occidentalium Episcopos vix paucos adesse, cum tamen de hoc potissimum ageretur, ut placarentur Occidentalium animi, quos Judicatum offenderat. Graeci, qui numero CLXV. aderant, nihil ea re absterriti conventus celebrant, et anathema dicunt contra tria Capitula, et Theodori personam. Dum res in Concilio tracta-

rentur, Vigilius *constitutum* ad Imperatorem misit, ubi Theodori Mopsuesteni errores et blasphemias anathemate defixit; verum adversus Theodoretum et Ibam decerni aliquid vetuit. Justinianus Vigilii Constitutum dissimulavit, ne quid Patres a Capitulorum damnatione moraretur; Vigilium autem et Clerum Romanum, qui cum eo erat, indigne habuit, omnique vexationis genere affixit. Donec facta Pontifici Romam redeundi potestate, hic,
554 dum iter ageret, in Sicilia calculi morbo extinctus est.

Vigilium, dum adhuc in Oriente versaretur, latae a Concilio sententiae demum accessisse, et decretali Epistola ad Euthymium Patriarcham Const. scripta damnationem trium Capitulorum confirmasse passim Graeci auctores perhibent. Neque locus amplius controversiae relictus est, postquam illustriss. *de Marca* Vigilii Epistolam eleganti dissertatione munitam edidit. — Cfr. etiam *Natal. Alexand.* Dissert. III. in Saec. VI. etc. Id certum, Pontifices Vigilii successores quintae Synodo eandem, ac aliis oecumenicis Conciliis, auctoritatem tribuisse. Restiterunt tamen Episcopi Africae, Istriae, Venetiae, Liguriae, Tusciae etc., ita ut non levis exinde orta sit dissensio in Ecclesia Occidentali, quae paulatim summorum Pontificum, et imprimis Gregorii Magni zelo extincta est.

Nunc dimicandum nobis est contra duas extreme oppositas haereses, Nestorianam et Eutychianam. Una sicut duas in Christo naturas agnoscit, sic et personas duas, morali tantum unione conjunctas. Altera sicut unam confitetur personam, ita et naturam post unitionem unam.

ARTICULUS I.

Stabilitur veritas Catholica contra haeresin Nestorii.

PROPOSITIO.

Humana natura in Christo divinae unita fuit in unica Verbi persona.

PROBATUR I. *Ex Scripturis.*

Optime Cyrillus in Symb. ait: *Divinitus inspiratas omnes litteras Deum praedicare filium et hominem factum,*

et eundem unum ubique praedicare. Passim enim de Verbo aut Dei Filio praedicant, quae humana sunt; et homini Christo, quae divina sunt, tribuunt; quod manifeste significat, unam esse Christi personam, quae Deus sit et homo simul. Ad primi generis argumenta prae caeteris pertinet illud Joan. I. *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Tum Apostoli locus ad Philippens. II. *Cum in forma Dei esset, . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Item illud ad Galat. IV. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Secundi generis pauca seligamus. Joannes Epist. I. Cap. I. de Christo homine loquens ait: *Quod vidimus oculis nostris et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.* Apost. ad Hebraeos Cap. I. cum ait, Deum novissimis diebus nobis per filium locutum esse, utique de Christo loquitur, qui homo inter homines visus est: at de eodem statim adjicit: *Quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.* Christus ipse, in ea, quam assumpserat carne ad homines loquens, de se profitetur: *Ego sum, qui de coelo descendi.* Joan. VI, 38. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Joan. VIII, 58. *Ego et Pater unum sumus.* Joan. X, 30. *Exivi a Patre et veni in mundum.* Joan. XVI, 28. Imo cum Matth. XVI. ad Christi interrogationem: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* — Petrus respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* haec a Christo audire meruit: *Beatus es Simon Barjona etc.* Una ergo est in duabus naturis persona.

Probatur II. *Ex fidei Symbolis et Conciliorum decretis.*

I. Ecclesia Catholica universa a tempore Apostolorum profitetur se credere: *In Deum . . . et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine etc.* Ergo unum, eundemque profitetur Jesum Christum, Filium Dei unicum et natum ex Virgine. Idem Argumentum efficitur ex Symbolo Nicaeno et Constantinopol. In Athanasiano diserte dicitur: *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen,*

sed unus est Christus. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

II. Concilium Ephesinum Anno 431 dogma Catholicum ex professo adversus Nestorium definivit; et anathematismos S. Cyrilli probavit, quorum secundus ita sonat: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasin unitum, unumque esse Christum, eundem nimirum Deum simul et hominem; anathema sit.* His consonat Chalced., cujus verba supra attulimus, et Concilium Constantinopol. II. generale V. Collat. VIII. anathematismo IV.

Probatur III. *Auctoritate Patrum.*

Ex Patribus eos tantum in medium proferemus, qui ante Ephesinam Synodum et Nestorii cum Ecclesia Catholica controversiam floruerunt; neque hos omnes, sed praecipuos, ne infinita sit haec nostra disputatio.

S. *Ignatius Martyr* Epist. ad Ephes. Nro. 20. *Convenitis*, inquit, *in una fide et in uno Jesu Christo secundum carnem, ex genere Davidis, filio hominis et filio Dei.* S. *Irenaeus* in lib. III. toto Capite 18. ex Scripturis adstruit: *Unum et eundem esse Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum. Dionys. Alexandrin.* in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, haeresiarcham illum redarguit, *duas hypstases et duas personas asseverantem unius Christi, et Christos duos, duosque filios.*

Athanasius Orat. IV. contra Arian. Nro. 36. *Christus est Deus homo; unus et idem est, qui ante saecula ex Patre et in ultimis diebus ex Virgine ortus est. Gregor. Nazianz.* Orat. LI. adversus Apollinaristas: *Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex Matre; non autem unum atque eundem induxerit; is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est.*

Ambrosius Lib. de Incarnat. Cap. V. Nro. 36. de Christo sic loquitur: *Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. August.* idem asserit, innumeris in locis. In Enchiridio Cap. XXXV. ait:

Christus Jesus Dei filius est, et Deus, et homo. Deus, quia Dei Verbum: homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. Haec omnia clariora sunt, quam ut explicatione indigeant.

PROBATUR IV. *Theologicis rationibus.*

I. Si in Christo praeter personam Verbi propria esset substantia, seu persona humana; sequeretur, falsas esse has et similes propositiones biblicas: *Verbum caro factum est ex muliere* . . . etc. Sequeretur ut *Boëtius* observat, *ut nullo modo a Divinitate humanitas credatur assumpta. Omnino enim disjuncta sunt, quae aeque personis, naturisque separantur. Nec magis inter se homines disjuncti, quam Divinitas in Christo, humanitasque discreta est, si mansere personae. Est enim hominibus secundum genus communis substantia. Deo vero atque homini, quid non erit diversa ratione disjunctum, si sub diversitate naturae personarum quoque credatur mansisse discretio?*

II. Nestorianorum dogma funditus evertit Incarnationis Mysterium et opus redemptionis humanae. Nam si Deus cum homine ex accidente solum et non hypostatice conjunctus est, nihil singularis, nihil tantopere admirandi habebit Incarnatio; sublatum est Mysterium. Item si duae sunt in Christo personae, divina una, altera humana, nulla potest cogitari Deo digna satisfactio. Illa enim persona divina, quae pretium infiniti valoris offerre potuisset, nec doloribus nec morti fuisset obnoxia: illa autem, quae pati potuit et mortem subiit pro nobis, parem peccatis satisfactionem praestare nunquam potuisset.

III. Si verum esset, quod impie Nestorius docuit; sequeretur, Idololatriae reos esse, qui Christum natum et crucifixum adorarent; quia cultum latriae, qui soli Deo debetur, homini exhiberent, qui alius esset a Verbo. Verum id egerunt omnes, qui unquam extiterunt, Christiani; ne iis quidem exceptis, quos Nestorianus error decepit.

SCHOLION. Valent praeterea ad dogmatis hujus probationem omnia illa Scripturae, Patrum et Conciliorum testimonia, quibus alio loco a nobis evincitur, B. Mariam recte

Deiparam appellari. Ita enim haec duo sibi connexa sunt, ut divelli nulla ratione possint.

Satisfit objectionibus.

Objic. I. ex Script. 1.° Christus ipse Joan. II, 19. de sua humanitate loquens, eam *templum* appellat. *Solvite templum hoc.* 2.° Apostolus ad Philipp. II. ait, Christum humanitatem induisse quasi vestimentum. *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Ergo etc.

Resp. ad I. Recte hoc argumento probatur duas esse naturas in Christo, non autem duas personas. Nam etiam animus noster dicitur habitare in corpore tanquam in suo tabernaculo (II Cor. V. — II Petr. I.); et tamen una persona est hominis, quae ex animo et corpore constat.

Resp. ad II. Quid Apostolus per haec verba: *In similitudinem hominum factus*, intelligat, alio loco explicatum est. Quae sequuntur, nihil aliud significant, quam Christum, quamvis Deus esset, inter homines tamen ut hominem se gessisse, in omnibus similem nobis absque peccato. *Augustin.* putat *a)*, Apostolum ideo adhibuisse verbum *habitu*, σχήματι, ut ostenderet *non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste mutantur; quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit.* Vid. *Cornel. a Lap.* in hunc locum.

Objic. II. ex Patrib. Patres alii Christum vocant *hominem deiferum*, ita S. Basilius apud Theodoret. in reprehensione Anathematismi quinti. — Alii eum *hominem deificatum* vel *dominicum* appellant; ut Athanas., August. etc. — Alii dicunt, a Verbo hominem *assumptum.* Sic August., Ambros. — Alii iterum humanitatem Christi *instrumentum*, aut *templum* divinitatis vocant. Ergo etc.

Resp. nego conseq. In universum hic advertere oportet, Patres omnes, qui ante Concilium Ephesinum extiterunt, in eandem fidem conspirasse, licet non eodem lucuti sunt modo. Liquet enim, voces ejusmodi plurimas a nonnullis Patribus ante usurpatas, a posterioribus esse repudiatas, quod ex iis Haeretici

---

a) Lib. 83. quaest. — q. 73.

insidias tenderent. Exemplum in ipso Augustino habemus, qui cum ante mortem suam de recens exorta Nestorii haeresi audierat, Lib. I. Retract. Cap. XIX. ita se ipsum corrigit. *Non video, utrum recte dicatur, Homo Dominicus, quum sit utique Dominus. Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores Catholicos; sed ubicunque hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi, non esse dicendum.* Huc et illud pertinet, quod *Leontius Byzantius* Nestorianis respondit *a)*: *Non de vocibus nobis est disceptatio, sed de ipsis rebus, et harum nempe naturarum unione, et naturali cohaesione, quam Patres secundum substantiam factam esse senserunt. Vos autem secundum habitudinem et voluntatem eam introducitis; et ista unione anthropolatriam per vim munitis. Quo quid esse potest magis impium?*

Instant I. S. *Chrysostomus*, qui Nestorii antecessor fuit, et quemadmodum Nestorius, ex Presbytero Antiocheno Patriarcha Const. effectus est, in Homil. III. ad Cap. I. Epistolae ad Hebraeos, exponens haec Psalmi XLIV. verba: *dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis*, duas in Christo personas diserte adstruit; ita enim commentatur: *Quid est, Deus tuus? Hic et Judaeos, et Pauli Samosateni asseclas feriit. Quomodo? Judaeos quidem, ostendens duas personas, et Deum et hominem;* et paulo post: *Contra Marcellum vero, quod sint duae Personae divinae per hypostasin.*

Resp. Hic locus jam dudum vexat eruditos. Alii verba ista: *ostendens duas esse personas*, de solo Christo dicta intelligunt, ita tamen ut personae nomine natura intelligatur, non hypostasis. Sed obstat, quod Chrysostomi aetate vocabulum ὑπόστασις passim subsistentiam, non naturam indicaverit, et hoc sensu a Chrysostomo in aliis locis fuerit usurpatum. — Alii econtra verba illa non de Christo, sed de Patre et Filio dicta esse contendunt. Ita enim, inquiunt, verba ex Psalmista citata Judaeos feriunt, quia duplex persona exprimitur, *ungentis* seu Patris, et *uncti*, qui est Christus, Verbum caro factum. — Fusius haec apud *Tournel.* de Incarn. Quaest. VII. Art. I. in confutatione objectionum; ubi pro secunda sententia pugnat. Ve-

a) Lib. III. cont. Nest. et Eutych.

rum et hic difficultas occurrit non exigua; cur enim, si de divinis tantum personis agitur, statim additur: *Et Deum et hominem?* Forsan utraque sententia in eo tantum peccat, quod aliam excludat; prima enim textum de Christo tantum interpretatur Deo et homine; altera de divinis personis tantum; cum de utroque videatur intelligendus. Itaque haec videtur mens Chrysostomi fuisse: *Judaeos quidem feriit, ostendens primum duas personas et* deinde *Deum et hominem,* seu: Hic textus probat contra Judaeos primo plures esse in Deo personas. *Deus, Deus tuus.* Secundo, illam personam, quam Propheta alloquitur, Deum fore et hominem; nam et Deus vocatur, et ungenda dicitur a Deo suo. — Caeterum quidquid sit de hac aut alia quacunque interpretatione; certe non potest ex uno aut alio obscuro textu contra Patris alicujus doctrinam quidquam probari, praesertim cum alias mentem suam claris verbis exposuerit, quae omnem erroris suspicionem tollunt. Quid autem clarius dici potest his S. Chrysostomi verbis ad Caesarium Monachum: *Etsi enim duplex natura, verum tamen indivisibilis, et indissipabilis unio in una filiationis confitenda persona, et una subsistentia.*

Inst. II. Si una tantum est in Christo persona, Catholica est haec propositio: *Unus de Trinitate passus est.* — Atqui id dici non potest Judice *Hormisda* Papa, qui Saeculo VI. illam propositionem damnavit in Scythiae Monachis. Ergo etc.

Resp. dist. min. Eam damnavit ut novam, et aptam ad generandas lites, *conc.;* ut falsam et haereticam, *nego.* Hormisdas professionem illam repudiavit, non tanquam haeretico errore infectam, sed quia timuit ne novorum esset dissidiorum occasio. Hinc in illos Scythiae Monachos acrius invehitur, eosque vocat contemptores auctoritatum veterum, et novarum cupidos quaestionum. Nam propositionem novam, nulla adhuc Conciliorum aut Pontificum auctoritate probatam, illi contendebant ad fidem exprimendam necessariam esse, ita ut ipsa Concilii Chalced. definitio absque hac additione manca esset et imperfecta. Ac haec ipsa propositio, postmodum, cum nulla amplius ratio esset, aut malum sensum, aut pravum aliquem finem suspicandi, a Joanne II. Rom. Pont. et postea a Concilio generali V. fuit probata.

Multum itaque differt illa Monachorum Scythiae professio ab alia, cujus auctor *Petrus Fullonus* dicitur, homo impurus et

haereticus, qui divino huic carmini: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*, quod Graeci *Trisagion* appellant, haec verba subjicere ausus est: *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Haec formula merito a Catholicis repudiata est, quod haeresis suspecta esset. Nam Petrus Fullo hoc addito *Theopaschitarum*, qua imbutus erat, haeresin corroborare voluit; ut ipsum Deum non carne, sed divinitate passum monstraret: quod totum Eutychianae haeresis virus continebat. Vid. *Petav.* de Incarn. lib. V. cap. IV.

Objic. III. *Ex ratione.* Per unionem hypostaticam mutatio facta fuisset in ipsa Verbi persona; nam 1.° Verbum factum fuisset *intrinsece* homo. 2.° Deus homo factus aliter se habuisset post Incarnationem, atque ante fuit: accessisset enim divinae Personae relatio ad naturam humanam. Ergo etc.

Resp. ad I. Duplex est hujus propositionis sensus. Si per *intrinsece* intelligitur, quod unio illa non moralis tantum fuerit, sed personalis et hypostatica; vera est propositio, et dogma Catholicum exprimit. Si autem intelligitur, Verbum humanam naturam in se ipso recepisse tanquam novam formam aut perfectionem, falsa est. Atque in hoc tantum sensu mutationem argueret. *Cum sapientia homini accedit*, ait *Augustin. a), non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit.* Et alio loco *b): Homo Deo quidem accessit, non Deus a se recessit.*

Resp. ad II. Ad novam ejusmodi relationem non est necesse, ut mutatio fiat in duobis extremis; sufficit in uno. Et sane, cum Deus mundum condidit, an non novam relationem acquisivit ad mundum? Attamen mutatus non est. Verbum, quod est infinitum, nihil acquirere, neque perdere quidquam potuit; sed vim suam et perfectionem infinitam effudit in naturam humanam, cui seipsum communicavit citra ullam sui imminutionem. Quidquid autem novi accidit, id omne ad humanitatem pertinet; quae sola perfectione aliqua seu forma supernaturali indiguit, qua elevaretur, et apta fieret ad unionem cum Verbo.

Inst. I. Humana Christi natura sua propria subsistentia carere non potest. Ergo etc.

---

a) Lib. LXXXIII. Quaest. 73. *b)* Epist. CXXXVII, alias III.

Probat. ant. 1.° Natura humana in Christo est integra; atqui natura sua personalitate spoliata integra non esset; ergo etc. 2.° Substantia est, quae per se subsistit, et non in alio, ergo natura Christi humana, si in Verbo subsisteret, substantia non esset. 3.° Persona a *Boëtio* definitur: *Animae rationalis individua substantia.* Atqui humanitas in Christo est substantia individua, seu singularis, cum nihil possit existere nisi individuum, ergo est persona. 4.° Christus est homo; homo autem persona est. 5.° Christus vult, agit etc. ut homo: atqui actiones sunt suppositorum. Ergo, etc.

Resp. ad I. neg. min. Natura humana Christi ideo est integra, quia habet, quidquid ad naturam humanam requiritur: habet enim corpus et mentem. Personalitas autem ipsi necessaria non est, quando potest in perfectiori persona existere. Neque dicas, ita naturam humanam imminui; revera enim ad fastigium perfectionis evehitur. *Incarnatio*, ait S. *Leo*, *humana augens*, *divina non minuens.*

Ad II. Substantia eo sensu dicitur in se esse, aut stare per se, quod alteri ut subjecto non inhaereat per modum accidentis. Humanitas autem Christi per modum substantiae in Verbo subsistit et eo modo, quo in se ipsa subsisteret sublatis imperfectionibus.

Ad III. Jam observatum est, nomine *substantiae* in definitione personae non naturam intelligi, sed subsistentiam. Vid. S. *Thomam* I. p. quaest. 30. Art. I. — Si ad personam sufficeret substantia individua et singularis, anima in homine esset persona. Persona igitur totum aliquod et completum significat, quod sit sui juris, nec alteri communicari possit tanquam supposito.

Ad IV. Christus est homo, et vere quidem, quia habet naturam humanam, corpus scilicet et animam.

Ad V. Omnes Christi actus ad Personam Verbi pertinent, ex hoc principio, quod actiones sint suppositorum. Actiones humanae a Verbo eliciuntur in natura humana, ex cujus fundo prodeunt; atque in hoc sensu natura humana agere dicitur.

Instant II. Si una est Christi persona, sequitur Deum ipsum hypostatice fuisse copulatum cum humano corpore, crasso et sordido; quod utique divinam majestatem quam maxime dedecet. Ergo etc.

Resp. Augustinus et alii Patres exemplis ad eam rem idoneis, et rationibus ostendunt, nihil in eo absurdi esse, et a ratione alieni. Exemplo hominis utuntur, qui corpore constat et anima. Tum et illud asserunt, Deum Verbum mediante anima cum corpore esse conjunctum. *Mens menti ut propinquiori et conjunctiori jungitur, ac per eam carni*, ait *Greg. Naz. a)*. Id certe inficiari nemo potest, animam causam fuisse, cur carnem Christus assumserit, nec potuisse carnem sine mente vel anima cum Verbo in unitatem personae convenire. Unde concludunt SS. Patres, carnem a Verbo susceptam esse media mente et anima. Non ita tamen ut tempore prior fuisset anima quam corpus, sed prioritate, ut dicunt, naturae et dignitatis. Nec Verbum carnem ante formatam assumsit, sed assumendo formavit, neque illa fuit unquam, quin Verbi caro esset, et una cum Verbo hypostasis. Cfr. *Petavius* Lib. IV. Cap. XIII. — *Tournel.* de Incarnat. Quaest. VIII. de natura assumta Art. V. Juvat hic et illud addere S. *Augustini* Serm. I. de diversis. *Quaerere quidam solent, quomodo misceri potuit homo, et Deus. Quaerunt rationem hujus mysterii, cum ipsi nequaquam possint reddere rationem ejus quo fit semper, id est, quo modo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut corporea res, incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur, ita homo conjunctus est Deo, et factus est Christus. Et tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est anima et Deus facilius conjungi, permiscerique potuerunt, quam miscetur una incorporea, id est anima, et corpus, ut persona hominis existat.*

ARTICULUS II.

Stabilitur veritas Catholica contra haeresin Eutychianam.

PROPOSITIO.

Duae sunt in Christo naturae, divina et humana, in una Verbi persona ita unitae, ut utraque distincta permanserit et integra.

ARGUMENTUM I.

Christus verus est Deus, ut cap. I. hujus libri Art. I. probatum est: ergo habet naturam divinam. Est etiam verus

a) Orat. 41. seu Epist. I. ad Cledon.

homo, verum habens corpus ex B. Virgine assumptum, veram animam et mentem humanam, ex Art. II. Capitis I. — Ergo habet naturam humanam integram. Ergo etc. Vid. Coroll. ibid.

ARGUMENTUM II.

Ex Scripturis.

Innumera sunt Scripturae loca, quae de uno eodemque Christo contraria pronuntiant, quae in unam naturam convenire non possunt. Nam Deum esse testantur ab aeterno genitum, aequalem Deo, unum cum Patre etc. et multa alia hujusmodi, quae divinam naturam manifeste ostendunt. Tum mentionem faciunt carnis, factum dicunt in similitudinem hominum, factum ex muliere, Patre minorem, doloribus et morti subditum, quae nonnisi de humana natura intelligi possunt. — Sufficiant haec pauca. — Joan. I. *Deus erat Verbum* ... et *Verbum caro factum est.* Joan. X, 30. Christus ait de se ipso: *Ego et Pater unum sumus* ... et Cap. XVI. *Pater major me est.* Idem pluribus in locis aperte indicat Apostolus, ut in celebri loco ad Philipp. II. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Hic formam pro natura sumi perspicuum est. Item ad Roman. IX, 5. *Quorum Patres et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus in saecula.* Et ad Galat. IV. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere etc.* Manifestum est minime sibi haec cohaerere, nec simul vera esse posse, si una tantummodo natura sit Christi. — Simile argumentum profert *Fulgentius a)* ex I Joan. Cap. V, 20. *Quem verum hominem novit Joannes,* ait, *audiens eum dicentem: Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum* (Joan. VIII, 40.); *eundem verum Deum monstrat dicens: Hic est verus Deus et vita aeterna.*

---

a) Lib. I. ad Trasim. Cap. XVI.

ARGUMENTUM III.

Ex Conciliis et Patribus.

I. Proximo post Scripturas auctoritatis gradu procul dubio sunt Ecclesiasticae Synodi, maxime generales. Sed hae aperte duplici in Christo naturae suffragantur. *Concilium Nicaenum*, postquam divinitatem Filii asseruit, docens eum *natum ex Patre, Deum de Deo* etc.; mox de suscepta hominis natura ita subjicit: *Qui incarnatus et homo factus est.* Consentiunt huic *Constantinopol.* et *Ephesina* Synodus. *Chalcedonensis* ex instituto naturas duas professa est contra Eutychis haeresin. Unde in definitione fidei declarat: *Unum eundemque Christum ... in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem.*

II. Unanimem SS. Patrum consensum ab Apostolorum temporibus ad Ephesinam usque et Chalcedonensem Synodos, *Theodoretus, Leontius*, aliique, qui adversus haereticos suae aetatis scripsere, plane demonstrant. Multa quoque eorum testimonia in Concilio Chalced. recitata sunt. Unde non putamus hic a nobis exscribenda, nisi haec pauca. *Tertull.* de carne Christi Nro. 5. ait: *Utriusque substantiae census hominem et Deum exhibuit, hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde spiritualem: hinc morientem, inde viventem. Gregor. Naz.* Orat. de Nativit. *Duplex erat in eo natura. Chrysost.* Homil. de Ascens. *Sociavit utramque naturam.* S. *Cyrillus Alexand.*, cujus quidam in hoc puncto orthodoxiam suspectam habuerunt, ita scribit ad Nestorium, Epistola IV. *Quamvis naturae sint diversae, vera tamen unione coëuntes unum nobis Christum et Filium effecerunt: non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit.*

ARGUMENTUM IV.

Ex rationibus Theologicis deductum.

Prima ratio, qua Patres Eutychianos impugnarunt, ita a *Ferando* proponitur *a). Qui ex duabas naturis in Do-*

a) Epist. ad Anatol.

mino J. C. unam factam fatetur, dicat mihi, quae harum perierit, ut una fieret ex duabus: divina perire non potuit, humana non debuit. Aut si nullius audet asserere perditionem; dicat utrum sit altera in alteram commutata: et si alteram in alteram potuisse commutari suspicatur, dicat rursus utrum divinitas in carnem, an in divinitatem caro conversa sit. Tum utrumque quam sit absurdum, demonstrat. Sed neque ex utraque natura una quaedam tertia coalescere potuit, ut homo ex corpore et anima. Tunc enim Christus neque Deus esset, neque homo, set tertium aliquid ex utroque mixtum et novo nomine donandum; quod iterum penitus absurdum est.

Aliud argumentandi genus est, quod Veteres libenter usurparunt; nempe quod in Scripturis diversa quaedam et secum pugnantia dicantur de Christo, quae conciliari aliter non possunt, quam si alia divinae, alia humanae naturae propria esse fateamur: nam ut optime S. Joan. Damasc. ait *a), fieri non potest, ut in una natura contrariae sint naturales proprietatis.*

Postremo illud addendum est, destrui omnino reparationis humanae Mysterium, nisi duae sint in Christo naturae, quarum una, scilicet humana, satisfactionis materiam subministrare debuit patiendo; altera, nempe divina, oblato in satisfactionem pretio valorem infinitum communicare.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Objic. I. Scripturae innuere videntur factam esse in Incarnatione divinae naturae mutationem in humanam. Sic Joan. I. dicitur: *Verbum caro factum est.* Et ad Philipp. II. Filius Dei — *se ipsum exinanivit formam servi accipiens.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Vocabulum illud ἐγένετο, *factum est*, nullam in Deo mutationis suspicionem, sed arctissimam unionem insinuat, et humanae carnis veritatem, ut praeter alios docet *Chrysostomus* Hom. II. et X. in Joan. Semetipsum autem *exinanivit* Filius Dei, non conversione divinitatis in carnem, sed ipsa carnis assumptione ... *factus obediens*, ut ibidem Apostolus

---

a) Lib. IV. Cap. XIX.

ait, *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Non potest major cogitari exinanitio, quam cum ... *suscepta est a Majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis naturae est unita passibili.*

Objic. II. 1.° Patres, cum de Incarnationis mysterio loquuntur, frequenter exemplo hominis utuntur, ex duabus partibus compositi; et vulgatum Athanasii Symbolum disertis verbis ait: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.* Ergo, sicut una est in homine natura composita ex anima et corpore, ita et in Christo una est ex Verbo et homine composita natura. 2.° *Gregor. Thaumat.* in expositione fidei, citat. ab *Eulogio* Patriarch. Const. apud *Photium* Cod. 230. haec habet: *Non duae personae, neque duae naturae; non enim quatuor nos adorare dicimus.* In eandem sententiam *Julius* Rom. Pont. in Epist. ad *Dionysium* Corinth. Episcopum scribit: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari, in humanam non baptizari.* Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Nulla est rerum similitudo tanta, ut non aliquid sit in quo discrepent. Ideo Patres, et post eos Theologi exemplo hominis usi sunt, ut contra Nestorium ostenderent, unum Dei Filium, unumque Christum ex duabus naturis existere posse, quae proprietates suas sine ulla confusione retinent; quemadmodum unus homo ex duabus naturis omnino diversis componitur, quae propriam servant in unitione differentiam: neque obesse, quod, quomodo haec fiant, non intelligamus; cum nec illud intimum spiritalis et materialis substantiae in uno homine consortium explicare possimus. Porro, si quaeritur, cur in Christo non etiam fiat una natura ex duabus; quemadmodum ex duabus partibus, ex quibus homo componitur, non unus tantum homo, sed una humana natura constituitur; respondemus, causam rei unicam esse, quod in Christo naturae ambae perfectae sint, et integrae. Nam Dei Filius perfectam sibi naturam nostram copulavit. Vid. *Petavius* de Incarnat. Lib. III. Cap. X.

Resp. ad II. Sufficeret id, quod jam alias dictum est; Veteres non raro naturae vocabulum pro persona usurpasse. Verum omnem difficultatem tollit responsio *Leontii Scholastici* dicti, qui

in fragmento adversus Apollinaristas Patrum depravatores haec habet: «Ex haeresi Apollinaris, vel Eutychis, vel Dioscori cum « vellent suam haeresin confirmare, quasdam orationes Apollina- « ris Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripse- « runt, ut simpliciores fallerent. »

INSTANT. Ecclesia universa approbavit doctrinam S. *Cyrilli* Alexandrini Episcopi. Atqui Cyrillus unam tantum in Christo naturam docuit. Ergo etc.

PROBAT. MIN. Epist. ad Successum ait: *Post unionem naturam alteram ab altera non dividimus . . . sed unum asserimus Filium, et, ut sancti Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* In eadem Epist. iterum ait: *Post unionem naturas ab altera non dividimus.* Et Epist. II. ad Successum docet, *duas naturas sola mentis consideratione distingui.* Ergo etc.

RESP. NEG. CONSEQ. Observandum praeprimis est 1.° *Cyrillum* ante Eutychetis haeresin scripsisse, et totum in eo fuisse, ut Nestorium confutaret. 2.° Eum saepe naturam pro hypostasi usurpare, aut certe, quod et aliis Patribus familiare est, naturae tribuere, quod ei secundum se non convenit, sed quatenus hypostasis est. 3.° *Cyrillum* naturarum distinctionem pluribus in locis manifeste tradidisse. Vide quae in probatione a nobis citata sunt. In epist. XXVIII., quam ad Joannem Antiochenum scripsit, errorem, qui postea Eutychianorum fuit, diserte a se repellit. *Eorum ora, inquit, qui dicunt conversionem, confusionem, permixtionem factam esse, dignetur tua sanctitas comprimere; verisimile enim est, aliquos esse, qui de me jaciunt impulsus, ac si eadem senserim.* Unde ad objectos Cyrilli textus respondetur:

1.° Qui *unam Verbi naturam incarnatam* confitetur, eo ipso duplicem adstruit, unam quae carnem assumpsit, et alteram carnis assumptae. Nam id ipsum significant illae voces: *una Verbi natura incarnata*, ac Joannis Evangelistae brevis illa sententia: *Verbum caro factum est.*

2.° Recte omnino Cyrillus ait, naturas post unitionem non dividi; sunt enim inseparabiliter in Verbi Persona coadunatae. Quo et illud spectat, eas ratione tantum, seu cogitatione divelli posse; seu, ut Cyrillus ipse loquitur, inter duas Christi naturas differentiam esse, non divisionem, *διαφοράν*, non *διαιρέσιν*. Unde lib. II. cont. Nestor., postquam negavit duplicem esse Christum,

statim subjicit, humanitatis ac Deitatis maximam esse differentiam sive distantiam.

3.° Cum demum ait duas naturas in Christo sola cogitatione distingui; per verbum *distingui* idem intelligit, ac *separari*, aut *dividi*. Nam ibidem exemplo utitur animae et corporis, quae profecto inter se diversa esse et distincta non dubitavit.

CAPUT TERTIUM.

CONSECTARIA.

Ut in exponendo Dominicae Incarnationis mysterio nihil praetermittamus eorum, quae ad doctrinam Catholicam pertinent; necesse est, ut ea nunc prosequamur, quae ex primo et secundo capite tanquam consectaria fluunt et ex iis, quae de Christi divinitate et humanitate, et utriusque in una Verbi persona admirabili unitione dicta sunt, facili negotio dissolvuntur. Consectarium primum quasi corollarium haberi potest illius dogmatis, quod contra Eutychianos definitum est, nempe humanam naturam in Christo integram mansisse post unitionem. Reliqua omnia ad doctrinam pertinent unionis hypostaticae et ex ea legitima consequentia deducuntur.

Respondebimus itaque ad quaestiones sequentes:

I. An duplex sit in Christo voluntas et operatio?
II. An detur in Christo vera idiomatum communicatio, et quo sensu ea sit admittenda?
III. An B. Virgo vere et proprie sit Deipara?
IV. An Christus homo filius Dei naturalis sit, an adoptivus?
V. Quae dotes et proprietates in animam Christi redundarint, per ejus cum Verbo unitionem?
VI. An humanitas Christi eadem cum Verbo adoratione sit colenda?

§. I.

An duplex sit in Christo voluntas et operatio?

Monothelitarum Haeresis.

I. Eutychianorum ac Monophysitarum sectae propago quaedam fuit Monothelitarum Haeresis, quae unicam in Christo

voluntatem et *ἐνεργείαν*, id est, operationem constituit. Levi ex occasione initium sumpsit. Cum *Heraclius* Imperator anno
630 imperii XX. in Oriente versaretur, adiit eum *Athanasius* quidam, Patriarcha Eutychianorum, qui in Syria et Armenia Jacobitae vocabantur. Imperator spem injecit Athanasio Antiocheni Episcopatus, si Concilium Chalcedonense approbaret, et duas in Christo naturas profiteretur. Hic assensit, sed vicissim astute rogavit, an duplicem etiam in Christo voluntatem et actionem admittere oporteret? Ad hanc percontationem haesitans Imperator *Sergium* Patriarcham Const. per litteras consulit, qui cum et ipse Syrus esset, et clanculum eidem haeresi addictus, respondit ex Jacobitarum sententia. Athanasio et Sergio ad fallendum Imperatorem se adjunxit *Cyrus*, primum Phasidis in Colchide, deinde Alexandriae praesul. Hic cum *Theodoro* quodam Pharenae in Arabia Episcopo communicatis consiliis, novum sectae incrementum dedit; et unius voluntatis ac operationis publice proposito dogmate, etiam *Acephalos* ad ineundam concordiam adduxit.

Erat tunc Alexandriae *Sophronius* Monachus, vir aeque doctus ac sanctus; qui apud Cyrum primum, tum apud Sergium Constant. causam fidei strenue defendit. Mox Hierosolymitanus
633 Episcopus factus, cum videret malum in dies latius serpere, litteras Roman misit ad *Honorium* Pontificem, eumque certiorem reddidit de nova Monothelitarum haeresi. At Sergius eodem tempore scripsit ad Honorium, maligne Sophronii mentem interpretatus, quasi inde consequens esset, duas esse in Christo contrarias voluntates. Addit, sibi consultius videri, ut nec una, nec duae operationes nominentur, sed unus duntaxat operans. In tota porro epistola in Monothelitarum haeresin aperte inclinat. Honorius consilium Sergii probavit, et anno 638 mortuus est.

639 II. Mortuo jam Honorio Heraclius fidei *Ecthesin* (*ἐκθέσιν*) seu *expositionem* promulgavit, auctore Sergio, qua prohibuit, nequis unam, aut duas voluntates nominaret, et operationes; et tamen velut aliud agendo unam Christi operationem insinuat. Cum videret Imperator Ecthesin suam Romae a Joanne IV. damnatam, scripta ad Papam epistola professus est, non se auctorem
641 illius fuisse, sed Sergium. Heraclio successit *Constantinus* ejus filius, princeps Catholicus, qui post quatuor menses successorem

habuit *Heracleonam* fratrem suum. At hunc quoque post sex menses depositum excepit *Constans* pessimae indolis princeps, et Monothelitarum haeresis acerrimus propugnator. Hic novum edictum promulgavit, quod *Typus* dicitur, et quo vetitum fuit, 648
ne quis unam aut duas in Christo operationes et voluntates usurparet. Sedem Const. post Sergium occupavit *Pyrrhus*, Monothelita. At post mortem Constantini Heraclii filii, quem veneno a noverca Martina Augusta dato extinctum ferebant, Pyrrhus, qui particeps habebatur hujus consilii, sede sua ejectus in Africam confugit, ubi celebrem cum S. *Maximo* collationem habuit. In ea victum se dedit Pyrrhus, et Romam profectus damnata haeresi a *Theodoro* Joannis IV. successore in communionem receptus est. At brevi iterum assumpta haeresi ab eodem Theodoro anathemate percussus est, una cum *Paulo*, qui ei in Const. sede successerat. Paulum excepit *Petrus* eadem Monothelismi labe contactus. Romae mortuo Theodoro, *Martinus* electus est. Hic adversus Monothelitas Lateranensem Synodum coëgit ex CV. Episcopis; in qua 649
Ecthesin, et *Typum* damnavit, nec non Sergium, Pyrrhum et Paulum Const. Patriarchas, cum Theodoro Pharanite, et Cyro Alexandrino. Imperator ira excandescens Martinum vi Roma ab- 655
ductum, et variis modis vexatum, Chersonam relegavit, ubi aerumnis confectus obiit.

III. Constans cumulatis sceleribus, Deo, hominibusque invisus Syracusis per insidias occiditur, et successorem habet *Con-* 668
stantinum filium suum, qui *Pogonatus*, id est, *Barbatus* cognominatur. Hic constituta imperii tranquillitate, totum se ad recuperandam Ecclesiae pacem convertit. Itaque Concilium Const. coactum est, quod est generale VI. et Const. III. Sedit tunc Romae *Agatho* Papa, qui Legatos tum Romanae Sedis, tum Con- 680
cilii quod ipse Romae celebraverat, una cum litteris dogmaticis Const. misit. In eo Concilio quinque prioribus Synodis approbatis, Monothelitarum haeresis damnata est. Actione XVII. nominatim notati sunt hujus haeresis principes, et anathema dictum *Theodoro* Pharanensi, *Sergio*, *Pyrrho*, *Paulo*, et *Petro* Patriarchis Const., *Honorio*, Papae veteris Romae, *Cyro* Alexandrino, *Macario* Antiocheno, et discipulo ejus *Stephano*. Ita scilicet in actis Concilii legitur. Subscipserunt post Legatos Agathonis CLXV. Episcopi.

IV. Ex Monothelitis et Patribus, qui cum iis conflixerunt, palam est, eos voluntatem cum operatione non confudisse. Ab initio de *operatione* sola nominatim facta fuit mentio. Et Cyrus ipse in anathematismo suo septimo unam *Theandricam operationem* fatendam edixit; de voluntate autem silet. — Deinde unam ἐνεργείαν timide et diffidenter professi sunt, sed unam voluntatem apertius et constantius docuerunt. Postea demum crescente audacia utrumque negarunt, et duas esse operationes in Christo et duas voluntates. Porro Monothelitae non solas facultatum actiones, sed ipsas quoque vires, et facultates humanae Christi naturae ademerunt. Unde merito a Patribus eo nomine sunt postulati, quod Arii, et Apollinaris haereses instaurarent, cum natura omnis, quae actione caret sua, nihil sit prorsus. Nam naturam Christi humanam sic merum divinitatis organum statuebant, ut, quemadmodum corpus ab anima movetur, ita in Christo sola esset actio divina, quae in anima et corpore reciperetur. Solam ergo animae et corporis substantiam agnoverunt; vim autem agendi, et actionem ipsam sustulerunt.

De Honorii condemnatione.

Pauca de hoc argumento libabimus, nam magna est hac de re inter Theologos contentio, nec nostrum esse putamus tantas componere lites. *Bellarminus*, *Baronius*, cum quibusdam aliis, Epistolas *Honorii* a *Monothelitis* depravatas, acta autem sextae Synodi a Graecis interpolata fuisse suspicantur. Haec sententia paucis probatur, imprimis quia eadem, quae in sexta Synodo pronuntiata sunt anathemata, quae consecutae sunt Synodi septima et octava confirmant. Ergo damnatus Honorius? Omnes pene in hoc consentiunt: at nihilominus in diversissimas iterum abeunt sententias. Sunt qui eum in Monothelitarum errore revera haesisse opinantur. Ita Haeretici recentiores plurimi, Catholici perpauci. Neque difficile est hanc ab Honorio suspicionem depellere. Vid. *Petav.* de Incarn. Lib. I. Cap. XXI. — Unde autem damnatus, si nulla haeretica labe contactus fuit? *Arnaldus* et alii ex Jansenistarum Secta contendunt, Concilium sensum Honorii non bene assecutum. Sed patet virorum illorum consilium; sic enim manifestum esse putant, Ecclesiam in factis dogmaticis non esse infallibilem. Alii iterum Honorium ajunt

non fuisse oecumenice damnatum, et Concilium in hac parte non fuisse approbatum a sede Apostolica. Alii demum longe plures eum dicunt ideo anathemate damnatum, quod *Sergio* rescribens ejus judicium et sententiam laudaverit, quamvis a S. *Sophronio* de nova haeresi, et callidis Haereticorum effugiis admonitus; sicque fautor factus fuerit haeresis, et quam in ortu suo comprimere sua auctoritate debuisset, eam crescere, et dilatare se permiserit intempestivo pacis studio, et ratione agendi timida nimis et ancipiti. Ita *Petrus de Marca, Natal. Alexander, Gravesonius, Pagius* etc.

PROPOSITIO.

Duplex est in Christo voluntas et operatio.

ARGUMENTUM I.

Omnia illa, quibus contra Eutychianos duplicem Christi naturam probavimus, argumenta, eadem duplicem quoque voluntatem et actionem demonstrant. Nemo enim vult per alienam voluntatem, quemadmodum et *impossibile est, esse naturam, et operationem non habere naturae,* ut *Agatho* Papa scribit ad Constantinum Pogonatum. *Ex operationibus,* ait *Sophronius* ad Sergium, *naturae dignoscuntur et substantiarum discrimen ex operationum discrimine perpetuo naturaliter comprehenditur.*

ARGUMENTUM II.

Ex divinis Scripturis.

1.° Christus ipse non semel voluntatem suam a voluntate Patris diserte distinguit. Joan. VI, 38. *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ibid. Cap. V, 30. *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* At imprimis cum passioni proximus ita Patrem precatur: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. XXVI., vel ut Lucae XXII. habetur: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Jam si in Christo voluntas fuit, a voluntate Patris distincta,

illa alia esse non potest, quam humana; voluntas enim divina eadem est in Patre et in Filio.

2.° Huc quoque ea Scripturae loca spectant, quibus Christus et contristatus, et indignatus, et turbatus dicitur. Haec sane non sunt divinae, sed humanae voluntatis; uti loqui, ambulare, sitire, pati etc. et aliae actiones humanae complures, quibus Christus fidem facere voluit suae humanitatis. Sed et illud argumentum non exigui ponderis est, quod ex Christi obedientia desumitur: haec enim voluntatem et operationem humanam testatur a divina prorsus distinctam. Unde Apostol. ad Hebraeos X. illud Psal. XXXIX. de Christo interpretatur: *Sacrificium et oblationem noluisti. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Deus meus volui.* Ipse autem Apostolus ad Philipp. II. de Christo ait: *Factus obediens usque ad mortem. Si volens et obediens fuit, non quatenus Deus, sed quatenus homo.* Ut contra *Pyrrhum* argumentatur S. *Maximus.*

ARGUMENTUM III.

Ex Concilii generalis VI. et Patrum auctoritate.

Necesse non est, Sanctorum Patrum in hanc rem testimonia proferre, cum vocem totius Ecclesiae habeamus in Concilio generali adversus hanc haeresin emissam. Ita a Concilio VI. actione XVIII. definitum. *Duas naturales voluntates in eo* (Christo) *et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam praedicandas.* Constat autem Concilii decretum nonnisi post longas discussiones editum fuisse, et postquam multa Patrum testimonia recitata fuerant, quibus continua Traditionis series ostendebatur.

ARGUMENTUM IV.

Ex rationibus Theologicis petitum.

I. Est, quam supra jam attigimus, quod si duas in Christo naturas, easque perfectas profitemur, duae itidem

voluntates et actiones necessario confitendae sint. Sublata enim omni facultate et actione humana, consequens est, ut natura quoque humana funditus tollatur.

II. Verbum Dei id assumpsit, quod sanavit: Ergo etc. Hoc argumentum urget S. *Joan. Damasc.* Orat. de duabus Christi voluntatibus. *Si non assumpsit humanam voluntatem*, ait, *remedium ei non attulit, quod primum sauciatum erat: quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut ait Gregorius Theologus. Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?*

III. Est, quam S. *Maximus* affert in disputatione contra Pyrrhum. Si una tantummodo est Christi operatio, eaque divina; nonnisi Deus est. Si humana, non Deus, sed nudus est homo. Si composita, aut neutra, Christus nec Deus erit neque homo; aut certe eadem actio est creata simul et increata: nihil enim est inter haec duo medium, nec fieri potest, ut una et eadem operatio divina simul sit et humana.

Respondetur ad argumenta haereticorum.

Objiciunt I. 1.° Si duae sunt in Christo distinctae voluntates, necesse est illas quoque discordes admittere et contrarias. Humana quippe natura mortem refugiebat, *transeat a me calix iste*, divina eam imperabat. 2.° Ubi unus est operans, una quoque est operatio: actio quippe personam consequitur, juxta vulgare axioma: Actiones sunt suppositorum. 3.° In homine una est tantum voluntas, una operatio, quamvis ex duplici natura constet. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Voluntas Christi humana divinae semper conformis erat, et subdita. Duae erant consentientes voluntates, et ideo duae, quia consentientes. Unde verba illa: *Transeat a me calix iste*, naturalem quemdam horrorem exprimunt, quo humana natura mortem aversatur; sed nullam voluntatis oppositionem: ait enim: *Non mea sed tua voluntas fiat.* Et Joan. VIII.: *Ego, quae placita sunt ei, facio semper.*

Ad II. neg. iterum ant. Non ex personarum, sed ex naturarum numero repeti debet varietas operationum. Unde in Deo una est actio, quia una est natura. Illud autem Scholae effatum eo tantum sensu accipiendum est, quod actiones, quamvis in na-

tura fiant, personis attribuantur; quia natura agere nihil potest, nisi actu subsistat. Vel, ut Scholae loquuntur, principium *quod* actionis est natura subsistens seu persona, principium autem, *quo* actio elicitur, est natura per se ipsam considerata.

Ad III. neg. conseq. Natura hominis una est, non duplex, quamvis ex duabus substantiis composita. Deinde non potest esse voluntas in corpore, ut per se clarum est.

Objiciunt II. 1.° Patres passim docent humanitatem Christi organum et instrumentum fuisse divinitatis. 2.° Dicunt Christum fuisse sine carnalibus voluntatibus et cogitationibus, quia solius divinitatis voluntas in eo fuit. Ita inter alios *Athanasius* Lib. de salutari adventu Christi. 3.° *Monothelitae* multa citarunt Patrum testimonia, quibus hi unam in Christo voluntatem asserere videntur. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Humana Christi natura divinae instrumentum fuit, in iis, quae humanas vires excedebant; aut in eo sensu, quod Christus, ut nos redimeret, in humanitate ea agere et pati debuerit, quae agere et pati per se non potuit divinitas.

Ad II. Cum Patres dicunt, solius divinitatis voluntatem in Christo fuisse, intellige, eos a Christo excludere omnes pravas et carnales voluntates. Divinitas enim omnes humanitatis actiones singulari ratione regebat, et moderabatur.

Ad III. Quae a *Monothelitis* ex SS. Patrum monumentis deprompta sunt testimonia, aut ementita erant, aut depravata, aut a vero sensu detorta. Haec fusius in VI. Synodo excussa et ad oculum demonstrata sunt, et jam antea a SS. *Sophronio* et *Maximo*, aliisque fidei defensoribus, qui contra *Monothelitas* pugnarunt.

Objic. III. Monothelitae unam in Christo operationem asserentes nihil aliud docuerunt, quam quod ab antiquissimis Patribus acceperant, nempe unam esse Christi operationem theandricam, seu *Dei-virilem*, θεανδρίκην ἐνεργείαν. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Celeberrimae illius *theandricae* operationis primus auctor Dionysius Areopagita dicitur, a quo illam se accepisse olim tam Catholici, quam Monothelitae gloriati sunt. De illo Dionysio, ejusque scriptis non est hic disserendi locus. Id certum, neminem, qui antiquos illos Patres accurate legerit, eo-

rumque locos, in quibus operationis *theandricae* meminerunt, latere posse, quantum inter hos, et haereticos distet, et quam dissimili mente ac sensu operationem illam utrinque sint interpretati. *Sophronius* et *Maximus* triplex actionum genus in Christo distinguunt. *Siquidem alias*, ait S. Maximus *a)*, *tanquam Deus solum operatus est* (Christus); *quando Centurionis puerum sanavit absens. Alias tanquam homo solum, quamvis esset et Deus; quando comedebat, et tristabatur. Mistim vero et communiter operatus est miracula; cum et coecis inunctione oculos restituit, et sanguine profluentis foeminae solo tactu profluvium compescuit.* Harum trium operationum postremam solum a Dionysio voce θεανδρικῆς designari arbitratur S. Maximus. Hanc actionum differentiam S. *Joannes Damascenus b)* exemplo illustrat hominis ex anima et corpore constantis. Nam in homine sunt actiones quaedam mentis propriae, ut cum cogitationes suas, et notiones ipsa concipit, nec foras emittit; aliae ad solum corpus pertinent, ut tactus; alias demum mens per corpus exercet, ut cum animi sensa lingua et sermone profert. Verum nihil nos cogit, *theandricas* operationes ad sola miracula restringere; omnes enim Christi actiones recte *theandricae* dici possunt; non eo sensu, quod utriusque naturae ἐνεργείαι unam aliquam tertiam efficiant ex utraque mixtam, quod absurdum et haereticorum commentum; sed quia in uno supposito sive persona conveniunt. Omnis scilicet Christi actio etiam humana vim habet et pretium a Verbi persona, quae naturam assumptam afficit, eamque ad divinum provehit statum. Unde et mutua oritur utriusque naturae commeatio, quam Graeci Patres exemplo ferri candentis explicare solent. Eadem est operationum, quae naturarum ratio: sicut ergo divinae naturae cum humana arctissima est et intima communio, sic et divinae operationis cum hominis operatione similis erit societas. *In tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis Deitate et humanitate connexa*, ait S. Leo *c)*; *ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana.*

---

a) In Scholiis ad Epist. IV. Dionysii. *b)* Lib. III. cap. XV. *c)* Epist. LXXXIII.

§. II.

De mutua proprietatum, seu idiomatum communicatione.

OBSERVANDA.

I. Ex arctissima illa conjunctione, qua Christi divina et humana natura inter se nectuntur, oritur naturae utriusque penetratio, aut pervasio, quam Graeci περιχώρησιν, Latini *circuminsessionem* vocant. Sicut enim in Trinitatis Mysterio necesse est Personarum circuminsessionem admittere propter naturae unitatem: ita in Sacramento divinae Incarnationis naturarum circuminsessio est propter unitatem personae. Porro naturarum intima unitio in una hypostasi, et inde sequens mutua circummeatio, radix est et fundamentum illius *communionis idiomatum*, de qua nobis nunc sermo est, et quam Graeci ἀντίδοσιν vocant. Haec recte definitur: *Mutua et reciproca attributorum, proprietatumque naturae divinae et humanae praedicatio.* Hinc S. *Maximus* in disputatione cum Pyrrho optime ait, eam locum habere, *quando illa, quae utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria reddantur, propter inexplicabilem unitionem; nulla unius in alteram secundum naturalem rationem mutatione, confusioneque facta.*

II. Igitur nunquam illud ex animo dimittendum est, idiomatum communionem ex illa mirabili unitione proficisci, quae in mysterio Incarnationis facta est. Verum, quamvis ex naturarum conjugali nexu unus effectus sit Christus, homo Deus; servat tamen utraque suam proprietatem; unde consequitur, ita unius naturae attributa transfundi in aliam, ut tamen non fiant illius naturae attributa. Pulchre haec declarat *Leontius* in solutione argumentorum Severi. *Non fieret mutua communicatio idiomatum, nisi in utroque maneret etiam in unione immobilis proprietas. Est igitur hujusmodi unio magis una, quam illa, quae omnino dividit: et copiosior quam illa, quae penitus confundit; ut quae neque faciat penitus idem esse, quae inter se unita sunt, neque penitus diversum.* Ab hac Christianae Religionis sincera et orthodoxa fide in partes oppositas recesserunt tum *Nestoriani*, tum *Lutherus*, et ex ejus discipulis quidam, quos *Ubiquistas* nominare solent. Et *Nestorius* quidem sublata unione hypostatica utriusque naturae, omnem quoque idiomatum communionem

funditus evertit. Quare Deum incarnatum, aut natum, aut passum dici non ferebat. Ubiquistae econtra ipsas divinae naturae proprietates humanae communicatas fuisse asserunt. Quanquam non de omnibus Dei proprietatibus hoc existimant, sed de quibusdam solum; imprimis autem de immensitate, quam *omnipraesentiam* vocant; rati, ex eo, quod Verbum sive Deus ubique est, idipsum et humanitati assumptae fuisse concessum; ita ut vere dici possit: *Humanitas Christi est ubique.* Novam hanc faecem Eutychianae haeresis primum protulit Lutherus in *confessione de Coena Domini;* eamque subin latius propagavit *Brentius,* qui idcirco Ubiquistarum quasi parens habetur.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo communicatio idiomatum ratione subjecti; vel in concreto, ut Scholae loquuntur.

Probatur. Neminem latere potest, hanc esse Scripturarum consuetudinem, ut, cum de Christo loquuntur, quae uni naturae propria sunt, in aliam transfundant. Patres exempla ejusmodi plurima contra haereticos afferunt, illamque vocum et proprietatum permutabilem vicissitudinem ex naturarum unitione manare docent. Nam si una tantum in Christo persona est, sequitur de eadem praedicari posse attributa utriusque naturae; ita ut de Verbo dicantur, quae humana sunt, et de homine, quae divinae naturae sunt propria. Hinc illa Scripturae loca: *Verbum caro factum est . . . et . . . Cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit.* Philipp. II. Hinc *Filius Dei* dicitur *factus ex muliere,* et *Dominus gloriae crucifixus.* Et vicissim, qui *oculis visus,* et *manibus contrectatus est, verbum vitae* vocatur. I Joan. I. Plura depromere superfluum ducimus; probatur enim haec nostra assertio iisdem prorsus argumentis, quibus contra Nestorianam haeresin dogma Catholicum propugnavimus. Vid. Cap. II. Art. I. Mittimus quoque, et eadem ratione ducti, Conciliorum et Patrum testimonia; unius *Augustini*, et vetustioris *Origenis* brevissima verba sufficiant. Primus *a)* unitatem personae Christi Jesu D. N. ait sic ex

a) Lib. cont. Sermon. Arianor. Cap. VIII.

natura utraque constare, *ut quaelibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, et divina humanae, et humana divinae.* Alter in Epistolam ad Rom. ita scribit: *Per indissolubilem unitatem Verbi et carnis omnia, quae carnis sunt, adscribuntur et Verbo; quomodo et quae Verbi sunt, praedicantur de carne.*

PROPOSITIO II.

Nomina, quae unam naturam praecise significant, vel, ut vulgo dicitur, quae uni naturae propria sunt sensu formali, aut in abstracto, non possunt alteri communicari.

Prob. Communicatio idiomatum ex hac quasi radice enascitur, quod duae sint naturae in una Verbi persona. Quemadmodum autem naturarum hypostatica unitio efficit, ut promiscue quae Dei sunt de homine, et quae hominis sunt de Deo enuntiari possint; sic et naturarum differentia vetat, ut non *secundum formam,* quae unius naturae sunt, alteri attribuantur, neque permutentur mutuo, quae in Scholis abstracta dicuntur, ut sunt *divinitas* et *humanitas.* Itaque cum *homo Deus,* et *Deus homo* dicitur, non sic intelligendum est, ut hominis natura, sive forma ipsa, naturam et proprietatem divinitatis acceperit; et vicissim Deus in natura sua novam formam admiserit: sed ut idem suppositum utrumque capiat. Unde tolerari non potest illa quae in abstracto fieret proprietatum communicatio: ut immensitas. Haec enim in rationem aeque ac fidem offendunt, et faecem Eutychianam redolent. *Divinitatem cum dicimus,* ait *Damascenus* lib. III. cap. IV., *de ea, quae sunt humanitatis propria neutiquam affirmamus. Non enim dicimus divinitatem patibilem aut creatam.*

COROLLARIUM.

Ergo Humanitas Christi non potest dici ubique praesens.

Prob. I. Ubiquistarum haec opinio est: a tempore, quo *Verbum caro factum est,* ea, quae divinitatis propria sunt, in carnem sic esse transfusa, ut in illa proprie, et

ut loqui solent, formaliter insint, et eam afficiant, ita ut vere dici possit, humanitatem Christi esse immensam, omniscium etc. Atqui ejusmodi proprietatum communicatio admitti non potest; ex Proposit. II. Ergo etc.

Prob. II. Extant praeterea aperta Scripturae testimonia, quae Christum qua homo est loco circumscriptum esse significant. Primum quidem eum, quamdiu mortalis inter homines vixit, ubique praesentem non fuisse tot loca testantur, quot eum ambulasse dicunt et de uno in alium locum transiisse. Sic Joan. XI. Christus ait: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis, quia non eram ibi.* Matth. ultimo Angelus ad mulieres ait: *Surrexit, non est hic.* Sed et post resurrectionem gloria jam et immortalitate donatum certo loco contineri Scripturae aperte declarant. Lucae XXIV, 51. *Recessit ab eis et ferebatur in coelum.* Actor. I, 11. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.*

Prob. III. Patrum, tum Graecorum, tum Latinorum, qui haeresin istam suffragiis suis condemnarunt, longissimam seriem texuit Doctiss. *Petavius*, lib. X. cap. VIII. et IX. Loco omnium sint Graecorum unus et unus Latinorum. S. Chrysost. in haec verba Marthae Joan. XI. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* . . . ita commentatur: *Nescit mulier, Christum corpore minime praesentem, divinitate adesse; sed praesentia corporis vim praeceptoris metitur.* S. *August.* epist. LVII. habet: *Secundum hanc formam* (humanitatem) *non est putandus ubique diffusus.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argument. contra I. et II. Propos. Idiomatum communicatio nihil est aliud quam idearum et rerum diversissimarum confusio, qua divina humanis miscentur, et contraria ac inter se pugnantia promiscue usurpantur: quis enim ferat has aut similes propositiones: *Deus est homo — Deus est mortuus* etc. et iterum: *Homo Deus est — Homo omniscius est* etc.? Ergo etc.

Resp. nego ant. Equidem propositiones istae, si generatim enuntiantur nulla ratione habita hypostaticae unionis, secum ipsae pugnant; quia voces *Deus* et *homo* tunc vim abstracti habent, aut in sensu, ut ajunt, formali sumuntur: ac si diceretur: *Deus ut Deus est homo — Homo ut homo est omniscius.* Verum Christo applicatae nihil habent, quod rationem offendat, et ex Catholico Incarnationis dogmate fluunt. Idem enim sonant ac istae: *Christus, qui Deus est, est etiam homo. — Idem ille Christus, qui homo factus est, est etiam Deus, omniscius* etc. Sic nemo offenditur hac propositione: *Homo est animal rationale*, quamvis animalis aut corporea natura secundum formam suam rationalem excludat. Quis autem ferre haec posset: *Corpus hominis est rationale; anima hominis est corporea?*

Inst. Si ita licet vocabula miscere, et proprietates naturarum permutare, nihil jam fixum certumque erit in exponenda mysteriorum doctrina; unde non exiguum ingruet pervertendae fidei periculum. Ergo etc.

Resp. Nihil est, quod timeant adversarii; habemus Magistram veritatis Ecclesiam, quae formam tenet sanorum verborum: habemus ex antiquorum Patrum decretis cautiones ac regulas, ad quas commutationis idiomatum exigenda et moderanda tractatio est. Has *Petavius* fuse et docte suo more prosequitur Lib. IV. de Incarn. Cap. XVI. Vid. etiam *Tournelium* de Incarn. Quaest. IX. Art. II. — Ne longius excurrat nostra disputatio, haec pauca adnotamus. Vitanda sunt omnia, quae vel plures in Christo personas, vel naturarum commixtionem aut confusionem indicarent. Hinc in abstracto nulla fit communicatio, quia per abstracta solae naturae in Christo exprimuntur, et quidem seorsim a persona; ut cum dicitur: *Divinitas est mortua.* Si Patres interdum pro concretis abstracta accipiunt; id fit populari quodam usu loquendi, et ex orationis centextu satis apparet, quo ea modo sint intelligenda. Huic generali regulae hoc unum adjicimus; discrimen faciendum esse inter negantes et affirmantes enuntiandi formulas. Negantes quippe de altera natura non dicuntur, nisi illius naturae, cui proprie conveniunt, facta mentione. Sic simpliciter et absolute dicimus: *Christus* — imo, *Deus passus est.* Sed non valet negans haec propositio: *Deus passus non est*, nisi addatur: *secundum divinitatem.* Ratio est, quod negatio

sit, ut Scholae loquuntur, malignantis naturae, et praedicatum funditus removeat a subjecto.

Argum. contra coroll. Humanitas Christi unita est Verbo, quod omnipotens est, et ubique praesens: ergo et ipsa ubique est; alias Verbum non esset ubique homo.

Resp. Haec et aliae Ubiquistarum insulsae cavillationes nullo negotio diluuntur. Humanitas unita quidem est Verbo, quod ubique est; at non est Verbo ubique unita. Sic, quamvis humanitas ubique non sit, falsum tamen est, quod Verbum alicubi non sit homo: ubicunque enim Verbum est, ibi dici potest: Verbum quod hic est, est homo. Et vero, si valeret Ubiquistarum argumentum, id, quod de immensitatis communicatione affirmant, de aliis quoque Dei proprietatibus enuntiari posset, ut est aeternitas. Haec enim non minus, quam reliquae proprietates cum divinitate connexa sic est, ut haec absque illa communicari nequeat. Ecquis autem ex eo colligat, humanam Christi naturam aeternam esse?

§. III.

An B. Virgo vere et proprie sit Deipara.

OBSERVANDA.

I. Dictum est, cum de Nestorio, ejusque nefando dogmate egimus, ab hoc primam illius haeresis factam fuisse eruptionem, quod beatam Virginem negaret appellandam esse Θεοτόκον, id est, *Deiparam*, sed potius Χριστοτόκον, *Christiparam*, vel ἀνθρωποτόκον, *hominiparam*. Sensit impius homo in hoc solo totam haeresis, quam evomere meditabatur, pravitatem quasi in compendio contineri. Hinc vocabulum illud Θεοτόκον illudere, lacerare, ac proscribere nunquam desiit; et omnis fere de fide contentio inter Catholicos et Nestorianos in hoc uno constituendo vocabulo sita erat; quemadmodum Catholicae professionis summa, quod ad Trinitatem spectat, in unam τοῦ ὁμοουσίου vocem confluxit. Optime igitur Damascenus ait *a)*: *Hoc Deiparae nomen omne dispensationis mysterium commendat.* Neque alia ex ratione ab illo abhorruit Nestorius, quam quia de In-

a) Lib. III. Cap. XII.

carnatione Verbi perverse sentiebat, negans in duabus naturis unum esse eundemque Christum. Ita sublata personae unitate, communionem etiam idiomatum, et quod consequens est, Deiparae appellationem sustulit.

II. Hanc excellentissimam beatae Mariae praerogativam, quod Mater Dei diceretur et esset, omnis retro antiquitas agnovit. Hanc longe ante Nestorii tempora omnium fidelium ora celebrabant; ita ut *Julianus* Augustus, teste Cyrillo, id Christianis exprobraret: «Vos, inquit, Mariam Deiparam vocare non cessatis.» Refert idem *Cyrillus* Epist. ad *Coelestinum* Papam, quod cum *Dorotheus* praesente et jubente Nestorio dixisset: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit, *mox ingens totius populi clamor et discessio consecuta sit. Nolebant enim diutius cum eo communionem habere, qui tali mente talique sensu praeditus esset.* Inter duodecim anathematismos, quos S. Cyrillus, strenuus fidei Catholicae defensor, Nestorianae impietati opposuit, ille primus legitur, qui *Deiparae* titulum gloriosae et intemeratae Virgini Mariae vendicat. Cum deinde Concilium generale III. Ephesi in Basilica Sanctae Mariae congregatum Nestorio ejusque impiae doctrinae anathema dixisset, Cyrilli autem anathematismos solenni decreto probasset, hoc synodale decretum incredibili fidelium applausu et gratulatione exceptum est: qui quidem ab ortu solis ad vesperam usque rei exitum praestolati, audito, manere beatae Virgini Deiparae dignitatem, damnatum quoque, qui eam violare attentaverat, impium Nestorium, faustis acclamationibus, ac cum taedis ac facibus discedentes Episcopos ad diversorium usque prosecuti sunt. Tum per totam urbem appensa lumina in laetitiae signum. Ab eo tempore multo magis per omnium ora ferebatur *Deiparae* nomen, nec aliter Virgo Maria vocata est, quam addito tam excelsae dignitatis titulo. Habet etiam in nostro hoc omnis impietatis tam feraci saeculo Dei Mater tot nominis sui osores, quot Filius habet divinitatis suae impugnatores. Et nos igitur veterum Christianorum zelum aemulantes cum horrore repudiemus, quae a novis Arianis contra integerrimae Dei Matris dignitatem evomuntur; neque unquam hanc fiduciae nostrae et pietatis anchoram dimittamus, magna enim nobis gloriatio est, magnum solatium, quod eadem et Dei Mater sit, et nostra.

PROPOSITIO.

B. Virgo vere et proprie Deipara vocatur.

Prob. I. Prima et omnium simplicissima hujus assertionis ratio, quam idcirco frequentissimo usu celebrarunt Veteres, haec est: Cum Christi humanitas non seorsum et per se consistat, sed in Verbo, ut contra Nestorium probatum est: sequitur, quod B. Virgo non hominem tantum genuerit, sed Filium Dei in carne. Ex illa enim mirabili naturarum unitione in una hypostasi oritur idiomatum communio; ex antecedente paragrapho. — Recte ergo et Catholice dicitur, Deum ex Maria natum esse; sed si Deus ex Maria natus est, *quomodo Dei genitrix non est, quae illum genuit B. Virgo?* Ita Cyrill. Alex. ratiocinatur epist. I. ad Monach. — Et Joannes Damasc. lib. III. cap. XII. *Dei genitricem proprie vereque S. Virginem praedicamus: ut enim Deus verus est, qui ex illa genitus est; ita vere est Dei genitrix, quae verum Deum ex se ipsa incarnatum genuit.*

Prob. II. Omnia hic valent Scripturae testimonia, quae ad evertendam Nestorianam haeresin supra producta sunt. Nunc pauca tantum. Isaiae VII. et Matth. I. legitur: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Lucae I, 43. Elisabeth ad Mariam ait: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Galat. IV, 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Rom. I, 2. et 3. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Et cap. IX, 5. *Ex quibus* (Israëlitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*

Prob. III. *ex Concil. et Patribus.* Antiquissima fidei Christianae symbola, Apostolicum, Nicaenum, Constantinopol. confitentur unum Dominum Jesum Christum, qui descendit de coelo propter nos homines et carnem assumpsit ex Virgine. Concilium Ephesinum anno 431 ex professo dogma nostrum Catholicum adversus Nestorium definivit et

anathematismos S. Cyrilli probavit, quorum primus ita sonat: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse et ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Patris Verbum secundum carnem); anathema sit.* Quae Ephesinam secutae sunt oecumenicae Synodi, quarta, quinta et sexta, idem *Dei genitricis* nomen magno studio frequentarunt.

Patrum testimonia singillatim afferre nimius labor esset. Omnium loco sit S. *Cyrillus,* qui vocem hanc antiquis Patribus usitatam esse probat multis in locis, tum maxime in Epist. ad *Acacium* Episcopum Beroënsem. *Nemo opinor,* ait, *ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit, quando quidem verum est, Emmanuelem Deum esse.* Profert deinde multa Veterum testimonia, quorum alii nominatim beatam Virginem Θεοτόκον appellant, alii, quod eodem recidit, Verbum divinum dicunt ex Maria Virgine genitum. Cfr. *Petavium* de Incarn. Lib. V. Cap. XV. et seqq. — *Tourn.* Quaest. VII. Art. I.

Scholion. Quae ex adverso contra Deiparae appellationem objiciuntur, negotium facessere non possunt. Qui enim contra pugnant, aut Christi divinam originem inficiantur, aut Christum dividunt, et unam carnis, alteram deitatis personam agnoscunt, aut certe male prorsus ratiocinantur.

§. IV.

An Christus homo filius Dei naturalis sit, an adoptivus?

OBSERVANDA.

I. Filii *naturales* vocantur, qui a parentibus sunt geniti; *adoptivi* autem, vel *adscitii*, qui ab alio geniti, ab alio sunt electi et adsciti. Illi natura, hi libera adoptantis voluntate sunt filii. *Voluntarie genuit nos, verbo veritatis,* ait Jacob. Apost. Cap. I, 18. In hac nostra controversia non disputamus cum illis haereticis, qui Christum vere et proprie esse Deum inficiati sunt, ut Ariani, et qui similes illis sunt moderni doctrinae Christianae corruptores. Hi enim quamvis ambiguitate verborum, et multiplici arte mentem suam involvant; et Christum Deum, et filium Dei nominent, illum tamen proprium et naturalem Dei filium

nulla ratione confitentur; neque Patri dicunt consubstantialem: seu ex ipsa Patris substantia productum. Haec alio loco a nobis fusius sunt exposita. Nunc illud nobis inquirendum est, an Christus *ut homo* filius Dei naturalis appellari debeat.

II. Post extinctam aut compressam Nestorianam haeresin, ait *Petavius a)*, quaedam ejus semina longo intervallo pullularunt in Hispaniis. Saeculo octavo exeunte *Felix* et *Elipandus*, hic Toletanus, ille Urgelitanus Episcopus, duos in Christo filios inesse docuerunt, alterum *naturalem*, qui est Deus, alterum *adoptivum*, qui est homo. Primus *Paulinus* Aquilejae in Italia Episcopus hunc errorem proscripsit in Synodo Forojuliana (791). Anno sequente Felix Ratisbonam a *Carolo M.* vocatus, et in Synodo erroris convictus Romam ad *Hadrianum* Pontificem missus est, ubi haeresin ejuravit. Verum cum biennio post impellente Elipando haeresis patrocinium iterum suscepisset, Carolus ex omnibus suae ditionis provinciis Episcopos, et eruditionis fama celebres viros *Francofurtum* ad Synodum accivit (794). Aderant in ea Synodo Romani Pontificis legati duo. Felix iterum haeresis convictus, sede sua dejectus, et Lugdunum relegatus fuit.

III. Apud omnes in confesso est, Felicis et Elipandi sententiam fuisse: Christum duplici titulo Filium Dei esse, natura scilicet et adoptione; natura quidem qua Deus est, adoptione autem qua homo est. Caeterum, qua ratione Christum filium adoptivum dixerint, aut quo fonte haec eorum doctrina profluxerit, quodnam ei fundamentum substruxerint, non satis constat. Juxta Cardinalem *de Lugo* haec propositio: *Christus ut homo est Filius Dei adoptivus*, quae in Felice et Elipando damnata est, in eorum mente hunc habuit sensum: Persona terminans humanam naturam est Filius Dei adoptivus; quod vel Nestorianum vel Arianum esset. Verum nullibi legitur eos Arianae impietatis suspicionem incurrisse; maneret ergo, si is propositioni sensus tribuitur, Nestoriani erroris accusatio, atque hujus accusationis fateor multa esse, eaque gravissima momenta. Ex alia tamen parte videntur illi Episcopi unicam in Christo personam agnovisse; neque errorem protulissent novum et inauditum, ut Patres Francofurt. loquuntur, si Nestorianam haeresin dissemi-

a) De Incarn. Lib. I. Cap. XXII.

nassent, jam diu notam, et ab Ecclesia damnatam. Hinc alii putant, et inter caeteros Doctiss. *Petavius*, in hoc potius positum fuisse errorem, quod dicerent, Christum duplici ratione filium Dei esse, propter duplicem naturam; ac propter humanitatem, quam assumpsit, filium Dei adoptivum appellari posse.

Nobis de his diutius disputare necesse non est. Ecclesia enim simpliciter et absolute damnavit propositionem istam: *Christus ut homo Filius Dei est adoptivus*, quidquid tandem per *hominem* intelligatur; ita ut etiam sub restrictione naturae non liceat Christum Filium Dei adoptivum appellare.

PROPOSITIO.

Christus homo filius Dei naturalis est; et adoptivus dici nulla ratione potest.

Prob. I. Patet Propositio ex iis, quae Ecclesia contra Nestorium definivit. Nam ex Personae unitate sequitur, non esse duos in Christo filios, sed unum duntaxat; quippe Filii ratio ex personae proprietate, non ex natura praecise considerata sequitur; et Christus, etiam qua homo, non est alius a Verbo, sed ipse naturalis et proprius Dei Filius incarnatus.

Prob. II. Ex Scripturae testimoniis, quae pene innumera sunt. Ea imprimis huc pertinent, quae, cum Christi humanam naturam designant, eum non aliter quam Dei filium appellant et quidem, *proprium filium*. Sic Apostolus ad Roman. scribens inquit: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit eum.* En proprium Filium appellat eum, qui pro nobis morti traditus est. Num hic alius est, quam homo Christus Jesus? Hunc ipsum, qui in terris ut homo visus est, Joannes Evangelista Filium Dei saepius appellat et *verum filium ac Deum.* I. Ep. Cap. V, 20. *Scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus; hic est verus Deus et vita aeterna.* Jam si Christus qua homo Filius Dei est verus et proprius, ac ipse verus Deus, qua ratione adoptivus appellari potest? *Adoptivus vocari non potest*, ait Concilium Francofurt.,

nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus. Quis unquam proprium et naturalem filium adoptione suum fecit? Ergo, ut idem Conc. ait, *post assumptum hominem veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse Filius.*

Accedunt plurima Scripturae loca, in quibus Christus homo filius Dei *unigenitus* vocatur. *Vidimis gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Joan. I. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filum suum unigenitum daret.* Joan. III. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joan. I, 18. etc. Plura videri possunt apud *Petavium* Lib. VII.

Prob. III. Scripturae testimoniis totius Ecclesiae vox consonat, publicis symbolis et Synodorum decretis testata; tum et Patrum constans Traditio. Sed haec missa facimus, ne in longum haec tractatio procedat. Vid. *Petav.* loco cit. Et certe, in Synodo Francofortiensi, quae ex variis provinciis collecta fuit contra *Felicis* et *Elipandi* haeresin, et cui *Hadriani* Papae Legati interfuerunt, accurate et diligenter prolata et excussa sunt veterum Conciliorum et Patrum testimonia. Ita autem Patres illius Concilii loquuntur in Epistola sua Synodica. *Quisquis es, qui Christum praedicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire. Ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchae nescierunt, Prophetae non dixerunt, Apostoli non praedicaverunt, sancti Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostrae non docuerunt.*

§. V.

De dotibus et ornamentis, quae in animam Christi redundarunt propter unitionem cum Verbo.

OBSERVANDA.

I. Omnes animi dotes, quae in Christum hominem ex unione hypostatica redundarunt, ad sanctitatem et cognitionem referuntur. Cognitio divina est, vel humana, haecque iterum triplex distinguitur. Prima dicitur *acquisita*, quae nimirum sensu et experientia comparatur; altera *infusa*, quae divinitus menti in-

funditur; tertia eaque praecipua vulgo *beatifica* vocatur, qualis inest in beatis. Multiplex est, quae circa has animae dotes institui potest controversia, et non raro, quid sentiendum sit, valde est explicatu difficile. Sed necesse est orationem in breve contrahere. Hinc paucis, quae sit communis Theologorum doctrina, exponemus.

II. Quod duplex in Christo scientia fuerit, divina et increata, quae Verbo propria est, et creata ac humana, quae ad hominis naturam pertinet, totidem argumentis conficitur, quot adversus Arianos, et Apollinaristas, et Eutychianos, nec non Monothelitas hucusque attulimus. Unde merito haereticus haberetur, qui hac de re controversiam moveret. Verum circa hanc ipsam scientiam Christo homini propriam quaestio non una institui potest. An plena illa fuerit, et ita perfecta, ut nihil penitus eum latuerit? An a conceptu statim indita? An tanta, ut res omnes possibiles cognoverit, ac Deum ipsum comprehenderit? Fuerunt olim inter Eutychianos Acephalos quidam, qui *Agnoëtae* vocati sunt, quia ignorantiam Christo homini imputabant. Qua ratione haec sententia cum Monophysitarum doctrina conciliari possit, non intelligitur, cum magis videatur Nestoriano dogmati cohaerere. Sed quis ab haereticis, ut secum ipsi consentiant, requiret? Praeter haereticos istos nonnulli etiam ex sanctis Patribus fuerunt, qui Christo homini rerum quarundam, imprimis extremi judicii ignorantiam tribuisse videntur; complures in Christo profectum sicut aetatis, sic et sapientiae agnoscunt, hocque argumento utuntur adversus Apollinaristas. Alii econtra perpetuam rerum omnium cognitionem, et ipsius etiam postremi judicii in Christo homine fuisse docent; et eo nonnulli progressi sunt, ut dicerent animam Christi, ex quo creata est, et assumpta in Deum, aequalem cum Deo sapientiam habuisse. In tanta sententiarum diversitate difficile est, certum aliquid statuere. Judicet quisque ut velit, ait S. *Bernardus*, *mihi sufficit scire et credere Dominum Jesum*, *ex quo cum Deo in unam assumptus est personam*, *fuisse perfectum Deum*, *ac per hoc perfectam sapientiam.* Passim nunc Theologi docent, Christum a primo conceptu omnem habuisse ut gratiae, ita et scientiae plenitudinem, ita ut nulla deinceps utrique facta sit accessio. Id omnino sequi videtur ex hypostatica naturae humanae cum Verbo unione. Observant tamen iidem Theologi,

humanam hanc Christi scientiam, quantacunque illa fuerit, creatam fuisse, et finitam. Unde et negant, Deum ab anima Christi comprehendi, cum id omnes finitae mentis vires excedat. Hoc ergo sensu plena dicitur illa scientia, ut nihil eorum ignoraverit, quorum cognitio animae creatae competere potest, imprimis eorum, quae ad statum Christi pertinent, prout caput Ecclesiae et vivorum ac mortuorum judex.

III. Consentiunt quoque omnes Catholici Doctores, animam Christi statim ab initio creationis suae Deum clare vidisse; idque rationi ipsi est penitus consentaneum. Nemo enim sibi facile persuadebit, Christi animam etiam mortali circumfusam corpore eo lumine caruisse, quo Beati exuto corpore perfunduntur, quorum ea est summa felicitas, quod Deum retecta facie intueantur. An forte felicius quid est et excellentius Deum intueri, quam Deum esse? Et si Beati ex sua cum Deo unione ad tantam evehuntur Dei cognitionem; quanta, quaeso, luminis claritas in Christi anima exsurgere debuit, ex illa, quae omnium maxima est, hypostatica unione cum Verbo, et quanta ex hac clara Dei cognitione beatitudo? Sed obstat illud, quod Christus ipse testatus est: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quomodo potest summa tristitia cum illa felicitate conjungi, quae ex clara Dei visione necessario nascitur, non secus atque ex sole lumen, ex igne calor? Verum haec et alia, quae contra afferuntur argumenta, nihil aliud probant, quam nodos suos habere hanc quaestionem, et obscuritates plurimas; quod et in aliis pene multis contingit. — Qui haec copiosius tractata legere desiderat, adeat praeter *Petavii* doctissimum opus, *Melchioris Cani* de locis Theol. librum XII. cap. XIV.

IV. Praestantissimum Christi hominis decus et ornamentum in gratia et sanctitate consistit; quae utique tanta fuit, quantam eam capere potuit humana natura. Haec communis Christianorum omnium sententia est. Quodnam enim gratiae genus deesse illi potuit, qui tanta cum Deo unione dignatus est, ut nulla possit concipi major? Porro excellentissimam hanc et exuberantem sanctitatem omnem prorsus maculam, omne peccati inquinamentum excludere per se manifestum est. Ergo in Christo nec peccatum fuit unquam, neque esse potuit. Primum in Scripturis clare exprimitur, II Cor. V, 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pecca-*

tum fecit. Et I Petri II, 21. 22. *Christus passus est pro nobis ... qui peccatum non fecit.* Secundum hoc uno argumento evincitur: — Unio hypostatica id efficit, ut proprietates utriusque naturae sibi mutuo communicentur; ex §. II. hujus cap. — Sicut ergo bene dicitur: *Deus est passibilis*, ita, si humana Christi natura esset peccati obnoxia, dici posset: *Deus est peccabilis.* Quod summae esset impietatis.

§. VI.

An Christus ut homo sit adorandus.

OBSERVANDA.

I. Reliquum est, ut de adoratione Christi hominis summatim dicamus. Cum natura humana, quando a Verbo assumpta fuit, integra permanserit, et quae sibi sunt propria retinuerit; sequitur eam non esse specie distinctam a nostra substantia, sed creatam, et ex sese servilis conditionis. Hinc non levis neque absurda causa dubitandi oritur, utrum Christi caro aut humanitas una et eadem cum divinitate adoratione colenda sit; an potius ita dividi oporteat Christum, ut sola divinitas Verbi latriae cultu sit adoranda, altero vero genere et longe inferiore honoranda sit in eodem hominis natura.

II. *Nestorius*, quamvis duplicem in Christo personam induxerit, hominis tamen naturam in ejusdem cum Verbo honoris dignitatem et consortium adscitam asserebat. Sed humanitati relativam tantum adorationem deferri voluit; sicut unus imperatori, et ejus purpurae impenditur honos; prout illa Nestorii verba indicant: *Propter gestantem, eum qui gestatur veneror: propter latentem, eum qui apparet adoro.* — Ex nostris quidam prolixe et anxie disputarunt, utrum humanitas Christi per mentem a Verbo abstracta possit cultu latriae adorari. At non est iste praesentis quaestionis status. Quis enim unquam abstracto cultum exhibuit, sive adorationis ille sit, sive venerationis?

III. In hac controversia consentientes nobis habemus Apollinaristas et Eutychianos, qui et ipsi unica Christum adoratione venerandum esse docuerunt; sed aliter ac Catholica fides habet, communem cum ipsa sententiam interpretati sunt. Eutychiani fundamentum habent doctrinae suae unitatem naturae. Nam cum

humanitatem dicant in unam cum divinitate naturam transiisse, consequens est, unum illi cum divinitate cultum deberi. Ita Apollinaristae, qui a Verbo solam carnem susceptam fuisse somniabant, hancque de coelo allatam, et Patri ὁμοούσιον, hoc est, ejusdem substantiae cum Deo: ideo unica tantum adoratione Christum, hoc est Verbum divinum, ejusque divinam consubstantialemque carnem coli a nobis oportere asserebant. Sed haec errorum portenta damnat et execratur Ecclesia Catholica, quae, cum Christum Deum et hominem unica adoratione colendum esse docet, illud non ex impuro haereticorum fonte eruit, sed tanquam consectarium deducit ex illo Catholico dogmate, quod totius divinae dispensationis fundamentum est, scilicet Christum unum esse et indivisum ex duabus naturis, in una Verbi inseparabili nexu conjunctis.

PROPOSITIO.

Humana Christi natura hypostatice cum Verbo unita, eadem cum divinitate adoratione colenda est.

Prob. I. Primo loco illud probationis genus ponimus, quod ratiocinatione constat: ita enim manifestum erit propositionem nostram consectarium esse priorum. Frequens est apud Patres hujus argumentationis usus. Adoranda est cum Verbo natura hominis, quia haec ipsa natura propria Verbi est, non aliena; itaque non est cultu et veneratione separanda, quae hypostatice et inseparabiliter est cum Verbo conjuncta. *Nos creaturam non adoramus*, ait S. *Athanas.* in Epist. ad Adelphium; *absit. Sed Dominum creaturae incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore, ut te adorem.* Et alio loco egregie docet *a)*, nos creaturam non adorare, cum Domini corpus adoramus. *Quippe quod increati Verbi factum est corpus; nam cujus est corpus, huic adhibetur adoratio.*

Et vero, cultus non naturae exhibetur, sed personae; una autem est in Christo Verbi persona. Ex hac personae

a) Lib. de Incarn. Verbi Lib. I. pag. 482.

unitate fluit idiomatum communio, cujus ea vis est, ut recte et legitime dicamus: *Christus homo — Deus est.* At si Christus homo Deus est, non potest ei denegari adorationis cultus. Item: Sanctissimam Virginem Mariam vere proprieque dici et esse Θεοτόκον, id est, Dei genitricem probavimus. Quod si ita est, necesse est eum summo genere latriae adorari, qui a Maria genitus est; is autem non aliter genitus est, quam ut carne constat. Quemadmodum autem caro, quam Maria genuit, non potest a Verbo separari; ita adoratio, cum carnem respicit, non ad carnem solitariam et a Verbo Dei separatam dirigitur; sed unica et communis utrique simul impertienda est adoratio.

Prob. II. Difficile non esset, ex Scripturis et Traditione loca congerere quam plurima. Sed in aperto est argumentum hoc, nec multa indiget probatione. Expressissimus est locus ex Cap. II. ad Philipp., ubi Apostolus, postquam voluntariam filii Dei abjectionem exposuit, ita scribit. *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.* Et alius ejusdem Apostoli ad Hebraeos I, 6. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Perpetuam Ecclesiae Traditionem expressis verbis testatur Concilium Lateran. sub Martino I. celebratum Can. 9. *Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.* Eandem hanc Catholicam fidem jam clare expresserat Synodus Alexandrina praeside Cyrillo habita, in Capitulis ad Nestorium missis Cap. VIII. Ea Capitula postmodum approbavit Synod. Chalcedon., quinta autem generalis illud ipsum octavum Capitulum in Canonem novum redegit.

PARS TERTIA.

QUALIS FUERIT, QUAE NOBIS PER CHRISTUM FACTA EST REDEMPTIO.

Quae ad Redemptoris naturam et proprietates pertinent, paulo diligentius inquirenda putavimus, antequam ad ipsum redemptionis opus accederemus. Necesse quippe erat, primum Incarnationis praecipua capita nosse, ut sciremus, quis sit ille, a quo gens Christiana nomen habet, Christus Dominus. Necesse erat ea, quae ad divinam ejus humanamque naturam spectant, tum ad utriusque admirabilem unitionem, admoto Revelationis lumine contemplari et cognatas his veritatibus conclusiones ex fidei radicibus educere. Nunc facilius erit ostendere, in quo consistat magnum reconciliationis humanae sacramentum, et quantae utilitates ex Verbi Incarnatione in genus humanum redundarint; ut cognoscant, qui redempti sunt a Domino, ininvestigabiles divitias Christi, *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.* I Cor. I, 30.

Cum autem de Redemptione loquimur, quae nobis per Jesum Christum facta est; procul a nobis amandandus est error ille carnalium Judaeorum, qui promissiones Abrahae caeterisque Patriarchis factas in rerum temporalium abundantia collocant, et Messiam sibi fingunt temporalis regni conditorem, quod per totum orbem diffusum, omnes gentes sub jugum cogeret Judaeorum. Non est haec redemptio illa, quam Deus humano generi statim post lapsum promisit; non enim temporale aliquid pollicitus est, sed liberationem a peccato; Redemptorem, qui imperium daemonis subverteret et genus humanum ex grandi illa ruina erigeret, et ad justitiam et congruam huic felicitatem revocaret.

Haec porro res eo ipso confecta est, quod probatum jam fuerit, Jesum Nazarenum Redemptorem illum esse, quem futurum Deus ab exordio praedixerat et Prophetae omnes annuntiarunt. Nemo enim nescit, Christum Jesum ad id non venisse in mundum, ut regnum aliquod temporale institueret; id enim et ipse saepius et ejus Discipuli palam testati sunt; ut superfluum sit plura de his enarrare.

Quin et consentientes habemus modernae Philosophiae alumnos, quamdiu in genere de regno Messiae morali loquimur, quam etiam *moralem redemptionem* appellare non repugnant. Non est ergo his longius immorandum, quae plana sunt et pervia omnibus. Ad altiora enitendum est divinae sapientiae consilia, et qua ratione facta fuerit illa moralis redemptio fide praelucente investigandum. Haec reconciliationis humanae mirum arcanum nobis aperit, in quo Incarnationis praecipuus finis positus est. Haec docet nos, ideo Verbum in forma servi apparuisse, ut quas exsolvere homines non poterant, peccatorum poenas susciperet et nos Patri reconciliaret in sanguine suo: uno verbo, ut pro nobis *satisfaceret*. Unde totum redemptionis opus non improprie *Satisfactionis mysterium* appellatur.

De hoc Satisfactionis mysterio hac tertia parte disputabimus. Neminem latere potest, quam prope haec sint cum nostra salute connexa; nam propter nos salus ista facta est, ut nos, *qui eramus longe, prope efficeremur in Christo Jesu, et justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae*. Eph. II. Tit. III.

Tria erunt partis hujus capita. I. Satisfactionem vere factam esse probabit. II. De quibusdam satisfactionis proprietatibus aget. III. De quibusdam ejus effectibus.

CAPUT PRIMUM.

DE SATISFACTIONIS VERITATE.

OBSERVANDA.

I. Indubitata omnium Catholicorum fides est, hominem per peccatum alienum factum fuisse a Deo, exclusum a spe salutis, et aeternae mortis maledictioni obnoxium: in hoc autem extremo exitio, ex quo homo suis viribus emergere nunquam potuisset, Christum deprecatorem intercessisse; peccata, quae nos exosos Deo reddebant, sanguine suo expiasse; hoc piaculo satisfactum, ac rite litatum Deo patri esse, ac pacem denuo inter Deum hominesque conciliatam. Hanc doctrinam ex sacris Scripturarum

et Traditionis fontibus haustam Catholica Ecclesia quovis tempore acerrime defendit contra incredulorum et haereticorum hominum assultus, optime sciens hoc solo fundamento omnem nunc mortalium spem subnixam esse, hoc solo vinculo contineri Dei erga nos benevolentiam. Vana enim est omnis glorificatio nostra, inanis spes nostra, nisi in eo fixa sit, qui *dedit semetipsum redemptionem pro nobis, ut justificati in sanguine ipsius salvi simus ab ira per ipsum a).*

II. Quoniam nobis cum adversariis agendum est astuti et tortuosi ingenii, atque in fallendi et simulandi arte mire instructis, necessarium ducimus, quis sit praesentis quaestionis status propius determinare.

1.° Satisfacere generatim idem est, ac officium exequi. Qui aes alienum solvit, qui aliorum respondet expectationi, satisfacere dicitur. In praesenti hac quaestione satisfactio sumitur pro injuriae illatae compensatione, et honoris laesi instauratione, ut distinguatur a restitutione proprie dicta, quae res, non honorem spectat.

2.° Satisfactionis pretium sumitur 1.° a persona satisfaciente. Ab hac genus satisfactionis deducitur; sicut enim tanto major est injuria, et acerbior, quo ille qui laeditur honoratior est: ita quo major est et dignior persona, quae pretium solvit, eo dignior est et perfectior satisfactio. 2.° Ab actionibus ipsis, earumque objecto, difficultate, aliisque circumstantiis, quae possunt operibus nostris conciliare dignitatem.

3.° Duplici sensu dici potest Christum pro nobis mortuum esse. 1.° Utiliter pro nobis, id est, pro bono et commodo nostro. 2.° Vice nostra, seu per veram substitutionem, et tanquam sponsorem, qui debitum nostrum in se transtulit. Ita duobus quoque modis potest dici Redemptor et Servator noster; aut praecepto, consilio et exemplo; aut merito, opere, et efficacia.

Catholici dogmatis oppugnatores.

I. Hoc magnum pietatis mysterium a primis Ecclesiae incunabulis conjuratas contra se habuit omnes tartareas potestates. Apostolus palam profitetur, se praedicare *Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam b).* Ab eo

a) I *Timoth.* II, 6. Ad Rom. V, 9. *b)* I *Cor.* I, 26.

tempore omnes pene, qui in Ecclesia surrexerunt falsorum dogmatum seminatores, *Valentiniani*, *Gnostici*, *Ariani* etc. impegerunt in hunc lapidem offensionis; nam cum Christum negarent in carne humana apparuisse, aut eum factum dicerent, non autem ab aeterno ex patre genitum; necessario redemptionis, quamvis nomen retinuerint, tamen vim omnem virtutemque sustulerunt. Id quoque Apollinaristis, Nestorianis, Monophysitis, aliisque his affinibus sectis centies objecerunt Patres, quod, cum de Incarnatione prave sentirent, totum etiam reconciliationis sacramentum destruerent; quod et nos indicavimus Parte II., ubi haereticorum impia dogmata confutata sunt. — Prae caeteris maxime *Pelagianorum* mentio facienda est, quorum impietatem *Sociniani* postmodum non aemulati tantum sunt, sed et multum superarunt. Docuerunt autem Pelagiani vana esse, quae a Christianis de originis peccato dicuntur, et de grandi exitio generis nostri; non esse corruptum hominis statum; suis viribus valere naturam. Unde concludebant, nos mediatoris gratia non indigere ad salutem; neque necessarium fuisse, ut Christus pro nobis satisfaceret, et sanguine suo gratias nobis compararet, quibus corrupta natura sanaretur. Totum igitur missionis Christi fructum in eo collocabant, quod viam salutis nobis tum exemplis, tum praeceptis demonstraret.

II. Sed nunc de ipsis Socinianis dicendum, quorum hodie per omnes Protestantium sectas late diffusa est impietas. Haec pestilentissima Haeresis, quae ex antiqua Christianorum Religione vix quidquam praeter nomen retinet, cum omnia ad solam rationis humanae normam excutienda docet, simul Mysteriorum fidem penitus evertit. Dicunt autem Deum gratis et absque ulla satisfactione peccata dimittere; Christum reipsa pro nobis non satisfecisse. Imo ne possibilitatem quidem verae et strictae satisfactionis admittere possunt detracta Christo divinitate. Ita sententiam suam exprimit *Faustus Socinus a)*. « Censeo ego, et orthodoxam sen« tentiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum « esse, quod salutis aeternae viam nobis adnuntiarit, confirmarit, « et in sua ipsius persona tum vitae exemplo, tum ex mortuis « resurgendo, manifeste ostenderit. Divinae autem justitiae, per

a) De Christo Servat. Lib. I. Cap. I.

« quam nos peccatores damnari meremur pro peccatis nostris, « neque illum satisfecisse, neque ut satisfaceret, opus fuisse. »

Illud imprimis junioribus Theologis inculcandum, Socinianos, ut fucum faciant incautis et simplicioribus, non raro sensum haereticum et impium verbis tegere in speciem Catholicis. Quam fallendi artem ipsi ab antiquis haereticis acceperunt et cum impietatis suae veneno effuderunt in discipulos, *usque in praesentem diem.* Illos si audis, mira de Christo praedicant, et de satisfactione, ac Redemptione, quae per eum facta est. Mediatorem vocant, et Advocatum nostrum, Liberatorem et Servatorem humani generis. Neque illud repugnant dicere, eum mortem pro nobis subiisse, ejusque bonis ditari omnes, qui eum Magistrum audiunt, et sequuntur. Sed hae sunt fallaciae haereticorum, reticula ad capiendas animas. Cum dicunt, Christum satisfecisse, id unum volunt, eum ob insignem pietatem et obedientiam exauditum fuisse a Deo, cum interpellaret pro nobis, idque impetrasse, ut nobis venia peccatorum gratis concederetur; at pernegant, eum pretium persolvisse debitis nostris aequale. Cum Christum Salvatorem appellant, et Redemptorem, id non ita volunt intelligi, ac si proprie nos ab aeterna damnatione sanguine suo redemisset; sed quod doctrina et exemplo viam nobis monstraverit ad vitam aeternam. Sic et Mediatoris nomen libenter Christo tribuunt; sed eo tantum sensu, quod deprecator intercedat inter Deum et homines, aut divinae ad nos voluntatis interpres sit; non autem, quod iram Dei sanguinis sui oblatione placaverit. Imo Christum pro nobis mortuum non diffitentur; sed ita tantum, quod morte sua sanctissimam, quam vivens praedicaverat, doctrinam confirmaverit, insigne omnibus patientiae exemplum reliquerit, homines a terrenis desideriis avocaverit etc.; non autem, quod tanquam piacularis victima sese in mortem dederit ad expianda peccata. Demum si nos ajunt gratia ejus divites effectos esse, si de bonis, quae in nos per Christum dimanant, multa speciose et cum pompa loquuntur; per haec bona exemplum Christi intelligunt, et egregia virtutum praecepta, quae in Evangelio continentur; non illas medicinales gratias, quae ex meritis Mediatoris fluunt, et quibus natura per peccatum sauciata sanatur, et vita supernaturalis infunditur, nutritur, et perficitur.

III. Haec cum paulo fusius exposita fuerint, jam necesse non erit, eas, quas haec ultima aetas evomuit, sententias longo ordine recensere. Quis enim ferre id posset? Aut quodnam tempus sufficeret, si vellemus sentinam permeare tot diversarum et inter se pugnantium opinionum, quas in Protestantium Scholis non Religio, sed corrupta Philosophia peperit? Quemadmodum Sociniani, veterum Protestantium principia arripientes, ad id tandem pervenerunt, ut quidquid supernaturalis ordinis est, ex Christiana Religione expungerent: ita moderni Protestantes, ex Socinianorum principiis concludentes, in Naturalismum delapsi sunt; et omni credendi lege soluti, libere nunc quoquo lubet vagantur. Nam qui inter illos magis se in carnali saeculi nostri sapientia profecisse gloriantur, ii nec Apostolis parcunt, nec Christi ipsius reverentia moventur; sed vel in meris ideis et conceptibus ludunt, vel Scripturae dicta misere torquent, spretis omnibus sanae exegesis, quin et pudoris legibus. Cum ejusmodi impietatis asseclis, qui omnia irreligiose conspuunt, hic nobis agendum non est, quia ad Deistarum classem pertinent, quos in Demonst. Christiana confutamus. — Caeteri iisdem argumentis convincuntur, quae Socinianis passim opponunt Catholici. De dogmate agitur ad Theologiam revelatam pertinente; hinc aliud argumentorum genus exspectare nemo potest praeter illa, quae ad probanda revelata dogmata adhibentur. — Plura circa recentiorum opiniones legi possunt apud *Wiest* Op. M. tom. IV. §. 104 et seq. — *Dobmayer* tom. VI. C. III. Imprimis veritatem Catholici dogmatis contra recentiores Socinianos et Naturalistas clare expositam, et solide vindicatam, neque tot ignobilium nominum farragine refertam invenies in Doctiss. Ildephonsi *Schwarz* praeclaro opere Handb. der chriſtl. Rel. zweiter Bd. p. 270 etc.

PROPOSITIO I.

Christus Redemptor noster factus est eo sensu, quod nos a peccati servitute solutos participes effecit amicitiae Dei et vitae aeternae.

Prob. Quamvis nemo possit absque vera cordis conversione veniam sperare peccatorum, et divinam benevolentiam peccato amissam recuperare: id tamen ex Revelationis principiis clare colligit fides Catholica, ea, quae homini

praestanda incumbunt, conditionem quidem esse necessariam reconciliationis; ipsam autem peccati purgationem, et hominis in pristinum gratiae statum restitutionem a solo Christo tanquam causa esse derivandam. Et quoniam omnia pene Scripturarum loca utrumque edicunt, et soluta peccata per Christum, et restituta pristina bona; praecipua nunc nulla facta partitione indicabimus.

Matth. I, 21. Angelus de Maria ad Josephum ait: *Pariet filium et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Christus ipse saepius affirmat, se in mundum venisse ut peccatores salvos faceret et homines morte sua conciliaret Deo. Clara sunt haec ejus ad Nicodemum verba, Joan. III. *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et Joan. X. ait: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.*

Praeclare hoc argumentum tractat Apostol. ad Rom. toto capite V. *Commendat charitatem suam Deus in nobis:* ait v. 8., *quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et v. 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Tum instituta comparatione inter Adamum et Christum, ostendit, plus nobis fuisse per Redemptorem collatum, quam fuerat parentum culpa ablatum; ut ubi abundavit delictum, ibi superabundaret gratia v. 20. *Si enim,* ut v. 15. dicitur, *unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*

Alia multa sunt N. T. loca tam aperta, ut commentatione non indigeant, ex quibus haec pauca seligimus. II Cor. V, 18. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ad Galat. IV. *Misit Deus Filium suum factum sub*

lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus. Ad Ephes. II. *In Christo Jesu vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum . . . et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Ibid. cap. III. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* I Joan. III. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ibid. IV, 10. *Deus misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et v. 14. *Pater misit Filium suum salvatorem mundi.*

Mittimus veterum Patrum testimonia, quae congerere non esset adeo difficile; sed manifesta est totius Ecclesiae perpetua fides, tum ex usu qui ab Ecclesiae exordio constanter perduravit, ut preces ad Patrem dirigerentur per Jesum Christum, in quo solo spes omnis posita est mortalibus. Tum ex symbolis quae per universam Ecclesiam recitantur. In Symb. Nicaeno-Constantinopolitano dicitur: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis etc. . . . Crucifixus etiam pro nobis* etc. Symbol. Athanas. habet: *Qui passus est pro salute nostra.*

PROPOSITIO II.

Christus vere et proprie pro nobis satisfecit.

Parum fuisset probare, Christum nos a peccatis et peccatorum poenis redemisse; nisi qua ratione id factum fuerit ostenderemus. In hoc praecipuum caput Catholici dogmatis consistit, quod totis viribus impugnant Sociniani et pejores Socinianis, moderni Evangelico-Christiani. Unde et credimus non sine singulari divinae sapientiae consilio factum esse, ut vix aliud reperiatur Christianae Religionis caput, quod crebrius et apertius in sacris litteris enuntietur.

Cum autem tam diffusum sit hoc argumentum et multiplex, non abs re erit, illud ad certa capita revocare, ut clarius veritas innotescat. Certum utique et confectum erit, Christum vere et proprie pro nobis satisfecisse; si ex Scripturis ostensum fuerit:

I. Christum sponsorem nostrum fuisse et vadem, ut vice nostra et per veram substitutionem peccata nostra expiaret.

II. Christum seipsum Patri pro peccatis hominum tanquam piacularem victimam obtulisse.

III. Sanguinem Christi verum fuisse pretium, quo nos a potestate daemonis liberavit et Patri conciliavit soluto debito. Haec nunc probanda sunt per partes.

PARS I.

Christus sponsor noster factus est, ut vice nostra et per veram substitutionem peccata nostra expiaret.

Prob. Clarissimum est Isaiae de Christo Redemptore vaticinium Cap. LIII., quod veram Christi loco nostri substitutionem disertis verbis exprimit. V. 4. et 5. *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum et livore ejus sanati sumus* . . . et v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;* et iterum v. 8. *Propter scelus populi mei percussi eum,* et v. 10. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam* . . . et v. 11. *Justificabit ipse justus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit* . . . et v. 12. *Et ipse peccata multorum tulit.* Clariora haec sunt, quam ut interpretatione indigeant. Neque audiendi sunt recentiores Judaei, qui contra communem tum Christianorum, tum veterum Judaeorum sententiam, ista ad Christum non pertinere contendunt. Sociniani Christum hoc loco designari concedunt, et si negarent, facile ex Matthaei et Philippi in actis et Petri testimoniis convincerentur *a).*

Ad praesentem quaestionem imprimis pertinet locus ex I Petri Cap. II, 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus: cujus livore sanati estis.* Haec Petri verba et quae v. 25. subdit, ad Cap. LIII. Isaiae manifeste respiciunt.

---

a) Matth. VIII, 16. 17. — *Actor.* VIII, 32. — I *Petr.* II, 24.

Accedunt his alia N. T. non obscura testimonia. II Cor. V, 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ad Galat. III, 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* I Petri III. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Manifestum est ergo, Christum pacis sequestrem fuisse inter Deum et homines, et sponsorem factum pro nobis, ut nos Deo conciliaret. Hoc tantum sensu, nisi verbis vim faciamus, allata Scripturae verba intelligi possunt. Imo non abs re supponitur, in hoc reconciliationis negotio aliquod quasi pactum intercessisse inter Deum et hominem Christum; et quidem hujusmodi, ut homines in gratiam et spem recuperandae salutis admitterentur, si Christus vellet vices subire peccatorum et satisfaciendi obligationem suscipere. Subdidit se libere Christus; et salvatus est mundus. Et ita ... *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.*

PARS II.

Christus seipsum Patri pro peccatis nostris obtulit tanquam piacularem victimam.

Prob. Ut initas pro hominum salute pacis conditiones impleret Christus, *in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Hebr. IX, 26. — Oblatam sibi a Patre mortem subiit, non tantum ut exemplo suo, aut fusis ad Patrem precibus nobis prodesset; sed ut satisfaceret pro nobis, se ipsum in cruce offerendo in sacrificium pro peccatis. Nihil est hoc argumento certius, nihil clarius in Scripturis expressum.

I. Christus expressis verbis dicitur Sacerdos et Pontifex. Hebr. III, 1. — IV, 14. Munus autem Sacerdotis praecipuum erat, ut offerret Deo sacrificia pro peccatis. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hebr. V, 1. — Addit autem

Apost. Cap. X, 11. 12. *Et omnis quidem Sacerdos praesto est, quotidie ministrans et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexteris Dei.* Vel ut Cap. IX, 28. dicitur: *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Haec certe non possunt de sola intercessione intelligi, aut de exemplo et doctrinae confirmatione; sed de sacrificii oblatione, de mactatione victimae, seu effusione sanguinis pro expiatione peccatorum. Siquidem ut loquitur Apostolus: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hebr. IX, 22. Hinc *sanguis Christi* dicitur ibid. *emundare conscientias nostras.* Et I Joan. I, 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et Christus Apocal. I, 7. vocatur testis fidelis . . . *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

II. Accedit et illud, quod Christus se in sacrificium obtulisse dicatur non pro iis tantum, qui post ipsum vixerunt; sed *in redemptionem earum praevaricationum quae erant sub priori testamento*, quas nonnisi *morte intercedente* sustulit. Hebr. IX. Quemadmodum et alio loco Apostolus ait (Rom. III, 25.): *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum.* Optime igitur Christus in Apocal. dicitur: *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.*

III. Demum gravissimum huic argumento pondus accedit, 1.º ex usu offerendi sacrificia cruenta pro peccatis, quem usum constat jam ad Patriarcharum Religionem pertinuisse. Ritus autem sacrificiorum aperte probat, ea totidem Symbola fuisse mortis Christi, qui portavit peccata nostra in corpore suo super lignum; ut a nobis probatum est parte I. cap. I. §. II. 2.º Speciatim haec et evidentius patent in illo propitiatorio sacrificio, quod in lege veteri singulis annis offerri solebat in festo expiationis (Levit. XVI.). In hoc solemni ritu praescriptum erat lege sempiterna, ut summus Sacerdos duos hircos statueret coram Domino. Unus tanquam piacularis victima in sacrificium offerebatur,

ut morte sua poenas lueret, quas populus peccando commeruisset: alter universis populi peccatis onustus emittebatur in desertum, ut ostenderetur peccata veluti e Dei conspectu removeri. Peractis omnibus perfecta censebatur expiatio. Vid. Levit. XVI, 27. 30. Quae in figura hic contingebant et typice repraesentabantur, vere et proprie completa sunt in morte Christi, quem *Deus pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* II Cor. V, 21. Idque diserte docet Apostolus ad Hebraeos VII, 22. IX, 11 et seq. X, 1—12. *Legem* ait *umbram tantum fuisse futurorum bonorum* (Cap. X.), *non ipsam imaginem rerum.* Unam esse piacularem victimam Christum Jesum, qui se ipsum dedit *in redemptionem earum etiam praevaricationum, quae erant sub priori testamento* (IX, 15.). Tum subdit Cap. X. *Impossibile est per sanguinem taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata pro peccato non placuerunt tibi; tunc dixi: Ecce venio* etc.

PARS III.

Sanguis Christi verum fuit pretium, quo nos e daemonis servitute redemit et Patri conciliavit soluto debito.

Prob. Peccatum tanquam immundities spectatum et offensa Dei, sacrificium exigebat et quidem tale, quod Deum placare poterat et emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis. Haec priori argumento probata sunt. Nunc quaedam manent ad plenam causae defensionem exponenda. Scriptura peccatum vocat debitum, quo peccator Deo obstrictus est; peccatorem autem tanquam reum exhibet in custodiam satanae traditum, aut satanae servituti mancipatum. Ex tantis malis Christus nos redemit soluto pro nobis pretio sanguinis sui. Ergo vere et proprie pro nobis satisfecit, nullum enim esse potest certius verae satisfactionis argumentum.

Prob. Apostol. ad Hebr. cap. II, 14. testatur Christum fuisse per passionem consummatum. *Ut per mortem*

destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Christus ipse Joan. XII, 31. ait: *Nunc judicium est hujus mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Et iterum Apostolus ad Coloss. II, 13. *Vos, cum mortui essetis in delictis, . . . convivificavit cum illo* (Christo), *donans vobis omnia delicta; delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus et potestates traduxit confidenter; palam triumphans illos in semetipso.* Et non gratis deleta fuisse delicta, nec gratis solutam captivitatem, sed dato pro debitis et libertate pretio, diserte adstruitur I Cor. X. *Empti estis pretio magno.* Quod clarius explicans S. Petrus ait epist. I. cap. I, 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* Inde est quod vox ipsa redemptio passim pro pretio redemptionis ponatur. Sic Matth. XX, 28. ubi Christus de se ipso ait: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* Graece habetur λύτρον, quod redemptionis aut solutionis pretium significat. Et I Timoth. II, 6. ubi Vulgata legit: *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* Apostolus redemptionem hanc Graece non tantum λύτρον vocat, sed ἀντιλύτρον; quod veram substitutionem unius pro alio significat, seu pretium vicarium, quo debitum compensatur per aliquid aequivalens; vel res una cum simili, puta vita unius cum vita alterius, commutatur.

CONCLUSIO.

Ex his ergo, aliisque multis Scripturae locis sponte sequitur, quod et Catholicum dogma tenet; Christum Redemptorem factum esse generis nostri, non doctrina tantum, non exemplo tantum, aut humili prece; sed seipsum in locum nostri substituendo, sed vere et proprie pro nobis satisfaciendo. Hoc vetus testamentum docet, hoc omnes

novi testamenti paginae clamant. Non est in alio salus nisi in Christo: *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Apocal. I, 5. — Hic peccata nostra ipse portavit, debita nostra ipse solvit, vincula nostra ipse disrupit et Patri suo impenso sanguinis pretio nos reconciliavit. *Cum inimici essemus,* ait Apost. Rom. V., *reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Et ad Coloss. I. complacuit Patri *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Et vos, cum essetis aliquando alienati . . . reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.*

Nota. Cum tanta sint, et tam splendida, quae ex sacris litteris collegimus testimonia, necessarium haud credimus, constantem Ecclesiae fidem et Traditionem adductis Patrum et Conciliorum sententiis comprobare. Haec parum curant Sociniani, et eorum pejor avis soboles. Credant ergo Scripturae, credant Christo et Apostolis! Aut, an non tantam quoque repellent auctoritatem, Scripturarum subdoli laudatores? An non, cum ex omni parte premi se senserint evidentissimis argumentis, ad illud quoque confugient Socini dictum *a)*: « Ego quidem, nec « si ubique clarissimis verbis testatum reperirem, sic tamen « rem se habere mihi compertum esset. »

CONFUTANTUR ADVERSARII.

Objiciunt Sociniani. Deus peccata quidem dimittere non potest, nisi resipiscentibus: at ubi peccator a vitiis abstinuerit, toto corde conversus ad Deum suum, nihil opus est satisfactione; Deus enim peccata gratis dimittere potest; idque de Deo cogitare nos jubet tum immensa ejus in homines clementia, tum scripturae loca non pauca, quae a peccatore praeter cordis conversionem nihil exigunt. Rom. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Isaiae cap. LII. *Gratis venumdati estis, gratis redimemini.* Et illa tam frequens apud Prophetas adhortatio: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Zach. I, 3. Isai. XLV, 22. etc.

Resp. Multis modis hoc argumentum peccat. 1.° Hic non agitur de ea quaestione, de qua lib. I. jam pauca diximus: scili-

a) De Servat. part. III. cap. II.

cet an Deus gratis omnino, et sine omni satisfactione peccata dimittere possit. Plerique illud negant, quamvis Deum in usu seu exercitio vindicis justitiae concedant esse liberum. Peccatum omne, ajunt, rationem habet debiti, offensae, et criminis; Deus autem relate ad peccatorem se habet, ut creditor, pars offensa, et judex. Jam vero etiamsi Deus tanquam creditor spectatus, aut pars offensa, posset poenam absque ulla satisfactione remittere, id tamen tanquam judex et moralis ordinis vindex non potest. Verum ab hac disquisitione praesens quaestio non pendet. Non inquirimus, quid fieri potuisset mutata hypothesi, sed quid factum revera sit. Doctrina, quam defendimus, tota ad Revelationem pertinet, et argumentis probari debet ex Revelatione depromptis.

2.° Apostolus ad Rom. post haec verba: *Justificati gratis per gratiam ipsius*, expresse addit: *per redemptionem quae est in Christo Jesu.* Sed hoc ipsum est, quod fides Catholica docet, hominem nihil habuisse, quo offensam Deo illatam dilueret; neque, quo redemptionis beneficium mereretur; singulare ergo et summum Dei donum fuisse, quod Christum nobis vadem et sponsorem constituerit; magnum fuisse et infinitum, quod expensum est pretium, sed pro nobis oblatum, non a nobis. Neque dicas, parum esse a quo solvatur debitum, an a sponsore, an ab illo, qui debitum contraxit; nam gratis non remittitur, eo ipso, quod solvitur. Id quidem dici potest, si debitum reale sit, si de re pecuniaria agatur; in debito autem personali, quod ex injuria alteri facta nascitur, persona laesa, si jure suo uti velit, potest sponsorem respuere, et ab eo ipso, qui offendit, satisfactionem reposcere.

3.° Etiamsi Prophetae praeter cordis conversionem nihil a peccatore exigerent (quod omnino falsum esse alio loco probatur); nullum tamen esset Socinianorum argumentum. Non de hominis, sed de Christi satisfactione hic agitur. Si qua autem peccatori spes veniae affulget, si qua ex dira peccati captivitate exeundi possibilitas, haec tota in Christi Redemptoris et sponsoris nostri satisfactione fundata est.

Inst. I. 1.° *Vox redemptio* in Scripturis saepe improprie tantum sumitur. Sic et Moses Actor. VII, 35. dicitur a Deo missus redemptor, graece λυτρώτης. At certum est Mosen proprie nullam satisfactionem pro Israëlitis exhibuisse. 2.° Si Chri-

stus proprie nos redemisset per solutionem pretii; hoc pretium solvendum fuisset detinenti, seu diabolo, non Deo; absurdum consequens; ergo etc. 3.° Vere et proprie dicta satisfactio debet esse ad alterum: atqui Christi satisfactio talis esse non potuit; nam ut Deus non erat alter a Patre; ut homo autem idem erat cum Verbo. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Ex eo, quod voces, *redemptio* et *redemptor* subinde improprie sumi debeant, nempe ubi in sensu proprio intelligi non possunt, minime sequitur, eas ita semper esse intelligendas; exceptio non destruit, sed firmat regulam; et *Socinus* fatetur *a)*, *redimere aliquem nihil aliud proprie significare, quam captivum e manibus illius, qui eum detinet, dato pretio liberare.* Talem autem esse redemptionem, quae a Christo facta est, ex testimoniis, quae attulimus, luculenter patet.

Ad II. neg. major. Pretium solvendum erat detinenti primario, nempe Deo, cujus justitiae obstricti eramus; non autem diabolo, qui executor est mandatorum Dei, et quasi custos carceris.

Ad III. nego min. 1.° Christus erat quidem idem Deus ac Pater relate ad substantiam, seu naturam; at idem non erat quoad personam. 2.° Christus ut Homo-Deus est quidem persona unus, sed propter distinctas naturas aequivalenter duplex. Ut Deus habuit justitiam laesam, cui satisfieri debuit; ut homo habuit actiones, seu passiones, quibus satisfecit. Sic etiam dici potest aliquo modo satisfecisse sibi ipsi, juxta illud Apost. II. Cor. V.: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Inst. II. Catholicorum de satisfactione doctrina cum aliis eorum dogmatibus aperte pugnat; nam posita Christi satisfactione, superflua esset omnis humana satisfactio; superflua essent sacramenta, et salutis assequendae subsidia.

Resp. nego ant. Ad I. Reipsa totum pretium Redemptionis nostrae a Christo solutum est; sed cum ista conditione ac lege, ut nos dignos poenitentiae fructus ferendo participes efficiamur hujus pretii. Ita sapientissime a Deo institutum est. Ita justitia Dei tanquam moralis judicis commendatur; ani-

---

a) De Servatore Lib. II. Cap. I.

mus a vitiis cohibetur, et studium virtutis nutritur. Deinde aequum est, ut membra suo capiti conformentur, ut sicut compatimur, ita et glorificemur. Ad societatem et communionem passionum Christi vocati sumus. Non decet esse delicata membra sub capite spinis coronato.

Ad II. Respondet S. Thomas Lib. IV. contra gentes Cap. LV.: *Mors Christi est quasi quaedam universalis causa salutis. Oportet autem universalem causam ad unumquemque applicari specialiter, ut effectum universalis causae participet. Et sicut effectus primi parentis pertingit ad unumquemque per carnalem generationem, ita effectus mortis Christi pertingit ad unumquemque per regenerationem.* Sacramenta sunt publica instrumenta, quibus Christus utitur, ut, quam sanguine suo gratiam promeruit, nobis communicet.

Objicitur *ex novioris Philosophiae placitis.* Quod Catholici Theologi dicunt, Deum non posse peccatum impunitum relinquere, hoc et ipsa philosophica ratio confirmat. Haec Deum exhibet ut moralem judicem, qui sicut a creaturis omnem moralem perfectionem, cujus capaces sunt, necessario exigit, ita omnem quoque moralis legis transgressionem necessario punit. Verum hoc ipso falsum probatur illud Catholicum dogma: *Christum nos a poenis peccatorum redemisse.* Pugnat enim contra rationem et moralem ordinem; ut qui rei sunt, poenis omnibus exonerentur, peccato in innocentem translato. Ergo etc.

Resp. 1.° Nunquam ostensum est, aut ostendi poterit, Catholicum dogma cum ratione, et sana Philosophia pugnare. At, pace saeculi nostri dixerim, magnum nos discrimen ponere inter rationem, et ridiculos rationis jactatores, inter sanam Philosophiam, et insanos Philosophos. Hi antequam vetus, et toto orbe divulgatum dogma aggrediantur, primum videant, num inter se, aut secum ipsi consentiant.

2.° Certa est, et constans Ecclesiae Catholicae doctrina, ex omnibus verae et divinae Revelationis fontibus deducta, quod homines omnes nascantur peccato, et quae ex eo secuta est, condemnationi obnoxii; quod ii etiam, qui gravibus delictis se obstringunt, in reatum incurrant poenae aeternae. Quaeritur ergo: si Deus poenam necessario exigit per peccatum promeritam, neque eam in sponsorem transferre potest; quis manebit indul-

gentiae locus resipiscentibus? Nam etiam vita in melius mutata, ut adversarii dicunt, non possunt, quae jam commissa sunt, diluere, neque etiam aeterna supplicia effugere, cum Deus non possit a poena abstinere. Nescio an aliquid possit absurdum magis et inhumanum cogitari, aut, quod Deo et morali ordini magis repugnet. Quis enim vellet unquam e peccato exire, quis innumeris pugnis et molestiis ad virtutem contendere, si nullum illi superesset placandi numinis remedium? Verum tollitur omnis difficultas in Catholico dogmate. Deus poenam exigit ad justitiae rigorem, sed eam transfert in Christum sponsorem nostrum, *quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae.* Rom. III. Ita nec poena deest peccato, nec misericordia homini; ita resipiscentibus larga aperitur ad reconciliationem via.

Instant I. Eadem illa Philosophorum Schola, quae Deum ait necessarium esse mali moralis vindicem, etiam tanquam dogma rationis statuit, poenas peccatorum temporarias tantum esse, non aeternas. Ergo nulla est data responsio.

Resp. Non est, cur nos valde commoveant incertae Philosophorum tum veterum tum recentiorum opiniones, et illa tam ridicule jactata rationis dogmata, quae vix nata, iterum cadunt et vilescunt; ut sylvae foliis pronos mutantur in annos. Non potest esse rationis dogma, quod divinae Revelationi est contrarium. Interim hic adnotasse juvat, Catholicos, cum Christum dicunt pro genere humano satisfecisse, poenas temporales non excludere. Omnes enim magno consensu docent, satisfactionis Christi effectum in eo consistere, quod peccator post veram conversionem a culpa solvatur, poena autem aeterna, quam commeritus fuerat, mutetur in temporariam. Manet ergo peccatori poena temporaria *a)*; non habent ergo, quod Catholico dogmati objiciant Philosophi nostri. Sed ostendemus illis, quos impugnent, *Socinianos*, et *veteres Protestantes.* Socinianos quidem, qui, ut Christi satisfactionem excludant, Deum ajunt poenas peccatorum omnes dimittere posse, et revera dimittere. Protestantes autem, qui dum Christi satisfactionem extollunt, omni simul peccatorem

---

a) Zimmer Theol. spec. Tom. II. pag. 220 etc.

debito, omni satisfaciendi obligatione liberant. His suam de Deo judice et moralis ordinis assertore doctrinam opponant.

INSTANT II. Iniquum est poenas peccatorum transferre in innocentem. Ergo etc.

RESP. DIST. ANT. Iniquum est poenas transferre in innocentem, nisi hic lubens et legitime constitutus sit sponsor, *conc.*; si lubens et legitime id oneris susceperit, *nego.*

INSTANT III. In morali mundi gubernatione duplex esse debet poenarum scopus; punitio scilicet peccati, et emendatio peccantis. Ergo peccans ipse debet portare poenam delicti.

RESP. DIST. CONSEQ. Peccans ipse debet portare poenam, si de poena agitur, quae vitae emendationem et aeternae felicitatis assecutionem non impediat, sed magis promoveat, *conc.;* si de poena aeterna agitur, quam peccator commeritus fuerat gravioribus delictis, *nego.* Si, prout fides Catholica docet et nos alio loco ostendemus, poenae peccatorum aeternae sunt, neque in potestate peccatoris sit illatam Deo injuriam condigna satisfactione diluere; quae, quaeso, vitae emendatio sperari poterit? Christi satisfactio et plenam continet injuriae reparationem, et, si ad Ecclesiae Catholicae mentem intelligatur, ad veram vitae emendationem quam plurimum confert. Exinde peccatores peccati gravitatem agnoscunt, et simul in spem eriguntur recuperandae gratiae. Imo ad poenitentiae opera et ipsi non parum incitantur, quae sciunt ex satisfactione Christi meritum habere et necessaria esse ad plenam cum Deo reconciliationem.

CAPUT SECUNDUM.

DE QUIBUSDAM SATISFACTIONIS PROPRIETATIBUS.

OBSERVANDA.

I. Satisfactio etiam vera et proprie dicta adhuc distingui potest in perfectam et imperfectam. *Perfecta* est, quae omnes conditiones habet legitimae et strictae satisfactionis, et a Theologis definiri solet: *Redditio voluntaria honoris et aequivalentis ei qui laesus est, idque ex propriis, et alias indebitis, ad compen-*

sandam injuriam alicui illatam. Quando una aut plures ex his conditionibus desunt, *imperfecta* dicitur; quando nempe aut voluntaria non est, uti poenae, quae reo a judice infliguntur; aut non aequivalens, aut non ex propriis, aut non ex alias indebitis; non enim stricte satisfacere censetur, qui dat id, quod jam alio titulo debet. Theologi Catholici omnes in eo consentiunt, quod Christi satisfactio, si intrinsecum ejus pretium spectemus, non aequivalens tantum fuerit, sed etiam superabundans. An porro ad rigidae justitiae leges fuerit exacta, non est ab omnibus concessum; sed dissensio in verbis tantum est, prout postea dicetur.

II. Superest alia non exigui momenti quaestio: an vis et gratia redemptionis ad omnes et singulos homines pertineat. Nulla hac de re controversia ante Augustini tempora reperitur. Postea una cum praedestinatiano dogmate aliquorum animos incessit opinio, non in omnes, qui ex Adamo nati sunt, Redemptionis meritum effundi, sed in eos tantum, qui praedestinati sunt ad vitam. Hanc perversam sententiam Saeculo sexto indocti quidam et obscuri nominis viri ex S. Augustini libris male intellectis hausisse videntur. Eam Saeculo IX. *Godescalcus* Monachus recoxit. Verum leviores hi impetus erant, et vix adhuc ex historia noti: acrius in Ecclesiae doctrinam surrexerunt Saeculo XVI. Novatores; et XVII. Saeculo Calviniana haeresi afflata novorum Dogmatistarum factio, qui ad damnatae sectae suae ruinas fulciendas, ait *Petavius a)*, ex Novatorum scriptis sibi praesidium accersere. *Jansenianos* intelligit vir doctissimus, qui satisfactionem Christi quidem admittunt veram et proprie dictam, sed negant Christum pro omnibus hominibus mortuum esse. Nihil haec secta Socinianis cedit in artificiosis doctrinae suae expositionibus, quibus fucum incautis faciunt. Hinc ultro fatentur Christum mortuum esse pro omnibus et singulis quoad pretii sufficientiam; imo haereticum esse clamant, Christum quoad oblationem pretii pro solis praedestinatis mortuum esse; quia mortuus est etiam pro illis gratiae auxiliis, quae tot reprobis dantur, maxime fidelibus, quamdiu in hac vita degunt: et quae ex se quidem ad salutem tendunt, eamque producere possent in hypothesi minoris concu-

---

a) De Incarnat. Lib. XIII. Cap. I.

piscentiae. In hoc ergo versipellis error consistit, quod velint Christum pro solis praedestinatis ita mortuum esse, ut salutem nemini alteri faceret possibilem. Sed de Haeresi hac libro V. plura dicendi locus erit.

PROPOSITIO I.

Satisfactio Christi plena fuit et ad strictae justitiae leges exacta.

Prob. Satisfactio plena dici potest et exacta ad strictae justitiae leges, quando voluntarie et libere redditur, quod ablato aequivalet, idque ex propriis et alias indebitis. Atqui haec omnia in Christi satisfactione reperiuntur. Ergo etc.

Prob. minor. Satisfactio Christi 1.° *libera* erat; nam nihil cogere potuit Dei Filium, ut semetipsum exinaniret, formam servi accipiens. *Oblatus est,* ait Isai. LIII., *quia ipse voluit.* 2.° Erat *aequivalens:* hoc enim habuit ex dignitate Verbi, ut nostra debita plene exsolveret, injurias Deo illatas plene resarciret. Et vero si Christi satisfactionem suppleri opportuisset indulgentia et gratuita remissione, quid necesse fuisset Deum incarnari? Imperfecta enim satisfactio etiam per naturam creatam praestari potuisset. 3.° Erat *ex propriis et alias indebitis,* quod omnino ad rigidam satisfactionem requiritur; atque hac ratione probatur, quod Deo pro qualibet offensa nunquam posset fieri satis ab ulla creatura; quia quidquid habet, a Deo habet et multis nominibus Deo debet. Unde quae creatura Deo offerre potest, non dantur Deo, sed redduntur. At Christi Domini longe alia est ratio. Quidquid ille dedit, ex propriis dedit, nec ulli debito erat obnoxius. Persona Verbi, a quo omnis satisfactionis valor desumitur, erat persona divina, nemini subdita: et quamvis actiones, quibus Christus satisfecit, a natura humana fluxerint, erant tamen Verbi actiones; quia Verbum hominem assumpsit, non homo Verbum.

PROPOSITIO II.

Satisfactio Christi non tantum plena erat et ad omnes justitiae leges exacta, sed et cumulata et superabundans.

Prob. I. *Ex Script.* Expressissimum est Apostoli testimonium ad Rom. V, 15. *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et v. 20. *Ubi abundavit gratia.* Et Christus ipse ait Joan. X, 13. *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.*

II. *Ex Patrib.* S. *Cyrill. Jerosolym.* Catech. XIII. *Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis. Non erat ovis sensibilis; non erat simplex homo; non erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccatorum iniquitas, quanta pro illis morientis justitia; non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit.* S. *Chrysost.* homil. X. in Epistol. ad Rom. *Multo plura iis, quae debebamus, dependit Christus: atque adeo tanto plura, quantum mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit.*

III. Rationem quoque afferunt Theologi ex dignitate personae petitam. Notum est enim, pretium satisfactionis ex persona aestimari, a qua proficiscitur; sicut injuriae gravitas crescit ex dignitate personae, quae laeditur. Exinde Patres probarunt necessitatem Incarnationis, quia infinita peccati gravitas, uti dicunt, infinita Redemptoris dignitate compensari debuit. Verum multo majus erat, quod a Christo oblatum est, quam necesse fuisset ad exhaurienda peccata; nam multo plus est Deum humiliari, quam hominem adversus Deum se erigere; et plus movet ad placandum Deus se humilians, quam ad irascendum homo adversus Deum se erigens. Peccatum quidem, quia laedit Dei majestatem, infinitum est, sed extrinsece tantum et objective; contra Christi satisfactio est infinita intrinsece. Christus porro totam vitam suam, omnes vitae suae labores et aerumnas, atque demum semetipsum obtulit; quid autem potest esse ex omni parte infinitum magis?

PROPOSITIO III.

Christi satisfactio ad omnes et singulos homines pertinet; seu: Christus pro omnibus hominibus mortuus est.

Prob. Si non ad omnes omnino homines extenderetur Christi satisfactio, unum ex duobus esset necessario admittendum; vel, quod satisfactionis pretium satis non fuisset ad salutem omnibus acquirendam; vel quod Deus non omnes velit salvos fieri. Atqui utrumque falsum est. Ergo etc.

Prob. min. 1.° Christum parem peccatis satisfactionem dedisse, imo majorem et superabundantem priore propos. ostensum est. 2.° Difficilior videtur secunda minoris pars, a qua et praesens quaestio potissimum pendet. Nam, cum constet neminem nisi Mediatoris Christi meritis salutem consequi posse; sane consequens est, ut, si Deus omnes, quantum in se est, salvos esse voluerit, etiam Christi Redemptoris merita ex Dei voluntate ad omnium hominum salutem comparata fuerint. Quod autem Deus salutem velit omnium hominum Scripturae aperte docent. Sapient. XI. *Misereris omnium, quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* II Petri III, 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Sed rem totam conficit vel solus Apostoli locus I ad Timoth. II., ubi postquam orandum esse docuit pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt (erant autem tum temporis gentiles, qui imperabant), addit v. 3 et 4. *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.*

Prob. II. Ex illis Scripturae locis, quae directe assertionem adstruunt. Joan. III, 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* II ad Cor. V, 16. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Rom. V, 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* I ad Timoth. II. *Unus Mediator Dei*

et hominum, homo Jesus Christus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. I Joan. II, 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Nihil sane his locis potest esse lucidius.

Prob. III. *Auctoritate Patrum et Ecclesiae decisionibus.* In Symb. Nicaeno dicitur: *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis,* etc. Concil. Arelatens. XXX. Episcoporum versus an. 475. approbavit Epistolam *Fausti Reijensis* ad Lucidum Presbyterum, cujus C. VI. sic sonat: *Item anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* Vid. Trident. Sess. VI. Cap. II. et III. — Eadem constans est Patrum sententia, quod ex professo et luculentissime probat *Petav.* de Incarn. Lib. XIII. Nos ex tanta testimoniorum copia haec pauca seligamus. *Clemens Alexandr.* Lib. VII. Stromat. ait: *Verbum aeternum privatim singulis et communiter omnibus est unus salvator.* S. *Cyrill. Jerosolym.* Cateches. VIII, Nro. 2. *Universum hominum mundum redemit: neque tibi mirum videatur, totum orbem redemptum esse; non enim nudus homo, sed filius Dei unigenitus erat, qui ea de causa moriebatur.* S. Leo Serm. XXIX. de nativ. Domini Cap. I. *Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum invenit, ita pro liberandis omnibus venit.*

Merito igitur ab Innocentio X. et Alexandro VII. damnata est haec propositio, quae est inter Jansenianas quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.* Damnatur autem haec proposito: *ut falsa, temeraria, scandalosa; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, ut impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans et haeretica.*

ARGUMENTA EX ADVERSO.

Contra primam et secundam Propositionem.

Argum. I. Satisfactioni Christi aliquid deest, juxta illud Apostoli ad Coloss. I.: *Adimpleo ea, quae desunt passionum*

Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Ergo non est aequivalens.

Resp. neg. conseq. Passio Christi plena quidem fuit in se, et abundans; ei tamen aliquid defuit, et deest in nobis, nimirum communicatio et participatio meritorum Christi. Hinc nemo etiam eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, fructus percipere potest Satisfactionis, nisi eorum per Sacramenta et poenitentiae opera particeps efficiatur. Caeterum verba Apostoli commode intelligi possunt de gravissimis apostolici muneris laboribus; addit enim: *Pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Nimirum, Christo pro nobis passo et mortuo, necesse erat, ut Apostoli dura multa et acerba paterentur, ut Ecclesia, quae corpus Christi est, propagaretur et cresceret.

Argum. II. Actiones, quibus Christus satisfecit, sunt reipsa finitae, ergo pretium infinitum non habent; quod enim in re finita continetur, illud quoque finitum est.

Resp. dist. ant. Finitae sunt, si natura actionis physica consideretur, *conc.* Si attendatur ad moralem actionis aestimationem, *nego.* Christus satisfecit quidem per actiones humanas, quarum perfectio physica nonnisi finita esse potest. Verum actiones illae pretium infinitum habent a dignitate personae, a qua dimanant; erant enim actiones Verbi.

Inst. I. Si quaevis Christi actio infiniti valoris est; ne ipsa quidem crucis tormenta majoris erunt pretii, quam quaelibet alia actio; cum infinito nihil addi possit. Dein frustra Christus acerbissimos dolores et mortem ipsam tolerasset; cum una actione meritum omne suum et satisfactionem perfecisset. Ergo etc.

Resp. nego utramque partem anteced. 1.° Quamvis mors Christi ex dignitate personae aliis ejus actionibus aequalis fuit, ex objecto tamen ipso et circumstantiis longe fuit praestantior. 2.° Dubium non est, quod Christus unica actione Deo satisfacere, unica sanguinis gutta omnium hominum peccata eluere potuisset. Verum passione et morte sua opus redemptionis consummare voluit, idque ex abundanti charitate. Id quoque aperte Scripturae docent, decretum a Patre fuisse, quod merita Christi non essent effectum suum consecutura, nisi virtute mortis ipsius. Ita voluntas Patris ferebat, ut tantae severitatis simul et charitatis

consideratione, et odium peccati cresceret, et ad Deum amandum vehementius corda inflammarentur.

Argum. III. Sunt etiam inter Catholicos Theologi, qui putant satisfactionem Christi non fuisse ad strictos juris apices exactam. Ergo etc.

Resp. Omnes illi Theologi uno ore confitentur, Christum nostra vice satisfecisse, et adeo cumulate, ut offensionis injuriam compensationis magnitudo non aequarit solum, sed infinito post se intervallo reliquerit. Unde magis verbis dissentiunt a nobis, quam reipsa: nam, quid sit ex stricta justitia satisfacere, aliter definiunt. Exigunt autem, praeter alias conditiones ut satisfactio sit ad alterum, et ut ab ipso debitore proficiscatur; nemo enim, cujus laesus fuerit honos, satisfactionem acceptare tenetur, quae ab eo, qui laesit, non proficiscitur. Utrumque dicunt Christi satisfactioni deesse: nam ad alterum proprie non erat, nisi relate ad Patrem et Spiritum S.; deinde ab ipso debitore non erat oblata, ideoque ex sola acceptantis liberalitate vim obtinuit. — Quod primo loco ab ipsis objicitur, jam a nobis dilutum est. Quod autem additur, nullam in Deo fuisse necessitatem acceptandi satisfactionem Christi, id minime negamus, si de absoluta necessitate loquuntur; nam Verbi incarnatio libera omnino erat, non necessaria Deo. Contendimus autem, posita incarnationis hypothesi, tantum Deo expensum fuisse satisfactionis pretium, ut majus haberi non possit. Equidem potuisset Deo haec satisfactio non exhiberi; sed ea oblata nihil habuit summa justitia, quod ultra requireret.

Contra tertiam Propositionem.

Argum. I. Matth. XX, 28. Christus ipse ait: *Filius hominis venit, dare animam suam redemptionem pro multis.* Matth. XXVI, 28.: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur.* Iterum Matth. XV. dicit: *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israël.* Ergo etc.

Resp. ad I. et II. Non repugnat, omnes esse multos, et multos omnes. Aliis enim Scripturae locis expresse asseritur, Christum mortuum esse pro peccatis totius mundi: eum esse Redemptorem omnium, maxime fidelium; I Timoth. IV. — Textus objecti non magis restrictionem continent, quam Apostoli

verba ad Rom. V.: *Per unius delictum peccatores constituti sunt multi.* Haec de originali culpa dicta sunt, quam adversarii non diffitentur ad omnes et singulos homines transiisse.

Ad III. Christus se ad oves tantum domus Israël missum dicit, ut ipse scilicet illis praedicaret regnum coelorum; et vitam hanc mortalem inter eos transigeret. Verum ante suum in coelos ascensum misit Apostolos, ut praedicarent Evangelium omni creaturae.

Argum. II. Christus non oravit pro reprobis; ait enim Joan. XVII.: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Ergo neque pro iis mortuus est.

Resp. Absit a nobis, ut Haereticorum interpretationem sequentes haec Christi verba aliter intelligamus, quam id patitur Ecclesiae doctrina, quae manifestis Scripturae testimoniis, et perpetuae Traditionis auctoritate fundatur. Christus ibi mundum sumit praecise ut mundum, neque pro eo ut tali orat, sed pro hominibus, ut relicto spretoque mundo regnum Dei quaererent et justitiam ejus. Caeterum necesse non est, ut Christum dicamus semper et quacunque occasione pro omnibus orasse. Oravit ibi potissimum pro Apostolis, quibus ea ratione benedicens vale dixit; et v. 20. pro caeteris fidelibus per Apostolorum praedicationem credituris.

CAPUT TERTIUM.

DE QUIBUSDAM SATISFACTIONIS EFFECTIBUS.

Infinitae et ininvestigabiles sunt divitiae gloriae sacramenti hujus, atque in iis exponendis prius verba deficiunt, quam materia dicendi. Ne ergo plus justo hoc volumen excrescat; quaedam adhuc, quae omnino praeteriri non possunt, hoc capite tractabimus, quantum fieri potest, anguste et contracte. — Agemus autem 1.° de Christi descensu ad inferos. 2.° De meritis Christi. 3.° De quibusdam Salvatoris nostri titulis.

§. I.

De descensu Christi ad inferos.

OBSERVANDA.

I. Tota Ecclesia hodie in Symbolo Apostol. profitetur, Christum descendisse ad inferos. Observat tamen *Bellarm. a)*, hanc particulam: *Descendit ad inferos*, olim non fuisse in Symbolo apud omnes Ecclesias; et plurimi veterum eam praetermittunt, cum fidei regulam explicant ab Apostolis traditam. Alii eam in Symbolo legunt et exponunt; ut *Cyrill.* Catech. IV. et XIV. *Chrysost.* Homil. II. de Symbolo. Unde conjicere licet, eam non protinus, sed sensim Ecclesiis insuevisse, atque eo facilius, quod non novam aliquam et incognitam Veteribus doctrinam exprimeret, sed communem omnium Ecclesiarum sensum. Novatores nobis hac in re consentiunt, omnes enim Symbolum legunt cum hac particula; imo Calvinus eam haberi vult in maximi momenti articulis *b)*.

II. Non parva autem exsurgit controversia, quando de explicatione illius articuli quaestio movetur. Catholici communi consensu docent, animam Christi obita morte in eum locum descendisse, quem limbum vocamus, ut inde liberaret animas Patriarcharum, Prophetarum, et aliorum justorum expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei. Fuerunt autem olim, qui docuerunt, Christum in locum damnatorum descendisse, ut damnatos educeret. Alii putarunt, aliquos saltem extractos fuisse celebriores ex gentilibus viros, qui dum viverent, ad rationis normam actiones suas componere studuerunt. Ita opinantur *Clemens Alexand.* lib. VI. stromat. et *Joann. Damasc.* in lib. de defunctis. Extat Epist. S. *Bonifacii* Mogunt. Archiepisc. ad Zachar. Papam *c)*, in qua mentio fit *Clementis* cujusdam Scoti haeretici, qui *contra fidem SS. Patrum contendit, dicens, quod Christus Filius Dei descendens ad inferos, omnes, quos inferni carcer detinuit, inde liberavit, credulos et incredulos, laudatores Dei simul et cultores idolorum.* Novatores alii dicunt, Christum non in limbum tantum descendisse, sed etiam in locum damnatorum, ut ibi victoriam

---

a) Lib. IV. de Christi anima cap. IV. *b)* Lib. II. Instit. cap. XVI. *c)* Würdtwein Epist. S. Bonif. pag. 170.

suam ac triumphum ostenderet. Ita Lutherus. Alii per descensum ad inferos intelligunt cruciatus damnatorum, quos Christum, ut plene satisfaceret, sustinere necesse fuit; quod praeter Lutheranos quosdam, Calvinus, et multi etiam Calviniani admittunt; quamvis diversa iterum ratione. Neque defuerunt jam inter antiquiores Protestantes, qui inferni nomine sepulchrum significari contendunt; proinde nihil esse aliud, Christum descendisse ad inferos, quam sepultum esse.

PROPOSITIO.

Anima Christi post mortem ad inferos descendit; hoc est ad limbum, ut inde justos V. T. erueret.

Prob. I. pars. Psal. XV, 10. Propheta ait: *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Haec verba S. Petrus de Christo interpretatur Actor. II, 27. — Tum v. 31. addit: *Providens* (Propheta) *locutus est de resurrectione Christi, quia nec derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem.* Tum Propheta, tum Apostolus clare distinguunt inter animam, quae in inferno non fuit derelicta, et corpus, quod in sepulchro positum non vidit corruptionem.

In Symbolo Apostolorum expressus est et distinctus iste articulus: *Descendit ad inferos.* Ita ergo quotidie tum privatim tum publice profitentur omnes per totam Ecclesiam fideles. Et quamvis antiquitus in complurium Ecclesiaram Symbolis haec verba non legerentur; doctrinam tamen, quam exprimunt, ubique fuisse communi fide receptam, omnium saeculorum testimonia probant tum Graecorum, tum Latinorum Patrum; quos longo ordine recensere nimis operosum esset. Vid. *Bellarm.* de anima Chr. IV. cap. XIV. — *Petavium* de Incarn. lib. XIII. cap. XVI. XVII. et initium XVIII. — *Wiest* Op. maj. tom. V. §§. 154 et 155. etc. — Omnium loco sit S. *Augustin.* qui Epist. 164. ad Evodium cap. II. ait: *Quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum?*

Prob. II. pars. Communis haec Catholicorum sententia est, Patrum etiam comprobata testimoniis, Christum

descendisse ad animas justorum, qui ante ejus adventum vita defuncti erant, ut salutem iis impertiretur. Patrum test. collegit Doctiss. *Wiest* loco citato. Adsunt etiam, tum veteris et novi Testamenti loca, quae idipsum non obscure docent. En praecipua, Eccles. XXIV, 45. ait divina sapientia: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Zachar. XI, 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua . . .* et v. 12. *Convertimini ad munitionem vincti spei.* Complementum eorum, quae in V. T. praedicta fuerant, in I. S. Petri reperitur, cap. III. v. 18. et seq. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est . . . mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus praedicavit* etc. Haec et alia plura ad mentem Ecclesiae et Patrum sententiam exacta certos nos faciunt, Christum non descendisse ad locum damnatorum, ubi spes consolationis et redemptionis nulla est; sed ad locum ubi justi detinebantur, ut eos inde liberaret.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

Objic. I. Haec Symboli verba: *Descendit ad inferos*, nihil aliud significant, quam Christum descendisse in sepulchrum; constat enim inferni vocabulum saepius pro sepulchro poni. Ergo etc.

Resp. n. ant. Ineptam hanc interpretationem Calvinus ipse refellit *a)*. « Quantae oscitantiae fuisset, inquit, rem minime difficilem verbis expeditis et claris demonstratam, obscuriore deinde verborum complexu intricare magis, quam declarare? » Clara sunt haec Symboli verba: *et sepultus est.* Si autem particula haec: *Descendit ad inferos*, explicatio est prioris, ea deberet esse clarior, et tamen esset obscurior. Deinde superflua esset, et mera battologia, in brevi fidei compendio, ut est illud Symbolum, minime toleranda. Porro genuinum illius particulae sensum publica Ecclesiae fides satis superque determinat.

---

a) Instit. Lib. II. cap. XVI. n. 8.

Objic. II. Illud S. Petri Actor. II, 31.: *Non derelictus est in inferno*, non potest alio sensu intelligi, quam textus Psal. XV., quo Petrus eo loco utitur. Psaltes autem non de inferno loquitur; sed de sepulchro; vox *Scheol*, quam adhibet, perpetuo linguae hebraicae usu sepulchrum significat; eadem fere Graecae vocis ἅιδης significatio est. Ergo etc.

Resp. *Scheol* indefinita quaedam vox est, et loca subterranea designat; quare non pro sepulchro tantum accipitur, sed etiam pro animarum post mortem ergastulo. Igitur ad scopum auctoris sacri rerumque contextum attendendum est. Et certe, cum Jacob ait Genes. XXXVII.: *Descendam ad filium meum lugens in Scheol*, quis sepulchrum intelliget? Putabat enim Jacob filium a feris devoratum, ac proinde caruisse sepulchro. Nunc, si quaeritur, quo sensu vox *Scheol* in laudato Psalmo XV. accipienda sit, clamat totus Christianae antiquitatis consensus, inferna animarum domicilia intelligi. Huic autem interpretationi vox Graeca ἅιδης tam parum repugnat, ut eam quam maxime confirmet. Graece enim Sepulchrum τάφος dicitur, unde Epitaphia vocantur. Ἅιδης autem in genere significat locum obscurum a privativo ἀ et ἰδεῖν videre; et proprie significat alterum saeculum, tum respectu corporis, tum respectu animae, incluso etiam statu beatorum. Vide *Eduardi Leigh* Angli criticam sacram. — *Bellarm.*, *Petavium* etc. locis citatis; imprimis celeberrimi *Muratorii* de ingen. moderat. lib. III. cap. IX.

Objic. III. 1.° Christus latroni poenitenti dixit Luc. XXIII, 43.: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo non descendit ad inferos. 2.° I Petr. III. dicitur, Christum praedicasse his, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë; atqui haec, si de Christi descensu intelligi possunt, probant Christum ad damnatorum locum pervenisse, ut infidelibus fidem redemptionis praedicaret. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Per Paradisum ibi non intelligitur locus, in quo nunc Beati cum Christo regnant; sed locus pacis ac refrigerii, quem limbum vocamus, in quem anima latronis cum anima Christi descendit.

---

a) De Incarn. lib. XII. cap. XIX.

Ad II. neg. min. Locum illum Apostoli Petri valde obscurum esse et perplexum non diffitemur; communior tamen sententia est, et prae caeteris Patrum doctrinae et communi Christianorum sensui magis accomodata; Petrum de iis intelligendum esse, qui tempore diluvii vixerunt, et cum increduli fuissent, id est, fidem non adhibuissent monitis Noëmii, aquis oppressi sunt; ita tamen, ut antequam animam redderent, ad Deum conversi, veniam peccatorum obtinuerint. Hi nihilominus puniti sunt in carne, ut spiritus salvus esset.

Scholion. Quaeritur, an anima Christi per triduum mortis manserit unita ejus divinitati? Testatur *Petavius a)* vix unum sibi notum esse ex Veteribus, qui existimaverit Verbum triduo illo ab anima fuisse disjunctum. A carne autem separatum fuisse aliqui crediderunt, sed et hi pauci admodum. Alii omnes pro certo habent, Deum Verbum tum ad inferos descendenti animae, tum jacenti in sepulchro corpori revera et καθ' ὑπόστασιν conjunctum mansisse.

Atque do hoc nullus est dubitandi locus: verum an sanguis quoque a corpore separatus Verbo fuerit hoc triduo unitus, non ita est inter Theologos finitum. Siquidem Anno 1454 sedente Pio II. gravis hac de re contentio orta est inter S. Thomae et Scotistarum Scholas. Negabant hi, illis contra pugnaciter affirmantibus. Per tres dies coram Summo Pontifice quaestio agitata est cum magno animorum aestu; sed nihil decisum. Imo biennio post S. Pontifex utrique parti sub excommunicationis poena silentium imposuit. Cf. *Tourn.* quaest. VII. art. III. *Wiest* Op. M. tom. V. §. 124 cum Schol. Caeterum observandum est, controversiam hic non esse de illis sanguinis Christi particulis, quae in quibusdam Ecclesiis servantur. Illae enim, etiamsi tales esse constaret, tanquam pretiosae Christi reliquiae magno quidem honore habendae essent, sed adorationis propriae cultum non merentur, quia non essent cum divinitate hypostatice unitae. Accedit quod communior sententia sit, omnem, qui ex corpore Christi tempore cruentae mortis effluxit, sanguinem, a Christo redivivo rursus fuisse assumptum.

§. II.

De meritis Christi.

OBSERVANDA.

Cum satisfactione Christi intimo nexu conjuncta sunt Christi Redemptoris merita; nam sicut satisfaciendo peccata sustulit, et injuriam Deo illatam plenissime compensavit; sic et iisdem mortalis vitae actionibus gratiae dona et reconciliationem hominibus promeruit. Hinc fit, ut non raro unum pro alio accipiatur, et Christus, cum satisfecit, meruisse dicatur, et cum meruit, satisfecisse. Est tamen meritum inter et satisfactionem aliquid discriminis. Satisfactio respectum habet ad injuriam compensandam; meritum jus aliquod ad mercedem pretiumque significat. Satisfactio praestatur Deo, non nobis: verum non Deo, sed nobis absolutionem a reatu poenae et vitam aeternam Christus promeritus est. Theologi duplex meritorum genus distinguunt. Meritum *de congruo*, cui ex quadam duntaxat decentia et congruitate praemium tribuitur: et meritum *de condigno*, quod solum proprie meritum appellari potest, et mercedem vel praemium habet ex justitia.

Omnes qui Christum vere pro nobis satisfecisse docent, etiam nobis meritum fuisse concedunt. Si autem quaeritur, an etiam sibi ipsi meruerit Christus, plerique Protestantes contradicunt; inter alios *Calvin.* Instit. lib. II. cap. XVII. n. 6. — Quem Doctiss. *Bellarm.* refutat lib. V. de Christo Mediat. cap. IX. et X.

PROPOSITIO I.

Christus vere meritus est per eas ipsas actiones, per quas Deo pro nobis satisfecit, ejusque merita infiniti sunt valoris.

Prob. I. pars. Ut aliquid rationem meriti habeat, requiritur ex parte agentis status viatoris, sanctitas et in agendo libertas; ex parte Dei promissio mercedis. Haec porro promissio omnino requiritur; quia Deus nemini quidquam debet, sed ex sua tantum misericordia se obligat. Atqui hae meriti conditiones omnes in Mediatore Christo reperiuntur. Ergo etc.

Prob. minor. 1.° Christus, dum hanc mortalem vitam agebat, in via erat et ad terminum tendebat juxta illud Lucae XXIV. *Nonne haec oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam?* Quod autem nec sanctitas ei defuerit, nec in agendo libertas, per se et ex probatis certum est.

2.° Habemus quoque promissionem ex parte remunerantis; vel ut alii loqui malunt, pactum de mercede repraesentanda opere facto. Isaiae LIII, 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum . . .* et quae sequuntur: *Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.* Idem disertis verbis declarat Apostolus in ea, quae est ad Philipp. cap. II. *Humiliavit* etc. Hic enim et plenae libertatis fit mentio: *Humiliavit semetipsum:* et mercedis ac praemii quod actionem subsequitur: *Propter quod Deus exaltavit illum.*

Prob. II. pars. Eadem est meriti, ac satisfactionis ratio. Utriusque valor ex operis dignitate deducitur. Actiones autem Christi infiniti pretii fuerunt; erant enim actiones et passiones Hominis-Dei. Sequitur ergo infinitam fuisse meritorum Christi amplitudinem. Vid. cap. II. prop. II. et object. III.

PROPOSITIO II.

Christus sibi ipsi promeruit gloriam corporis, nominis exaltationem, gentium cultum et adorationem: nobis vero justificationem et vitam aeternam et omnia ea gratiae dona, quae vel antecedunt, vel subsequuntur justificationem.

Prob. I. pars. Quidquid post mortem suam gloriae et felicitatis consecutus est Christus homo, hoc illi utique jam debebatur ob Verbi majestatem: verum cum haec gloria et beatitudo suspensa esset in Christo, ut satisfaciendi locus et patiendi foret; ipse voluit, quod alio jam titulo debebatur, proprii etiam sanguinis pretio mereri. Id clare

in Scripturis continetur. Lucae XXIV. *Nonne oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam?* Frustra cavillatur Calvinus, indicari quidem his verbis, quod gloria post mortem secuta sit, non autem quod mors causa fuerit gloriae: nam sensus, quem verbis attribuimus, obvius est et sponte se offert omnibus, qui non sunt contraria opinione irretiti. Deinde quem sensum affingent istis locis, in quibus expresse particula *propter* adhibetur, quae aperte indicat causam? Ad Philipp. II. *Humiliavit semetipsum ... propter quod et Deus exaltavit illum ...* et ad Hebraeos II, 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.*

Prob. II. pars. Haec pars apud omnes, qui reconciliationis mysterium non abjiciunt, tam certa est, ut longiori probatione non indigeat. Rem igitur paucis conficimus. Ephes. I, 3. ait Apost.: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati ...* et v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus.* II Cor. VIII, 9. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis* etc.

OBJECTIONES.

Objic. I. 1.° Dici non potest, quaenam sint illae actiones Christi, quibus Deum nobis promeruit, sibi autem gloriam acquisivit. 2.° Christus meritus est per actiones humanas, quae cum sint necessario finitae, non possunt meritum habere infinitum; quod enim in re finita continetur, illud quoque finitum est. 3.° Pluris aestimari non potest actio meritoria, quam gratia, aut charitas ex qua fluxit: sed hanc in humana Christi natura finitam fuisse omnes consentiunt. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Christus a primo conceptionis suae instanti meritus est, juxta illud Apostoli ad Hebraeos X. *Ingrediens in mundum dixit: Hostiam et oblationem noluisti; tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam.* In illo sci-

licet primo instanti Filius Dei *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Exinde tamen concludi non potest, Christum aut ipsam hypostaticam unionem, aut gratiam et gloriam essentialem sibi promeruisse. Christus enim ut Deus mereri non potuit; quia meritum supponit remunerationem, Deo autem non potest dari remuneratio. Solae ergo humanitatis actiones causa fuerunt meriti. Quis autem dicat, humanitatem Christi potuisse mereri suam cum Verbo unionem, et quidem antequam existeret, tunc enim primum existere incepit, cum fuit Verbo unita? Idem de gratia illa et gloria dicendum, quae sunt velut proprietates quaedam unionis hypostaticae, et ab ea abesse non possunt. Gratia et unio hypostatica meritum Christi antevertunt, illudque efficiunt; ergo non possunt ipso ex merito profluere.

Resp. ad II. Vide quae superius dicta sunt, cum de satisfactione ageretur. Eadem enim est satisfactionis et meriti ratio.

Resp. ad III. neg. maj. Meritum, aut pretium actionis non ex gratia modo aestimari oportet, cujus perfectio physica fuit finita, sed maxime ex personae ipsius dignitate. Quo is praestantior est, qui se ipsum deprimit, eo majus est meritum: sed Christus non humanitatem modo suam, verum se totum exinanivit quodammodo, ut ait Apost. Pulchre quoque S. *Leo* ait *a*): *Licet aliud sit Creator, aliud creatura, aliud Deitas inviolabilis, aliud caro passibilis; in unam tamen personam concurrit proprietas utriusque substantiae, ut sive in infirmitatibus, sive in virtutibus, ejusdem sit contumelia, cujus et gloria.*

Objicitur II. Gloria corporis, et nominis exaltatio Christo debita erat titulo unionis hypostaticae; ergo illam meritus non est.

Resp. 1.° Christus meruit quaedam Incarnationis consectaria, aut quasdam gloriae externae accessiones, ut nominis exaltationem etc. Gratiam autem et gloriam animae, quae unioni hypostaticae necessario cohaerent, habuit independenter a meritis. 2.° Potuit tamen, ut in probatione ostendimus, etiam sanguinis pretio mereri, quod sibi jure nativitatis debitum erat. Gloriam hanc Christus ipse a Patre postulavit Joan. XVII, 4. et 5. *Ego te glorificavi super terram.. et nunc clarifica me tu, Pater, apud te-*

a) Serm. XI. de Passione.

metipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te. Id est: Largire humanitati meae eam gloriam, quam per divinitatem semper habui in te. Et pulchre S. *Augustin.* ait: *Ut Christus resurrectione glorificetur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis praemium.*

§. III.

De quibusdam titulis Christi.

OBSERVANDA.

Quae tractanda supersunt, necesse non est multis persequi. Pleraque certa jam sunt et manifesta ex iis, quae hucusque disputavimus. Ejusmodi sunt haec, aut similia, quae de Christo in veteri et novo Testamento enuntiantur; quod sit *Deus*, *Filius Dei*, *homo*, *filius hominis; Deus-homo*, *Emmanuel*; item, *Doctor*, *Pastor*, *Legislator*, *Messias*, *Salvator*, *Redemptor*, *Satisfactor*, *Sponsor* etc. Neque de nominibus illis hic agendum est, quae figurate Messiae attribuuntur, et aliquod ejus officium, aut proprietatem exprimunt; ut cum dicitur *leo*, *agnus*, *stella*, *flos*, *virga*, *mons*, *lapis*, *ostium*, *via* etc., quae fuse explicat Illustriss. *Huetius* prop. IX. — Manent itaque haec pauca.

I. *Christus Mediator.*

Mediatorem Graeci μεσίτην appellant, quasi *medium*, seu conciliatorem et sequestrem, qui dissidentes ad concordiam adducit. Potest autem duplici ratione fieri, ut se aliquis inter partes disjunctas medium interponat. Primo per substantialem aliquam mediationem, ut, quando partes diversae naturae sunt, ipse utriusque naturam in una persona conjungat. Secundo per operationem, omnia conciliatoris munia perfecte obeundo. Sunt autem haec munia 1.° Ut sit internuntius et interpres partis utriusque, quo sensu Moses de se ipso ait: *Ego medius et sequester fui inter Deum et vos.* Deut. V, 5. 2.° Ut tanquam advocatus uni parti supplicet in gratiam alterius. 3.° Ut per modum vadis et sponsoris parti laesae pro altera satisfaciat. Qui his omnibus functionibus respondet, perfecte munus implet Mediatoris. Qui primum tantum aut secundum peragit, imperfecte Mediator dicitur.

Quod Christus Mediator noster factus sit eo modo, quem naturalem aut substantialem nominavimus, multis argumentis superius fuit demonstratum. Christus quippe volens homines reconciliare Deo, naturam utramque in se conjunxit, et ita amborum, quorum conciliator fuit, concordiam in se ipso repraesentavit. De hac ergo mediatione non est necesse quaerere. De illa potissimum loquimur, qua Christus Patri reconciliavit peccatores, et quam secundo loco descripsimus.

Hujus autem mediationis vices perfecte a Christo fuisse impletas probare non est adeo difficile. 1.° Tota Demonstratio Christiana eo collineat, ut eum vere fuisse divinae voluntatis interpretem, et legatum Dei ad homines demonstret. Quapropter ad Hebr. IX. et XII. *novi Testamenti mediator* dicitur. 2.° Diserte Scripturae docent, Christum *Advocatum nostrum* esse et interpellare pro nobis. I Joan. II. *Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum.* Rom. VIII, 34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis;* et ad Hebr. VII, 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 3.° Parum esset primum et secundum mediatioris munus Christo asserere; illud enim et Sociniani libenter admittunt; tertium, quod praecipuum est, ita illi convenit ut nemini praeter ipsum. Christus enim, ut abunde probavimus, Deum nobis promeruit, et pro nobis Deo satisfecit; juxta illud I Timoth. II, 4. *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro multis.*

At quaeritur, secundum quam naturam Christo conveniat Mediatoris officium. Magna hac de re concertatio orta est Saeculo XVI. Cum *Osiander* insignis Lutheranorum in Academia Regiomontana Theologus Christum non qua hominem, sed qua Deum justitiam nostram et Mediatorem esse doceret; *Stancarus* quidam ejusdem Academiae Professor contrariam ipsi sententiam opposuit, asserens Christum ratione humanae tantum naturae Mediatoris officium explevisse. Ita scilicet contingit viris istis, qui ab Ecclesiae auctoritate avulsi in incertum currunt, ut dum vitant vitium in contrarium labantur. Ambae igitur sententiae a veritatis fideique Catholicae regula desciscunt. Omnes quidem actiones, quae Mediatoris propriae sunt, in solam congruunt hominis naturam, et ab ea profectae sunt: at cum Mediatoris per-

sona divina sit, ea, quae etiam humana exeruit natura, aestimationem habent et pretium infinitum. Haec tam clara sunt, ut Stancarus, divinitatem a mediatione excludens, non immerito in suspicionem venerit Nestorianismi. Qua ratione Patres, qui prima specie inter se pugnare videntur, conciliari possint, diserte explicat *Petavius* lib. XII. cap. III. et IV.

II. *Christus Propheta, Rex et Sacerdos.*

Triplex hominum genus inter Hebraeos unctionis caeremoniis consecrabatur, *Prophetae*, *Reges* et *Sacerdotes*. Haec autem munia in uno Christo conjuncta erant, proindeque vere *Christus* vocatus est, id est unctus, non oleo de arboribus expresso, sed oleo laetitiae, cum nimirum gratia et virtute Spiritus sancti natura ejus humana perfunderetur: quod et ipse de se praedicat, cum verba Isaiae cap. LXI. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*, ad se applicat Luc. IV.

1.° Prophetae munus est, docere, miraculis confirmare doctrinam, legem divinam promulgare. At apertum est Christum, cum inter homines versatus est, haec egisse, atque ita egisse ut merito apud Mosen, Prophetas et Evangelistas *Propheta* per antonomasiam nuncuparetur. Nempe Propheta is est, quem praenuntiavit Moses Deut. XVIII. *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus.* Propheta is, de quo non semel populus stupens exclamavit: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum a).* Is, de quo Discipuli in Emmaus euntes dixerunt Luc. XXIV, 19. *Qui fuit vir Propheta* etc.

2.° Christum et veteris et novi Testamenti paginae Regem pronuntiant. *Rex*, ait Clemens Alexand. *b)*, *et a pueris imperitis et Judaeis pronuntiatus incredulis et ignaris, et ab ipsis Prophetis praedicatus ostenditur.* Regnum illius, et ejus amplitudo in Psalm. LXXI. describitur. Psalm. II. de se ipso Messias ait: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion* etc. et ibid. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam* etc. et passim regnum istud a Prophetis magnifice celebratur. Vid. *Daniel.* II. et VII. *Isaias* cap. IX. *Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut*

---

a) Vid. Joan. VI, 14. VII, 40. — Matth. XXI, 11. — Luc. VII.
b) Lib. I. Strom.

confirmet illud amodo et usque in sempiternum. Zacharias item cap. IX. *Ecce rex tuus veniet tibi justus* etc. — In novo Testamento multoties sermo est de regno Christi. Id Angelus Mariae nuntiavit Luc. I. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Et Christus ipse sciscitanti Pilato: *Ergo rex es tu?* regem se esse affirmavit Joan. XVIII, 37.

Rex ergo Christus omnino fuit; rex autem non temporalis sed spiritalis, ita enim coram Pilato publice confessus est: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Neque, quando de regia Christi dignitate agitur, quaeri potest, an illi tanquam Verbo et Dei filio conveniat? De Christo homine sermo instituitur; de hoc dicitur Psal. II. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam.* De hoc ait Isaias LIII, 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia; pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* De hoc Angelus ad Mariam: *Paries filium ... hic regnabit in domo Jacob in aeternum.* Hic devicta morte exspolians principatus et potestates et palam triumphans eos in semetipso ascendit in altum, et sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis.

Huc quoque jure refertur, quod eidem Christo *Pastoris* nomen excellenti quadam ratione Scripturae vindicent; nam summa est pastorem inter et regem affinitas; et reges populorum pastores plerumque vocantur. Non dissimili ratione *pacificus* vocatur, et *princeps pacis;* ut ostendatur totum orbem quaqua patet in ejus leges concessurum; illud apertissime *Michaeas* eloquitur: *Et erit iste pax a).* Quod respexisse videtur Apostol. cum ait: *ipse est pax nostra b).*

3.° Christus ut mediator Dei et hominum Sacerdotis quoque fungitur officio. De hoc nobis jam grandis sermo esse posset, nisi lectores ad illum libri hujus locum remittere possemus, ubi Satisfactionis veritatem ex Sacerdotio Christi demonstravimus. Sed et alia opportunior de his disserendi occasio occurret, quando de incruento novae legis sacrificio disputabimus. Caeterum Christum summum Sacerdotem fore disertissimo et luculentissimo testimonio Propheta declarat Psalm. CIX. *Tu es Sacerdos in*

---

a) Cap. V, 5. *b)* Ephes. II, 14.

aeternum secundum ordinem Melchisedech. Quem locum ut et Christi sacerdotium divina quadam orationis copia illustravit, et perpolivit Apostolus ad Hebraeos scribens, cap. V., VII. etc. Sed nova iterum occurrit inquisitio, utri ex duabus naturis attribuenda sit Sacerdotii dignitas? Patres unctionem, uti et Sacerdotis aut Pontificis nomen alii Deo, alii homini, alii demum utrique tribuunt. Verum pugnantes in specie sententiae facile conciliantur: nam, ut unctio, ita et Sacerdotis appellatio Verbi quidem personae convenit, sed propter assumptam humanitatem.

III. *Christus Caput Ecclesiae, Hominum, et Angelorum.*

In hac Christi proprietate declaranda non multum commorabimur; quia ab illa Regis, praesertim spiritalis, non multum distat. Tria in capitis proprietate spectanda sunt. 1.° Illius cum membris omnibus in unum corpus conjunctio. 2.° Principatus ejusdem et eminentia, qua non tantum reliquis partibus antecellit, sed eas moderatur et regit. 3.° Communicatio gratiae et auxiliorum, quae per universa membra dimanant a capite. Jam Christum *Ecclesiae* caput esse Apostolus non uno in loco prodidit *a)*. Eadem *hominum* ratio est, qui omnes Christi sunt, et cum eo tanquam capite suo vel actu, vel potentia saltem conjuncti. *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* I Timoth. IV. Vid. I Corinth. XI, 3. Rom. XII, 12. etc. Ad hanc capitis dignitatem amplificandam hoc quoque pertinet, quod Theologi passim pro confesso habent, Christum, nempe qua homo est, non hominum solum, sed et Angelorum caput esse; quod tamen ad illam quorundam opinionem revocandum non est, qui volunt Christi Domini merito et interventu non minus Angelos quam Adami posteros salutem consecutos esse; quae passim exploditur.

IV. *Christus Judex.*

Si Caput nostrum Christus est, si sacerdotali et regia dignitate fulget, non potest illi judiciaria potestas denegari; cujus proprium est jus suum cuique tribuere, hoc est, justitiam exercere.

---

a) Ad Ephes. V, 22. 23. Ibid. cap. I, 22. Coloss. I, 18.

Et quidem quaecunque judicis optimi dotes et ornamenta cogitari possunt, in nullo alio, quam in Christo perfecte reperiuntur: scilicet integritas, et omnis labis expers sanctitas; tum prudentia, ut non decipiatur, ac virilis fortitudo, quae nec minis nec precibus frangitur; et quod omnium primum est, accurata eorum, de quibus judicandum est cognitio. Accedunt Scripturae testimonia apertissima. Actor. X, 42. *Ipse est constitutus a Deo Judex vivorum et mortuorum.* Vid. ibid. XVII, 31. Et Joan. V, 22. Christus ipse testatur: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Redit nunc eadem quaestio, quae in aliis Christi Redemptoris officiis, cui scilicet naturae illud sit attribuendum? Respondet S. August. lib. I. de Trinit. cap. XIII. *Dicimus, quia secundum id quod Deus est judicat, hoc est ex potestate divina, non humana; et tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriae crucifixus est.* Id est, Christus homo judex est, sed potestate divina.

CONCLUSIO LIBRI QUARTI.

Finem tandem imponimus huic argumento, ad quod timide et trepidanter accessimus, metuentes, ne rerum copia et magnitudine opprimeremur. Nihil enim potest majus, nihil sanctius cogitari, quam hoc Dei opus tam magnificum et mirabile, quod ab exordio annuntiatum hominibus, in plenitudine temporum consummatum est. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Habac. III. Verum multa etiam sunt in hoc pietatis sacramento, quae nutantes animos non parum confirmant. Non exiguum hoc est generis nostri ornamentum, quod Filius Dei, quam curare venerat, humanam naturam in consortium divinitatis assumserit. *Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit.* Hebr. II. Non exigua haec divinae in nos Charitatis commendatio, quod . . . *cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est . . . ut justificati in sanguine ipsius salvi simus ab ira per ipsum.* Rom. V. Et quis est redemptor ille, qui mortem subiit, ut nos a morte erueret? Nonne *Jesus noster* est, quem a teneris nosse et amare didicimus? Hic emit nos pretio magno, et quos ut Deus subjectos sibi habuit, hos iterum in cruce moriens sibi acquisivit sanguine suo. Hic secundus Adam de coelo coelestis, qui vitam, quam primus Adam abstulit, meliore generatione reparavit; ut, ubi abundavit delictum, superabundaret gratia. Quapropter Ecclesia non veretur felicem dicere culpam Adami, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Et S. *Ambrosius* piissimi Sal-

vatoris immensam in nos bonitatem considerans exclamat *a)*: *Plus, o Jesu, injuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum: non prodesset nasci, nisi redimi profuisset.*

Haec vobis potissimum dicta esse velim, dilectissimi Candidati; atque ut alte maneant omnium vestrum animis infixa vehementer desidero. Quanta enim haec esset mentis perversitas, si tantam negligeremus salutem! Num servati ab interitu per gratiam Redemptoris, in illum propria stultitia curremus? Et cum Deus in nullis defuit nobis, nunquid deerimus ipsi nobis? Absit, ut tam ingratos nos exhibeamus Deo, tam in nos ipsos immisericordes. *Habentes itaque fiduciam in sanguine ipsius, ambulemus digne, Deo per omnia placentes. Gratias agentes Deo Patri, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.* Hebr. X. Coloss. I. Accedamus ad auctorem vitae, ut et ipsi vitam consequamur. Sit nobis Jesus omnia in omnibus. Hunc Doctorem et Magistrum audiamus, hujus exemplum imitemur, hunc pastorem et regem sequamur, hunc judicem timeamus, hunc mediatorem imploremus, hunc Deum diligamus. *Haec facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.* II Petri I.

---

a) Ambros. in Luc. cap. II.

TRADUCTION

DES PASSAGES ET TEXTES ALLEMANDS DU TOME III DE LA THÉOLOGIE DOGMATIQUE DE M. LIEBERMANN.

Page 100.

L'homme part du fétichisme et du magisme, il passe à l'anthropomorphisme, à l'émanatisme, au panthéisme et au dualisme, et aboutit au spiritualisme moral et universel (c'est-à-dire à un panthéisme plus subtil).

Page 231.

« Les chrétiens, riches des lumières de l'Évangile, découvrirent dans l'ancien Testament beaucoup de choses cachées « aux Juifs. » Mais comment le flambeau de l'Évangile saurait-il nous montrer dans l'ancien Testament ce qui n'y est pas renfermé? Or, si cela y est renfermé, notre assertion est fondée. — On ajoute: « Est-il permis de transporter les lumières du nouveau Testament dans l'ancien? » — Pourquoi pas? Cela se pratique à plusieurs égards, et doit se pratiquer.

Page 233.

Schwarz dit fort bien dans son *Manuel* (II, 213.): « En nous « écartant de la doctrine de l'Église catholique relativement à « la divinité de Jésus-Christ, force nous est, ou bien de compromettre entièrement le caractère de Jésus-Christ et de ses « apôtres, ou d'adopter un Dieu subordonné, c'est-à-dire une « véritable idolâtrie, ou bien de détruire l'idée même de la « Divinité, ou bien enfin de transférer à la Bible un genre « d'interprétation que nous ne pourrions raisonnablement ad-

« mettre à l'égard d'aucun ouvrage profane. » Il cite, p. 212., le témoignage de Lessing, qui dit formellement, que si Jésus-Christ n'est pas véritablement Dieu, il est évident que la religion mahométane est plus parfaite que la religion chrétienne; que Mahomet fut incontestablement plus grand homme que Jésus-Christ, attendu qu'il avait défendu avec beaucoup plus de sincérité, de prudence et de zèle que Jésus-Christ la gloire du Dieu unique; que celui-ci, par ses opinions, avait ouvert une voie bien trop dangereuse à l'idolâtrie, tandis qu'on ne peut mettre aucune opinion de ce genre à la charge de Mahomet. — Voyez aussi Schwarzhueber I, 280. et Dobmayer, V. §. 94. n. 3.

Page 321.

Il n'y a donc pas de Providence, puisque Dieu n'a pas besoin de valets de chambre, pour instruire les hommes, ou les guérir de leurs défauts? Mais cette conséquence même n'a rien de convainquant pour nos esprits forts, qui mettent leur raison, toute petite, toute déraisonnable qu'elle est, à la place de la Divinité.

CONSPECTUS TOMI TERTII.

Pag.

THEOLOGIA SPECIALIS. Prooemium. 3

LIBER PRIMUS.

De Deo et divinis Attributis. 7
CAPUT I. *De unitate Dei.* Observanda. 12
Prop. *Deus unus est.* 17
Corollarium. *Doctrina de duobus principiis admitti non potest.* 21
CAPUT II. *De natura Dei ejusque perfectione generatim.* 24
ARTICULUS I. *De essentia Dei metaphysica.* Observanda. 27
Prop. I. *Deus est ens a se.* 28
Prop. II. *Essentia Dei metaphysica in eo posita videtur, quod sit a se ipso et independens.* 29
ARTICULUS II. *De infinita Dei perfectione generatim.* Observanda. 31
Prop. I. *Deus habet omnes perfectiones.* 32
Prop. II. *Deus est in omni genere perfectionum infinitus.* 33
ARTICULUS III. *Quomodo attributa divina tum ab essentia tum a se invicem distinguantur.* Observanda. 34
Prop. *Attributa divina realiter unum sunt cum essentia.* 37
ARTICULUS IV. *Consectaria.* Observanda. 37
Consectarium I. II. III. IV. V. VI. 39—41
CAPUT III. *De attributis divinis singillatim.* 44
ARTICULUS I. *De attributis Dei quiescentibus.* Observanda. 45
§ I. *De simplicitate Dei.* Observanda. 45
Prop. *Deus est omnino simplex.* 48
Corollaria. 49
§. II. *De aeternitate Dei.* Observanda. 52
Prop. *Deus est aeternus.* 54
§. III. *De immensitate Dei.* Observanda. 55
Prop. *Deus est immensus, rebusque omnibus per substantiam praesens.* 56

	Pag.
§. IV. *De immutabilitate Dei.* Observanda.	59
Prop. *Deus est sub omni respectu immutabilis.*	60
ARTICULUS II. *De attributis Dei operativis.*	61
§. I. *De intellectu Dei.* Observanda.	62
Prop. *Deus perfectissimam habet rerum omnium cognitionem.*	64
Probatur Propositio particulatim.	65
§. II. *De voluntate Dei.* Observanda.	69
Prop. I. *Datur in Deo voluntas et quidem perfectissima.*	71
Propositionis consectaria.	72
Prop. II. *Voluntas Dei est perfecte libera.*	73
Diluuntur Argumenta adversantia.	74
§. III. *De omnipotentia Dei.* Observanda.	75
Prop. *Deus est infinite potens.*	76
Consect. I. *Ergo voluntas Dei absoluta semper impletur.*	78
— II. *Etiam tunc non vincitur Dei potentia, quando voluntas Dei conditionata non impletur.*	78
ARTICULUS III. *De attributis Dei moralibus.*	81
§. I. *De sapientia Dei.* Observanda.	81
Prop. I. *Deus est infinite sapiens.*	84
— II. *Deus neque necessario operatur ad extra, neque operando tenetur ad optimum.*	84
§. II. *De sanctitate Dei* Observanda.	87
Prop. *Deo summa competit sanctitas.*	88
§. III. *De veracitate Dei.* Observanda.	89
Prop. *Deus summe verax est.*	89
§. IV. *De bonitate et misericordia Dei.* Observanda.	90
Prop. *Deus est summe bonus et misericors.*	91
§. V. *De justitia Dei.* Observanda.	93
Prop. *Est in Deo justitia distributiva.*	94
ADNOTATIONES.	99

LIBER SECUNDUS.

De Sanctissima Trinitate.	101
PARS I. *De existentia SS. Trinitatis.*	103
CAPUT I. *De Sanctissima Trinitate generatim.*	104
§. I. *An Mysterium Trinitatis naturali ratione probari possit, aut impugnari.* Observanda.	104
Prop. I. *Mysterium Trinitatis ratione naturali nec verum nec falsum demonstrari potest.*	105
Probatur I. II. *Argumento generali.*	106
Prop. II. *Quamvis dogma Trinitatis argumentis ex rei natura petitis demonstrari non possit: probatur tamen argumentis*	

Pag.

extrinsecis tam certis et evidentibus, ut, si in obsequium redigendus est intellectus, ratio ipsa obsequium jubeat. 107

§. II. *Argumenta veteris Testamenti expenduntur.* Observanda. 113

Prop. *Mysterium Trinitatis in veteri lege saltem obscure fuisse cognitum, dubitari non potest.* 115

§. III. *Argumenta ex novo Testamento deprompta.* 119

Prop. *Ex novo Testamento probatur, tres esse in Deo personas realiter distinctas.* 119

§. IV. *Argumenta ex Traditione petita.* Observanda. 125

Prop. *Tres esse in una et indivisibili Divinitate personas realiter distinctas, ex constanti et perpetua Traditione probatur.* 127

CAPUT II. *De divinitate Verbi et Spiritus S. speciatim.* 134

ARTICULUS I. *De Verbi divinitate.* Observanda. 135

Brevis Arianae haereseos historia. 137

EPOCHA I. II. III. IV. 138—146

Recentiores Antitrinitarii. 148

§. I. *Probatur Filii, seu Verbi divinitas ex Scripturis.* 150

§. II. *Probatur Verbi divinitus ex constanti Patrum antenicaenorum Traditione.* Observanda. 174

Prop. *Verbum Dei, seu Filium verum Deum esse Patri consubstantialem probatur ex Traditione primorum saeculorum.* 176

ARTICULUS II. *De divinitate Spiritus S.* Observanda. 187

Prop. I. *Spiritus sanctus est vera et per se subsistens persona.* 190

Argument. I. II. *Ex Scripturis.* 190

— III. *Ex Traditione.* 192

Prop. II. *Ex Scripturis probatur Spiritum sanctum verum Deum esse Patri et Filio consubstantialem.* 194

Prop. III. *Ex Traditione probatur Spiritum sanctum verum Deum esse, Patri et Filio consubstantialem.* 195

CAPUT III. *De naturae in tribus personis perfecta unitate.* Observanda. 201

Prop. *Tres personae Trinitatis unam habent eandemque individuam naturam.* 202

Argument. I. II. III. IV. 202—204

PARS II. *De quibusdam SS. Trinitatis proprietatibus.* 208

CAPUT I. *De processionibus divinis.* Observanda. 208

§. I. *De processionibus divinis in genere.* 209

Prop. *Duae sunt in Deo processiones.* 209

§. II. *De processione Filii et Spiritus S.* Observanda. 213

Prop. I. *Filius a Patre procedit per generationem, non item Spiritus sanctus.* 214

Pag.

Prop. II. *Spiritus sanctus non a Patre tantum procedit, sed etiam a Filio.* 214
Argumentum I. II. III IV, 215—218
Prop. III. *Ecclesia Latina particulam Filioque jure ac merito addidit Symbolo Constantinopolitano.* 218
CAPUT II. *De Missione divinarum personarum.* Observanda. 224
Prop. *Datur in divinis missio, qua Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio mittitur.* 225
CAPUT III. *De aliis quibusdam SS. Trinitatis proprietatibus.* Observanda. 226
Prop. I. II. III. IV. 227—228
ADNOTATIONES. 230

LIBER TERTIUS.

De Deo Creatore. 235
CAPUT I. *De creatione et gubernatione mundi.* 236
§. I. *De creatione.* Observanda. 236
Prop. *Deus universum hoc creavit ex nihilo.* 237
§. II. *De mundi gubernatione, seu de Providentia naturali.* 240
Prop. *Deus res omnes creatas sua moderatur providentia.* 243
CAPUT II. *De creatione Angelorum et hominum, eorumque statu primitivo.* 247
ARTICULUS I. *De Angelis.* Observanda. 247
§. I. *De Angelorum existentia et natura.* Observanda. 248
Prop. I. *Fide certum est existere Angelos.* 250
Prop. II. *Angeli sunt puri spiritus omnis omnino corporis expertes.* 251
§. II. *De statu in quo a Deo creati sunt.* Observanda. 254
Prop. I. *Angeli naturae dotibus, seu intellectu et voluntate praestantiores sunt hominibus, attamen limitatam habent cognitionem et potentiam.* 254
Prop. II. *Angeli omnes a Deo in statu gratiae creati sunt.* 255
ARTICULUS II. *De Homine.* Observanda. 259
§. I. *De creatione et natura hominis.* Observanda. 259
Prop. I. *Adamus omnium hominum primus creatus est, et ab eo omne hominum genus originem habet.* 261
Prop. II. *Homo a Deo creatus est cum corpore organico et anima rationali.* 261
Prop. III. *Anima hominis est spiritus et quidem immortalis, ac libera voluntate praeditus.* 262
§. II. *De statu hominis ante lapsum.* Observanda. 265
Prop. I. *Primi parentes in statu justitiae, seu sanctitatis conditi fuerunt.* 266

Pag.

Prop. II. *Cum hac originali primorum parentum justitia conjuncta erant eximia, tum animae tum corporis dona.* 267
Prop. III. *Status justitiae et felicitatis, in quo conditi sunt primi homines, non erat eis debitus.* 269
CAPUT III. *De Angelorum et hominum lapsu.* 276
ARTICULUS I. *De lapsu Angelorum.* Observanda. 276
Prop. *Angeli non permanserunt omnes in statu justitiae in quo conditi fuerant: sed multi ex illis peccarunt, atque sine spe veniae ad statum summae miseriae dejecti sunt.* 276
ARTICULUS II. *De hominis lapsu.* Observanda. 281
§. I. *De peccato primorum parentum.* 282
Prop. I. *Primi parentes legem sibi a Deo positam transgressi sunt, eamque transgrediendo graviter peccarunt.* 282
Prop. II. *Effectus peccati in primis parentibus fuerunt:* 1. *Justitiae originalis amissio*; 2. *mors animae;* 3. *concupiscentia et ignorantia;* 4. *variae hujus vitae miseriae etc.* 283
§. II. *De peccati primorum parentum in posteros propagatione.* 288
Prop. I. *Ex omnibus Christianae Revelationis criteriis certum est, peccatum primorum parentum in eorum posteros propagari, seu dari peccatum originale.* 292
Prop. II. *Peccatum originale nec in poenis et morte corporis, nec in ipsamet concupiscentia situm est, nec est solum Adami peccatum extrinsece imputatum; sed est etc.* 299
Prop. III. *Omnes, qui naturali generatione ab Adamo descendunt, peccatum originale contrahunt, nisi speciali privilegio ab eo eximantur.* 301
Prop. IV. *Quamvis B. Virgo debitum contraxerit originalis peccati; merito tamen creditur, singulari etc.* 301
CAPUT IV. *De Angelorum cum homine nexu.* 314
§. I. *De Angelis bonis.* Observanda. 314
Prop. I. *Deus Angelis utitur tanquam ministris ad hominum salutem et custodiam.* 317
Prop. II. *Dubitari non potest singulos fideles et electos suum habere Angelum; imo probabile est, singulis etc.* 318
§. II. *De Angelis malis.* Observanda. 322
Prop. I. *Daemones hominum saluti insidiantur, eosque variis modis tentant et ad peccatum alliciunt.* 324
Prop. II. *Daemones possunt infeste agere in corpora et bona etc.* 325
Prop. III. *Daemonum possessiones admittere nos cogit Scripturae authoritas et constans Ecclesiae fides.* 326
ADNOTATIONES. 333

Pag.

LIBER QUARTUS.

De generis humani redemtione. 342
PARS I. *An aliquis redemtor promissus fuerit et datus hominibus.* 344
CAPUT I. *Futurus redemtor promissus et expectatus.* 345
§. I. Prop. *Statim post lapsum primi parentis promissus est etc.* 345
§. II. Prop. *Antiqui Patriarchae semper habuerunt spem futuri liberatoris.* 351
§. III. *An apud Judaeos semper permanserit spes futuri Redemtoris.* Observanda. 355
Prop. *Spes futuri Redemtoris apud Judaeos semper fuit conservata, multisque post Mosen vaticiniis confirmata.* 356
§. IV. *An gentes spem aliquam futuri Redemtoris habuerint.* Observanda. 359
Prop. *Apud alias etiam gentes permansit spes futuri liberatoris.* 360
CAPUT II. *Jesus Nazarenus est Redemtor ille, qui generi humano fuit promissus.* 364
§. I. *Argumenta generalia I. II. III. IV. V.* 365—368
§. II. *Argumenta quaedam specialia contra Judaeos.* 368
PARS II. *De Redemtoris proprietatibus, seu de mysterio Incarnationis.* 371
CAPUT I. *De Christi Redemtoris divinitate et humanitate.* 378
ARTICULUS I. *De divinitate Christi.* Observanda. 378
Prop. *Christus Jesus, quem promissum a Deo Redemtorem esse probavimus, verus Deus est etc.* 379
ARTICULUS II. *De humana Christi natura.* Observanda. 380
Prop. I. *Christus verum corpus humanum ex Maria assumsit.* 383
Prop. II. *Maria ita Christum genuit, ut virgo intemerata permanserit ante partum, in partu et post partum.* 384
Prop. III. *Corpus Christi doloribus, et aliis communibus humanae naturae infirmitatibus fuit obnoxium.* 386
Prop. IV. *Christus animam et mentem humanam assumsit; ejusque anima vera libertate gaudebat.* 387
Corollarium. *Ergo Christus non tantum Deus est, sed et verus homo.* 389
Quaestio I. *Utrum Beatissima Virgo votum emiserit perpetuae virginitatis.* 395
Quaestio II. *An Christus fuerit egregia corporis forma conspicuus.* 395
CAPUT II. *De duarum in Christo naturarum admirabili nexu.* 396
Haeresis Nestoriana. 397
Haeresis Eutychiana. 401
Haeresis Eutychianae propagines. 404
De tribus Capitulis. 406

Pag.
ARTICULUS I. *Contra haeresin Nestorii.* 408
Prop. *Humana natura in Christo divinae unita fuit in una Verbi persona.* 408
ARTICULUS II. *Contra haeresin Eutychianam.* 417
Prop. *Duae sunt in Christo naturae, divina et humana, in una Verbi persona ita unitae, ut etc.* 417
Argumentum I. II. III. IV. 417—419
CAPUT III. *Consectaria.* 423
§. I. *An duplex sit in Christo voluntas et operatio?* 423
Prop. *Duplex est in Christo voluntas et operatio.* 427
Argumentum I. II. III. IV. 427—428
§. II. *De idiomatum communicatione.* Observanda. 432
Prop. I. *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum ratione subjecti; vel etc.* 433
Prop. II. *Nomina quae unam naturam praecise significant, vel, ut vulgo dicitur, quae uni naturae propria sunt etc.* 434
Corollarium. *Ergo humanitas Christi non potest dici ubique praesens.* 434
§. III. *An B. Virgo vere et proprie sit Deipara.* Observanda. 437
Prop. *B. Virgo vere et proprie Deipara vocatur.* 439
§. IV. *An Christus homo filius Dei naturalis sit, an adoptivus.* Observanda. 440
Prop. *Christus homo filius Dei naturalis est, et adoptivus dici nulla ratione potest.* 442
§. V. *De dotibus et ornamentis, quae in animam Christi redundarunt propter unitionem cum Verbo.* Observanda. 443
§. IV. *An Christus ut homo sit adorandus.* Observanda. 446
Prop. *Humana Christi natura hypostatice cum Verbo unita, eadem cum divinitate adoratione colenda est.* 447
PARS III. *Qualis fuerit, quae nobis per Christum facta est redemtio.* 449
CAPUT I. *De satisfactionis veritate.* Observanda. 450
Prop. I. *Christus redemtor noster factus est eo sensu, quod nos a peccati servitute solutos participes effecerit etc.* 454
Prop. II. *Christus vere et proprie pro nobis satisfecit.* 456
PARS I. *Christus sponsor noster factus est, ut vice nostra et per veram substitutionem peccata nostra expiaret.* 457
PARS II. *Christus seipsum Patri pro peccatis nostris obtulit tanquam piacularem victimam.* 458
PARS III. *Sanguis Christi verum fuit pretium, quo nos e daemonis servitute redemit et Patri conciliavit soluto debito.* 460
CAPUT II. *De quibusdam satisfactionis proprietatibus.* Observanda. 467

Pag.

Prop. I. *Satisfactio Christi plena fuit et ad strictae justitiae leges exacta.* 469

Prop. II. *Satisfactio Christi non tantum plena erat et ad omnes justitiae leges exacta, sed et cumulata etc.* 470

Prop. III. *Christi satisfactio ad omnes et singulos homines pertinet; seu: Christus pro omnibus hominibus etc.* 471

CAPUT III. *De quibusdam satisfactionis effectibus.* 475

§. I. *De descensu Christi ad inferos.* Observanda. 476

Prop. *Anima Christi post mortem ad inferos descendit; hoc est ad limbum, ut inde justos V. T. erueret.* 477

§. II. *De meritis Christi.* Observanda. 481

Prop. I. *Christus vere meritus est per eas ipsas actiones, per quas Deo pro nobis satisfecit, ejusque merita etc.* 481

Prop. II. *Christus sibi ipsi promeruit gloriam corporis, nominis exaltationem, gentium cultum et adorationem etc.* 482

§. III. *De quibusdam titulis Christi.* Observanda. 485

CONCLUSIO *libri quarti.* 491

208.9
L 621
8759
LIEBERMANN, F.L.B.
AUTHOR
Institutiones Theologicae III
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM
[redacted]
8759